







FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.





HISTORIA DIPLOMATICA

FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS I.

PARS II.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

TOMI PRIMI PARS SECUNDA.

ANNO 1215. — INDICTIONE 3.

Anno Domini M.CC.XV, curia Friderici Mettis habita est in Epiphania. Reiner. Leod., *Chronic.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 383. 6 januarii.

Fridericus, Romanorum rex, Guillelmo de Baucio Aurasicensi principi privilegia a Friderico primo avo suo concessa confirmat, eique et haeredibus ejus regnum Arelatense et Viennense cum titulo regis (1) concedit. Apud Mezios, . . januarii.

---

(1) Non prodeuntibus ipsius diplomatis verbis, libentius crediderimus Fridericum secundum Guillelmo Aurasicensi non regis Arelatensis, sed tantummodo vicarii regni titulum concessisse, quemadmodum postea anno 1220, mortuo eodem Guillelmo, hoc regnum ordinandum marchioni Montisferrati commisit. Vid. infra, t. II, p. 81. Qualitercumque se res habuerit, certum

(Memorat. ap. Joseph de Pise, *Tabl. de l'hist. des princes d'Orange*, p. 71. — Bouche, *Hist. de Provence*, t. II, p. 212. — La Lauzière, *Abrégé de l'hist. d'Arles*, p. 152. — Bonaventure de Sisteron, *Hist. MSS.* in Biblioth. Carpentor., et apud plerosque auctores qui res historicas et nummarias principatus Aurasicensis tractaverunt. Hoc privilegium, tanti ut arbitrari licet momenti, quod aurea bulla fuisse munitum referunt, nusquam ad integrum saltem ex transumpto vel copia reperitur; omninoque deperditum conjicimus, dum tempore bellorum *de religion*, ut dicunt, archivum Aurasicense igne penitus deletum fuerit.)

Datum apud Mezios, anno Domini M. CC. XIV, ... januarii (1), anno regni tertio.

Geilenhusen, 12 januar.

Fridericus, Romanorum rex, Bertoldo filio Thomasii de Nono et fratribus ejus haeredibusque eorum in rectum feudum dat et confirmat palatium apud Taurinum, sicut pater suus eisdem concesserat, cum redditibus, pertinentiis et rationibus ibidem expressis.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 75, n° 74, ex copia seculi XVIII apud Taurinum ipsi a Bethmanno communicata.)

Hujus rei testes sunt Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Hermannus

---

de hoc privilegio testimonium habemus ex traditione quam Carolo Andegavensi, Provinciae comiti, fecit Raymundus de Baucio ejusdem Guillelmi filius, his verbis : « Donamus predicto » domino Carolo presenti et recipienti et vestris heredibus quidquid juris habemus vel habere » debemus in regno predicto Vienne et Arelatis ex donatione, collatione seu concessione olim » facta predicto domino Guillelmo quondam patri nostro a serenissimo domino Frederico » quondam Romanorum rege et Sicilie, etc. Datum Auras., 24 aug. 1257. » Ap. Papon, *Hist. de Provence*, t. III, preuves, p. 13.

(1) J. de Pise et caeteri qui ex eodem fonte rem memoraverunt, tertium decimum januarii diem indicant, Papon autem secundum diem et nostra sententia rectius, licet qua nitatur auctoritate non dicat. In tanta ambiguitate derelicti, abstinemus. Si quis vero rerum gestarum seriem et itineris ordinem inspexerit, facilius negaverit Fridericum apud Metios ultra primam januarii hebdomadem sedem suam prorogavisse.

landgravius Thuringie, Heinricus comes de Schwaben (*a*), Gonzalus (?) de Plesse, Gerbaldus de Verlingen (*b*), Ulricus de Minzenberg camerarius imperii . . . .

Datum apud Gorlenhisen (*sic*) (1), anno dominice incarnationis MCCXIV, II idus januarii, indictione III, anno regni Germanie tertio.

Fridericus, Romanorum rex, ratam habet donationem domui Sanctae Mariae Hospitalis Teutonicorum in Jerusalem ab Henrico comite de Nassau factam de jure patronatus ecclesiae Wiesbaden, ipsamque ecclesiam eidem domui donat et confirmat cum omnibus pertinentiis suis.

Apud Erfordiam, 21 januarii.

(Ediderunt Guden, *Cod. diplom.*, t. III, p. 1080.—Kremer, *Origin. Nass.*, p. 257. — Hennes, *Cod. ord. Theutonic.*, p. 16, nº 17.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Cum pia moneamur intentione ad promotionem et dilatationem domus Sancte Marie hospitalis Teutonicorum in Jerusalem, notum facimus universis presentis etatis et in evum successure posteritatis quod nos donationem quam fecit fidelis noster comes Heinricus de Nassauwe memorate domui in jure patronatus ecclesie que Wisebadin dicitur, ratam et gratam habentes, nos quoque cum ad nos dicta ecclesia jure proprietario pertineat, ipsam ecclesiam cum omnibus pertinentiis et omni jure suo predicto hospitali Theutonicorum et de liberalitate regia donamus et regia auctoritate confirmamus ad usus fratrum memorato hospitali deservientium fructus et

(*a*) Sic, verisimiliter autem *de Schwarzburg*, ut in sequentibus.
(*b*) Nomen mutilum suspicamur, pro *Gerlacus de Butingen*.

---

(1) Legimus *Geilenhusen*, cum iste locus apprime itineri conveniat regis e Lotharingia ad partes Erfordiae recta via properantis.

proventus ipsius ecclesie cum omni integritate perpetuo percipiendos (1); statuentes et sub pena centum librarum auri puri precipientes ne ulli unquam persone alte vel humili, ecclesiastice vel seculari, licitum sit hanc nostre donationis seu confirmationis paginam infringere vel aliquo ei temeritatis ausu obviare. Ad cujus rei perennem memoriam, presentem paginam conscribi jussimus et majestatis nostre bulla consignari.

Testes hujus rei sunt A. Magdeburgensis archiepiscopus, E. Numburgensis episcopus, . . . Halbirstadensis episcopus, H. lantgravius Thuringie, Th. marchio Missenensis et Orientalis, O. dux Meranie, comes Albertus de Ebirstein, comes Adolfus de Schauwenburg, comes Heinricus de Swartzburg, comes B. de Mansfelt, Ulricus de Myntzenberg, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno Domini M CC XIIII.

Datum apud Erfordiam (2), XII kalendas februarii, indictione tertia.

Apud Naumburg, 28 januarii.

Fridericus, Romanorum rex, ad petitionem abbatis Pfortensis ei et ecclesiae ejus concedit ut quascumque possessiones titulo donationis, emptionis seu concambii obtinuerint, sine contradictione in perpetuum possideant.

(Edidit Schumacher, *Nachricht. zur Sächsischen, besond. Eisenach. Gesch.*, VI sammlung, n° VIII, p. 55. — Memorat. ap. Schultes, *Direct. diplom.*, zweite Band, IV, 491.)

---

(1) Quae quidem donatio confirmata est a Sifrido Maguntino archiepiscopo anno 1218, 13 junii, apud Moguntiam. Vid. Guden., *Cod. diplomat.*, t. I, p. 457.

(2) De ista in Thuringiam et Saxoniam expeditione non bene comperitur. Quam solus memorat Reinerus Leodiensis, hac brevi post Metensem curiam addita notitia : « Principes Saxo- » niae Friderico regi pacificantur, exceptis paucis. » Forsitan junior rex in animo habuit Saxoniam sibi subjugare, absente adversario suo Othone, qui dudum, scilicet a tempore Bovinensis cladis, apud Coloniam iners et quasi captivus detinebatur. Cf. Rein. Leod. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 383.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, rex Sicilie. Ad hoc divina disponente providentia ad regni gubernacula nos credimus esse sublimatos ut servorum Dei in temporalibus subsidiis et utilitatibus regia liberalitate consulamus, et propensiori cautele diligentia privilegiorum nostrorum confirmacione prospiciamus. Inde est quod omnibus imperii fidelibus constare volumus quod nos petitioni abbatis Pfortensis fratrumque suorum satisfacientes, pro remedio anime nostre parentumque nostrorum, hanc eis gratiam et licentiam indulsimus quatenus quascunque possessiones in agris videlicet, vineis, pratis, sylvis, aquis, stagnis, pascuis, terris cultis vel incultis, a fidelibus imperii titulo donationis, emptionis seu concambii obtinuerint, sine omni prorsus contradictione nostre majestatis auctoritate in perpetuum possideant. Ut autem hec nostra donatio rata in posterum permaneat et inconvulsa, presentem exinde paginam conscribi et sigilli nostri impressione jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Hermannus Thuringie landgravius, comes Hermannus de Orlamunde, comes Heinricus de Schwartzburgk, comes Albertus de Eberstein, comes Adolfus de Schowenbergk, comes Burckhardus de Manesfeld, comes Adelgerus de Honstein, Poppo comes de Hennebergk, Hartmannus de Heldrungen, Ludolfus de Berlesteten, [Ulricus de Minzenberc], et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum Sicilieque regis invictissimi.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice M° CC° XIIII, indictione tercia, regnante domino Friderico secundo rege glorioso et rege Sicilie, anno regni ejus tercio.

Datum apud Nuenburg, quinto kalendas februarii.

Fridericus, Romanorum rex, donationem confirmat factam abbati et monasterio de Bosau a Theoderico Misnensi marchione de Aldenburg, 4 februarii.

quadraginta agris pro vineis excolendis, additque ut fratres ejusdem monasterii de foresto suo apud Aldenburg duos lignorum currus per singulas hebdomadas colligant.

(Edider. SCHOETTGEN et KREISIG, *Diplomat.*, t. II, p. 438. — PISTORIUS, *Script.*, t. I, p. 1169. — LEUCKFELD, *Von Bosau*, p. 20. — Extat quoque in *Thuringia sacra*, p. 644.)

Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera pietatis opera saluti nostre illud potissimum credimus expedire, si in promovendis ecclesiarum utilitatibus inventi fuerimus efficaces et circa ipsarum commoda curam et operam impendimus diligentem. Eapropter universis imperii Christique fidelibus tam presentibus quam futuris duximus innotescendum quod carissimus princeps noster et consanguineus Thidericus Misnensis et Orientalis marchio, coram nobis constitutus, pro remedio anime sue XL agros in quodam monte qui dicitur Janzi, sito super Salam, pro excolendis illic vineis, Alberto venerabili abbati de Puzowe et monasterio suo perpetuo proprietatis jure possidendos per manus nostras contradidit, a nobis cum devotione postulans quoniam jamdictos agros in feudo ab imperio et a nobis tenebat, ut facta ipsi abbati et suo monasterio donatio in nostra consisteret voluntate. Nos igitur justis ipsius marchionis et abbatis precibus inclinati, donationem factam gratam habemus et ratam, et monasterio de Pozowe, abbati quoque et fratribus ipsos agros possidendos confirmamus. Ad hec indulgemus et regia mansuetudine concedimus sepedicto abbati et suis fratribus quatenus de foresto nostro quod apud Aldenburg forestum camere nuncupatur, pro necessitate sua de lignis per singulas ebdomadas anni duos currus oneratos colligant et deducant, quemadmodum pie memorie imperator Heinricus genitor noster et rex Philippus patruus noster ipsis concesserunt. Ut autem omnia hec perpetuum robur obtineant, hanc paginam exinde conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

Datum apud Aldenburg, anno incarnationis Domini M. CC. XIIII, pridie nonas februarii, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, domui Hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum donat ecclesiam in Schardis (Schlanders) et capellam Sanctae Margarethae ibidem sitam cum pertinentiis ejus. Aldenburg, 5 februarii.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 80, n° 114, ex originali in Botzen, sibi a K. de Staelin communicato.)

Hujus rei testes sunt, etc.

Datum apud Aldenburg, anno dominice incarnationis MCCXIV, nonis februarii, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, fratribus Sanctae Mariae apud Altenburg ecclesiam Sancti Bartholomaei cum omnibus pertinentiis et rationibus confert, confirmatque eisdem ecclesiam de Trevene cum molendino nec non et carratam unam de lignis mortuis in foresto de Wilin singulis diebus percipiendam. Apud Halle, 11 februarii.

(Edider. Wilke, *Vita Ticemanni, cod. diplom.*, p. 56. — Schumacher, *Beitrag zür deutschen Reichshist.*, n° 3, p. 85. — Memorat. ap. Schultes, *Direct. diplomat.*, zw. Band, IV, 492.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Universalis Ecclesie gratia nos efficacius juvari confidimus, si ipsam in membris ejus decenter extollimus et benefactorum largitione ecclesiarum dotem adaugemus. Ad notitiam igitur omnium presentis etatis et in evum successure posteritatis hominum pervenire volumus quod nos considerantes honestatem personarum sub regula beati Augustini in ecclesia Sancte Marie

apud Altenburc in Monte militantium, ad subsidium prepositi illius ecclesie et fratrum inibi in evum Domino famulantium, ecclesiam Sancti Bartolomei in Altenburc sitam cum aliis ecclesiis et capellis tam in castro quam in civitate ad ipsam pertinentibus et cum universa dote et omnibus rationibus et justiciis suis et demum cum omnibus ejus pertinentiis, memorate ecclesie Sancte Marie in Monte de largitate regalis eminentie hylari vultu contulimus, predictis fratribus et eorum preposito pro ipsorum necessitatibus perpetuo habendam et cum omni integritate percipiendam. Ad hec quoque, sicut ab inclyte memorie patruo nostro rege Philippo ipsis concessum esse novimus, ecclesiam que Trevene (*a*) dicitur cum molendino quod est in piscina nostra dicte ecclesie donamus atque confirmamus. Preterea in foresto nostro quod nuncupatur Wilin concedimus atque confirmamus sepedicte ecclesie ad necessitatem fratrum singulis diebus carratam unam de lignis mortuis. Ad hujus rei perhennem in posterum memoriam, presentem paginam conscribi jussimus et majestatis nostre bulla consignari; statuentes et regio edicto firmiter precipientes ut nulli unquam persone alte vel humili, ecclesiastice vel seculari, licitum sit hanc nostre donationis seu confirmationis paginam infringere seu aliquo ei temeritatis ausu obviare. Quod qui facere presumpserit, in sue presumptionis penam mille libras auri puri componat, quarum medietas fisco nostro, reliqua vero medietas passis injuriam persolvatur.

Testes hujus rei sunt Albertus Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Hermannus landgravius Thuringie, Diodericus marchio Misnensis et Orientalis, Otto dux Meranie, Albertus comes de Everstein, Adolphus comes de Schowenburc, Burchardus comes de Mannesfelt, Heinricus comes de Suarzburc, Albertus de Drouzk, Rudolphus (*a*) de Berlesteten, Heinricus advocatus de Wida, Albertus burcgravius de Altenburc, Heinricus advocatus de Strazburc, et alii plures.

(*a*) Seu *Trebene*. Addit Wilke *et Minowe* : quod ap. Schumacher ex originali transcribentem non invenitur.

(*b*) Sic, sed supra et infra *Ludolphus*.

Acta sunt hec anno Domini MCCXIIII, regnante domino Friderico secundo, anno regni ejus tercio.

Datum apud Halle, tertio idus februarii, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, pro fide et devotione Alberti Magdeburgensis archiepiscopi, Apostolicae Sedis legati, ei et ecclesiae ejus jure perpetuo confert locum munitionis Beverungen et omnem proprietatem ibi sitam, quam Henricus ministerialis imperii eidem ecclesiae tradidit. Hallis, 13 februarii.

(Edidit SAGITTARIUS, *Hist. ducat. Magdeb.*, lib. IV, p. 135, ap. BOYSEN, *Historisches Magazin*, t. II, Halle, 1767. — Coll. cum diplomatar. Magdeb. chart. sec. XV, fol. 42 verso, in arch. reg. Berolin., cod. fol. I, 10.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, dilecto principi suo Alberto Magdeburgensi archiepiscopo, apostolice Sedis legato, gratiam suam et omne bonum. Fidei tue constantia et devotionis sinceritas quas non sine modico ecclesie tue dispendio in nostris negotiis sumus experti, non immerito nos inducunt ut hiis que ad utilitatem et commodum ecclesie tue profuerint efficaciter intendamus. Quapropter locum munitionis Beverungen et omnem proprietatem Henrici ministerialis imperii ibi sitam, quam ipse in presentia nostra nobisque consentientibus tibi et ecclesie tue in proprietatem tradidit, jure perpetuo possidendam banni nostri firmitate Magdeburgensi ecclesie. . . . . (*a*) presens tibi super hoc scriptum in testimonium indulgemus.

Testes hujus [rei] sunt Engelhardus Nuemburgensis episcopus, Gernandus decanus Magdeburgensis, comes Albertus de Everstein, comes Henricus de Swartzburg, comes Burchardus de Mansfelt, Ludolphus

(*a*) Sic in duobus; forsitan *confirmamus et*.

de Benlestede, Wichmannus marscalcus et Bartholomeus de Neuburch, Ludolphus de Rudenberg (*a*), Hermannus Pallas de Senekenstein (*b*).

Datum Hallis, idus februarii (1).

Apud Nurimberg, 16 martii.

Fridericus, Romanorum rex, in suam protectionem recipit domum quam Albertus de Drözig et uxor ejus in villa Drözig construxerunt et dominico Sepulcro tradiderunt, confirmatque quidquid ipse Albertus et caeteri eidem domui dare seu etiam vendere voluerint.

(Edid. Loeber, *De Burgraviis Orlamundanis dissertat.*, p. 69. Iena, 1741.)

Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Pietatum opera que ad religionum propagationem spectare dignoscuntur per nos convenit amplecti favore et eorum incrementa benignitate regia prospicere cum effectu. Quapropter universis imperii Christique fidelibus tam presentis evi quam futuri duximus declarandum quod nos recepimus in nostram et imperii specialem protectionem cum mancipiis (*c*) et omnibus possessionibus domum quam dominico Sepulcro vir nobilis Albertus de Droisigk et uxor ejus in villa Drosigk construxerunt de propriis sumtibus, et divina afflati gratia prefato dominico Sepulcro perpetuo possidendam tradiderunt; confirmantes prefate domui ecclesiam parochialem in villa Drosigk cum dote et aliis bonis universis, quidquid ipse Albertus tam de bonis patrimonialibus universis quam imperio attinentibus jam contulit domui prefate et adhuc erit collaturus.

(*a*) Apud Sagittarium *de Gudenberg*.
(*b*) Ibidem *de Gevekenstein*.
(*c*) In impresso *municipiis,* minus recte.

---

(1) Ita in codice, nec plura apud Sagittarium qui epocham documenti ignorare fatetur. Ad hunc vero annum et locum apprime, ut liquet, convenit.

Adhec pro salute nostra indulgemus et predicte domui regia auctoritate concedimus ut si quis fidelis Christi et pro remedio anime sue de bonis que ad imperium pertinent dare seu etiam vendere voluerit, libere id facere possit etiam sine consensus nostri requisitione. Ad cujus rei perennem memoriam, presentem paginam conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Conradus Ratisponensis episcopus, Otto dux Meranie, Cono abbas Elwacensis (*a*), comes Adolphus de Schaubergh, Guncelinus de Croesigk, Heinricus de Niffen, Anshelmus de Justingen, et alii quamplures.

Datum apud Norimberg, anno dominice incarnationis M. CC. XIIII, XVII kalendas aprilis, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, domum Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani de Barulo et alias ejusdem ordinis domos in regno suo sub sua protectione suscipit. Apud Nurimberg, 17 martii.

(Inedit. ex confirmatione pp. Innocent. IV, data Perusii, V idus aprilis, anno IX; ap. regest. ejusd. Papae in Bibl. reg. Paris., tom. XXVI, lib. 9, n° 259, f° 189.)

Fredericus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Etsi omnia caduca sint hominum et temporum diuturnitate labantur, fuerint tamen ex omnibus aliqua perpetue stabilitati annexa, illa videlicet que divinis addicta cultibus hereditatis Dei funiculum inter homines ampliant, tunc precipue cum loca venerabilia in quibus placens Domino sectatur hospitalitatem militia, regalis protectionis favore muniunt et eis munimenta que vetustas non diluit votive libertatis indulgent. Inde est quod nos attendentes celebrem cultum ac pie religionis ordinem in qua per hospitalitatis et divini cultus obser-

(*a*) In impresso *Calvacensis*, male.

vantiam fratres domus hospitalis Jerosolymitani de Barulo et aliorum domorum que sunt per regnum nostrum, laudabiliter militant Jesu Christo, illius intuitu qui dat salutem regibus et qui regalis culminis nobis sceptrum donavit, pro remedio quoque animarum divorum augustorum parentum et aliorum regum progenitorum nostrorum bone memorie, ipsam domum hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani de Barulo omnesque domos que sunt in regno nostro conferentes (*sic*) possessiones et homines ipsarum domorum sub munimine nostrique culminis protectione suscipimus et, etc. (*sic*). Nullus sit igitur qui contra hanc concessionem, confirmationem et sanctionem nostram aliqua presumat temeritate venire. Quod si quis aliquatenus attentaret, indignationem nostri culminis in detrimentum persone et rerum suarum se noverit incursurum. Ut igitur hec rata et firma permaneant, presens instrumentum fieri precipimus sigilli nostri munimine roboratum.

Hujus autem rei testes sunt Cunradus Ratisponensis episcopus, Otto dux Meranie, Hiltebrandus de Rehesberc marescalcus, Waltherus [de] Schipfe pincerna noster, et alii quamplures.

Ego Cunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXIV, mense martii, regnante domino nostro Friderico Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ejus secundo (*a*), Sicilie vero septimo decimo, feliciter. Amen.

Datum apud Nurimberc, XVI kalendas aprilis, tertie indictionis.

Apud Augustam, 2 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, Berardo Panormitano archiepiscopo et ecclesiae ejus confirmat et renovat generale privilegium Parisio ejusdem ecclesiae electo prius a se ipso indultum.

(*a*) Annus vero Romani regni ut tertius notari deberet.

(Edider. R. PIRRUS, *Sicil. sacra*, t. I, p. 138-141. — MONGITORE, *Bull. eccles. Panorm.*, p. 92, cum effigie bullae aureae, p. 95.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Etsi Regi regum omnes famulari debeant reges terre, nos tamen in quibus potentie sue miracula suscitavit, cum reprobatis consiliis principum et cogitationibus populorum, potente deposito, nos erexit, quanto de gratie sue plenitudine plus accepimus, plus debemus; et ideo nos qui in sola spe gratie celestis nitimur, ne ostense nobis misericordie reddamur indigni, si ingrati divini muneris existamus, dignum est ut Domino qui bona tribuit nobis, gratis placere laboremus obsequiis; pietatis potissimum operibus insistendo, que a viris ecclesiaticis et locis Deo dicatis inter cetera frequentius a principe requiruntur. Que cum circa omnes debeamus ecclesias exercere, circa illas maxime que regale solium sic attingunt ut et ab ipso prodeant et a provisione regia non recedant. Inde est quod nos attendentes qualiter venerabilis et veneranda sacrosancta Panormitana ecclesia, etc. (*Sequitur de verbo ad verbum sicut in privilegio Panormi indulto, mense octobri* 1211, *nisi quod pro* Parisi venerande electe *legitur* Berarde venerabilis archiepiscope. *Omittitur tamen in isto concessio Judaeorum Panormi et tincte. Vid. supra, p.* 193. *Ita vero terminatur:*) Statuentes ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostram concessionem, donationem et confirmationem infringere audeat vel tibi, Berarde archiepiscope, tuisque successoribus aut canonicis Panormitanis aliquo tempore contravenire presumat. Quod qui facere attemptaverit, centum libras auri componat, quarum medietas fisco regali, altera vero injuriam passo persolvatur. Ut autem hec rata et firma semper permaneant, presens privilegium inde scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt Eberardus Saleburgensis archiepiscopus, S. Augustensis episcopus, C. Ratisponensis episcopus, M. Pactaviensis episcopus, A. (*a*) Pactensis episcopus, L. dux Austrie, L. palatinus comes Reni

(*a*) Scilicet Anselmus, Stephani successor.

et dux Bavarie (1), Albertus comes de Eberstein, Wernherus de Bonlant dapifer et Philippus frater ejus, Hartmannus comes de Wirtinberc et frater ejus comes Ludewicus, G. pincerna, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia Romanorum regis, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXV, quarto nonas aprilis, indictione tertia, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia Romanorum rege semper augusto, et rege Sicilie, anno regni ipsius in Germania tertio et Sicilie septimo decimo.

Ego Corradus Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sigefridi Moguntinensis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum apud Augustam, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Augustam, 5 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, archiepiscopis Salzburgensibus monasterium Chiemense confirmat, ac Eberhardo archiepiscopo indulget ut in eodem monasterio sedem cathedralem erigat, cujus investitura ad archiepiscopos pertineat.

(Editum ap. *Monum. Boica,* tom. XXX, p. 25, n° DCX. Sigilli fracti restant pauca fragmenta; fila vero serica rubri coloris remanent. Forma membranae, in altitudinem quam in latitudinem protensior, studio electa est. Lineae enim perpendiculares preter illas horizontales plumbo ductae in toto instrumento adhuc apparentes, vocabulum etiam primum instrumenti *Fridericus* primae hujusmodi perpendiculari lineae contrario ductu inscriptum ac modo parte membranae inferius complicatae tectum, pro forma oblonga instrumenti primitus fiebant sive praeparabantur.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie,

---

(1) In hoc imperiali privilegio dux Bavariae prima vice comes palatinus Reni appellatur, cum in fine decembris anni praecedentis non sic intituletur. Quomodo autem palatinatus e Guelfis ad Wittelsbacienses transierit, non adhuc bene elucidatur. Vid. supra, p. 318, not. 1.

dilecto principi suo Eberhardo Salzburgensi archiepiscopo gratiam suam et omne bonum. Quanto magis devotionem tuam circa nos et imperium experimur, tanto affectuosius regali munificentia te et ecclesiam tuam intendimus honorare. Visis ergo privilegiis ecclesie tue et tibi a predecessoribus nostris imperatoribus et regibus decenter indultis, que monasterium Chiemense cum omni suo jure sicut ab eis possessum fuerat datum tibi et tue ecclesie continebant, nos propter assiduum obsequium tuum tibi etiam et successoribus tuis per ratihabitionem tradimus possidendum; indulgentes ut in predicto monasterio sicut proponis sedem erigas kathedralem, in qua etiam investituram regalium ad te volumus pertinere, quia tempore abbacie a predecessoribus nostris et nobis tibi et successoribus tuis eandem investituram recognoscimus attributam (1). Et ut nostre recognitionis veritas tanto sit evidentior, presentem cartam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari.

Huic autem recognitioni interfuerunt Chunradus Ratisponensis episcopus, Manegoldus Pataviensis episcopus, Otto Vrisengensis episcopus, Sivridus Augustensis episcopus, Waltherus Basiliensis electus, Leupoldus dux Austrie, Ludewicus palatinus Reni et dux Bawarie, Diopoldus marchio de Hohinburch, comes Hartmannus de Wirtenberch, comes Ludewicus frater ejus, comes Chunradus de Mosburch, Ulricus de Peccah.

Datum apud Augustam, nonis aprilis, anno ab incarnatione Domini M°CC°XV°, anno regni nostri Romani III et Sicilie (2). . . . .

Fridericus, Romanorum rex, confirmat amicabilem compositionem inter Manegoldum Pataviensem episcopum et Liupoldum ducem Austriae et Styriae, super jure patronatus ecclesiae Viennensis, Apud Augustam 5 aprilis.

---

(1) De eadem concessione, cf. supra p. 256, privilegium datum Constantiae, 27 martii 1213.

(2) Indictio non exprimitur. Annus autem regni Germanici respondet anno notato 1215. Anno regni Siciliae deficienti relictum fuit spatium vacuum dimidiae ultimae lineae.

advocatia fori in Sancto Ypolito, fodro et landgericht in Swabdorf ac ponte in Ebelsperch, factam.

(Editum in Hund., *Metrop. Salisb.*, t. I, p. 380. — Tolner, *Histor. Palat. cod. diplom.*, p. 66. — Lünig, *Spicil. ecclesiast.*, II Theil, 780. — Hansiz, *German. sacr.*, t. I, p. 359. — Hormayr, *Archiv. für Gesch.*, Jahrg. 1828, p. 142. — *Monum. Boica*, t. XXX, p. 26-28, n° DCXI.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sycilie. Quia res geste diffidentie periculum et oblivionis dispendia pati frequenter consueverunt, placuit per presentium continentiam notitie modernorum et futurorum transmittere quod cum quedam controversia verteretur inter dilectum fidelem et consanguineum nostrum Manegoldum venerabilem Pataviensis ecclesie episcopum et inter dilectum fidelem et consanguineum nostrum Liupoldum ducem Austrie et Stirie super jure patronatus Wiennensis ecclesie et super advocacia fori in Sancto Ypolito, et super generali terre judicio quod Lantgerihte nominatur, quod idem dux in quibusdam bonis jam dicte Pataviensis ecclesie suo juri vendicabat et in quibusdam bonis ejusdem ecclesie fodrum quod vulgo dicitur Marchetfuoter ad se asserebat pertinere, nos, jam dictis principibus in civitate Augusta in presentia regie sublimitatis constitutis, amicabilem inter eos concordiam fecimus et compositionem : ita quod ad petitionem nostram sepedictus dux cessit liti et in manus nostras renunciavit omni juri quod habuit vel quod habere videbatur in predicto patronatu Wiennensis ecclesie et in advocatia Sancti Ypoliti; specialiter etiam renunciavit fodro et lantgerihte quod habuit in quodam predio Pataviensis ecclesie quod dicitur Swabdorf et in omnibus illius attinentiis, et quicquid in hiis vel in aliis bone memorie pater suus de jure suo Pataviensi ecclesie contulerat, ipse quoque pro se et pro universis suis successoribus eidem recognovit; renunciavit etiam liti quam habuit pro ponte in Ebelsperch. Nos autem eandem advocatiam in Sancto Ypolito et lantgerihte et marchetfuter, sicut predictum est, et si qua sunt alia jura que in causis predictis ad nostram pertinent donationem, de consensu et bona volun-

tate ducis concessimus predicto episcopo et ecclesie sue jure perpetuo possidenda. Ut autem hec nostre benignitatis gratia sive donatio memorato episcopo rata maneat et inconvulsa perpetuo perseveret, hanc paginam regio karactere et sigilli nostri firmitudine fecimus insigniri.

Hii sunt testes qui huic celsitudinis et clementie nostre facto interfuerunt : Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, Otto Frisingensis episcopus, Chunradus Ratisponensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Chunradus prepositus Frisacensis, Ruodegerus Pataviensis canonicus prepositus in Cella, Ulricus Pataviensis canonicus et plebanus in Fischa, Heinricus Pataviensis canonicus et plebanus in Probstorf, Lodwicus dux Bawarie et palatinus Reni, Dipoldus marchio de Fohburch, Albertus comes de Eberstein, Hartmannus comes de Wirtenberch, Heinricus de Niffen, Werenherus de Bonlant dapifer, Waltherus pincerna, et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi, et regis Sycilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°CC°XV°, indictione III, regnante domino Friderico secundo Romanorum rege glorioso et rege Sycilie, anno regni ejus tertio.

Datum apud Augustam, nonis aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, Caesariensi monasterio possessiones nominatim expressas, jus patronatus in ecclesiis Holzen et Osteheim, capellam in Volparsteten, curtes in Abbateshoven, Scratenhoven et Sundernheim confirmat, quas illi Heinricus de Sleifdorf et uxor ejus Adelheidis vendiderunt et donaverunt. Apud Ulmam, 11 aprilis.

(Editum in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 29, n° DCXII, ex originali, sigillo deperdito, remanente tamen parte filorum rubri et viridis coloris.)

F. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, rex Sicilie, uni-

versis Christi fidelibus perpetua pace gaudere. Cum in domo Dei in eminenti specula constituti omnibus salutaria et honesta petentibus simus debitores, maxime tamen religiosam eligentibus vitam clementie nostre decet adesse presidium. Ea propter notum facimus universis presentem paginam inspecturis quod Heinricus de Sleifdorf et uxor ejus Adelheidis predia et possessiones que propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet jus patronatus super ecclesiam in Holzen, capellam in Volparsteten, et quasdam alias possessiones ibidem cum universis attinentiis suis, jus patronatus super ecclesiam in Ostehein cum attinentiis suis, curtem in Abbateshoven, curtem in Scratenhoven, predium in Sunderhein, hereditario jure ad se devoluta, Cesariensi ecclesie vendiderunt, et ut rata esset ipsa venditio, mediantibus Ottone comite de Kirberc, Bertoldo comite de Lechesgemunde, Sibotone de Albecge, Cunrado de Stoefelen, Volrico de Diepdesburc, et aliis honestis viris, predicto cenobio per manum nostram nichil juris in prelibatis possessionibus sibi retinentes donaverunt. Verum quia nichil est annis velotius, ne a succrescente predictorum venditorum sobole seu ab aliis hereditatem suam sibi usurpantibus fratribus et conventui de Cesarea ulla deinceps de contractu prenominato valeat suboriri lis aut questio, ipsum contractum assensu partium approbantes, ratum habemus et contra universas futuri temporis insidias privilegium sigilli nostri signatum caractere et auctoritatem regie majestatis opponimus.

Hujus autem facti testes sunt Ruodolfus palatinus de Tuwingen, Cuono abbas de Elewangen, Hartmannus comes de Dilingen, Hartmannus comes de Wirtinberc, Siboto de Albecge et Witegov frater ejus, Heinricus de Bochesberc, Anshelmus de Justingen, Wernherus de Elewangen, Volricus et Cunradus frater ejus de Werde, Heinricus de Werde, Waltherus de Nallingen (1), Cunradus de Clingensteine, et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Ulmam, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo XV°, III° ydus aprilis, indictione III^a, glorioso Romanorum rege Friderico regnante, feliciter.

---

(1) Idem forte qui infra frequentius sub nomine Walteri Nagillini apparet.

Fridericus, Romanorum rex, notificat fidelibus suis in regno Arelatensi constitutis se sub protectione sua ecclesiam et archiepiscopum Arelatensem recepisse, mandatque ut ipsi eam manuteneant et protegant. Apud Haguenau, 20 aprilis.

(Inedit. ex arch. praefect. Massil., *Livre noir de l'archev. d'Arles*, fol. 122, et ap. Bonnemant, *Actes anc. et mod. concern. l'archev. d'Arles*, t. III, f. 58, MSS. in Bibl. Arelat.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, dilectis et fidelibus suis comiti Provincie suisque bajulis et Baucensibus aliisque baronibus universis et castellanis in regno Arelatensi et in tota Provincia constitutis, gratiam suam et omne bonum. Decet regalem eminentiam fidelium suorum profectibus sic intendere ut ipsi regia munificentia pace gaudeant optata et ab incursibus et quibuslibet molestiis hominum perversorum liberi et securi sub debita fide devotionis nobis et imperio possint expeditius famulari. Sic enim ipsi ex fidelibus fideliores et ex devotis devotiores efficiuntur, et plerique alii eorum exemplo ad obsequendum nobis fidelius et studiosius accenduntur. Cum igitur Arelatensem ecclesiam, in qua sedes et caput est regni Arelatensis, diligere teneamur et honorare, ipsam ecclesiam ipsumque archiepiscopum qui nunc est vel pro tempore futurus est ita sub regia protectione recepimus quod ipsum tam in persona sua quam in rebus perpetua volumus pace gaudere. Mandamus igitur universis vobis ac singulis, rogamus et precipimus ut vos jam dictam ecclesiam Arelatensem ipsumque archiepiscopum cum omnibus rebus suis mobilibus et immobilibus, tam castris quam villis, tam hominibus quam rebus eorum, vice et loco nostro manuteneatis et defendatis et injurias sibi illatas tanquam vestras propulsetis.

Datum apud Hagenum, XII kalendas maii, indictionis IIIe.

Apud Spiram, 23 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, in recompensationem damnorum quae pro se ecclesia Panormitana perpessa fuit, Berardo archiepiscopo atque ecclesiae ejus Judaeos et tinctam Panormi usque ad sex annos completos restituit.

(Edid. Mongitore, *Bullae eccles. Panormit.*, p. 98, ex autographo cum sigillo cereo.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie. Ex consueta regie serenitatis benevolentia commodis ecclesiarum et promotionibus expertorum fidelium nostrorum intendentes, notum facimus universis presentem paginam intuentibus quod nos considerantes jacturas et dampna que nobilis ecclesia Panormitana pro nobis et occasione fidelitatis sue erga nos fuit perpessa, habentes quoque pre oculis devotionem et fidem atque sinceram sollicitudinem et continuos labores pro nobis et pericula Berardi Panormitani archiepiscopi, experti fidelis et familiaris nostri, ex certa conscientia nostra restituimus ipsi archiepiscopo atque ecclesie Panormitane et canonicis ejus omnes Judeos et tinctam cum omnibus eorum proventibus, quos de concessione et dono nostro ipsa Panormitana ecclesia cum suis canonicis ante recessum nostrum de Sicilia possidebat, pacifice et quiete usque ad sex annos completos sine alicujus contradictione ad usus suos tenendos, ut interim tantorum dampnorum que occasione nostra sustinuerunt aliquam consequantur restaurationem. Volentes et firmiter statuentes ut predicti judei et tincta de manibus prenominati archiepiscopi et ecclesie memorate atque canonicorum ejus nullatenus auferantur, donec eis a largitate regia in simili recambio provideatur. Ut itaque forma hujus donationis et confirmationis nostre inconcussa perseveret, hanc paginam

in ejus robur et memoriam conscribi et sigillo regie majestatis jussimus communiri.

Hii sunt testes Hainricus Argentinensis episcopus, comes Sigibertus rector Alsatie, Anselmus de Justingen marescalcus imperii, Richardus camerarius, Rudolfus nobilis advocatus de Rapphteswilare, Hermannus et Hainricus camerarii imperii, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis et semper augusti, et regis Sicilie.

Ego Chounradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi, Apostolice Sedis legati et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno Domini millesimo CC. XV, regnante gloriosissimo Friderico Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ejus III, regni vero Sicilie XVII, feliciter.

Datum apud Spiream, VIIII kalendas maii, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, familiari suo Berardo Panormitano archiepiscopo, propter nimias jacturas quas ecclesia ejus sua occasione perpessa est, concedit et confirmat in perpetuum Caccabum cum omni jure, attinentiis et terminis ejus. Apud Spiram, 23 aprilis.

(Edider. PIRRUS, *Sicilia sacr.*, t. I, p. 142. — MONGITORE, *Bull. eccles. Panormit.*, p. 96. — AUG. INVEGES, *Carthago sicula*, ap. GRAEVIUM, t. XII, p. 68.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Regie circumspectionis interesse decernimus fidelium nostrorum devotiones, damna atque jacturas tanto serenitatis affectu perpendere ut et probatis debita a nobis impendantur stipendiorum merita, et qui in opere inveniuntur efficaces, donis potioribus augeantur. Attendentes igitur devotionem et fidem atque sollicitudinem indefessam et labores

immensos atque damna rerum cum persone periculo dilecti fidelis et familiaris nostri Berardi Panormitani archiepiscopi, nec non nimias jacturas et rerum dispendia que nobilis Panormitana ecclesia, sedes regni nostri, cum suis canonicis pro nobis et occasione nostra perpessa est, de certa conscientia nostra damus et concedimus et presentis scripti patrocinio confirmamus prenominato archiepiscopo suisque successoribus et ecclesie Panormitane in perpetuum Caccabum, cum omni jure et dignitate ipsius et cum omnibus attinentiis suis, cum introitu et exitu et cunctis suis terminis perpetuo ex nostra largitione possidendum sine omni impetitione vel alicujus contradictione; statuentes atque regali edicto sancientes ne ulla omnino persona humilis vel alta, secularis sive ecclesiastica, nostre donationis et confirmationis formam infringere vel ausu temerario ei nullo tempore presumat obviare. Ad hujus rei evidentiam, robur atque memoriam, presentem paginam conscribi atque majestatis nostre bulla jussimus communiri.

Testes autem hi sunt Henricus Argentinensis episcopus, Gualterius Basiliensis electus, Sigisbertus comes Werdensis et rector Alsatie, Anselmus de Justingen marescalcus imperii, Rudolfus advocatus de Ramptheswilare, Richardus camerarius, Arnoldus decanus Bragensis, Hermannus et Henricus camerarii imperii, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi divina favente clementia Romanorum regis et semper augusti, et regis Sicilie.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis auie cancellarius, vice domini Siffridi Maguntine ecclesie archiepiscopi, Apostolice Sedis legati, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno Domini M. CC. XV, regnante gloriosissimo domino Frederico Romanorum rege et semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ejus tertio, regni vero Sicilie XVII, feliciter.

Datum apud Spiream, nono kalendas mensis maii, indictione tertia.

Liupoldus, Wormatiensis episcopus, regni Siciliae legatus, ex parte Friderici Romanorum et Siciliae regis, omnia privilegia ecclesiae Tranensis confirmat, necnon et privilegia consuetudinesque civium Tranensium, quae ibidem seriatim enumerantur. Apud Barum, 28 aprilis.

(Edid. Davanzati, *Dissert. sulla second. mogl. di Manfredi*, docum. nº VIII, ex libr. rubr. civit. Tranensis.)

In nomine Domini. Amen, etc. Divine majestati pretiosum munus toties pia devotione congeritur, quoties princeps subjectis respondet pro meritis [et] subjectorum vota ad insignia fidelitatis et majora obsequia provocat, etc. Justum est enim et consentaneum rationi ut principali beneficio exultent corda fidelium et fideles fiant fideliores et dominorum secura (*sic*) mente ilari opere prosequenti in melius compleant. Inde est quod nos Liuppoldus, Dei et regia gratia. . . . . episcopus et totius regni Sicilie legatus (1), ad partes Apulie juxta mandatum regium descendentes, quia invenimus civitatem Trani in fidelitate regia persistentem, in servitiis regiis et mandatis nostris pro honore regio expositam et paratam, ex parte domini nostri Friderici Romanorum regis et regis Sicilie. . . . . auctoritate qua fungimur, omnia privilegia, dignitates, possessiones sacrosancte Tranensi ecclesie confirmamus. Simili modo jura, privilegia ac consuetudines. . . . . confirmamus et illibata volumus conservari. Item ne Tranenses ad aliud forum extra civitatem trahantur pro justitia facienda. . . . . et a suis judicibus judicentur, sive civiliter sive criminaliter conventi fuerint vel accusati, exigenda a condempnatis

---

(1) Hic agitur de Liupoldo episcopo Wormatiensi qui successit in Apulia Aldobrandino marchioni Estensi. Comperimus enim ex instrumentis ap. Muratorium relatis (*Antich. Est.*, t. I, p. 418), hunc marchionem anno 1214 se intitulasse *totius regni Apulie regalis aule vicarium et legatum*. Jamdudum regnante Philippo, idem Liupoldus legatione in Italia functus fuerat. Vid. supra, p. 225, not. 1.

ex parte publica loco ternarii sexta parte pecunie ad quam fuerint dijudicati. Cum enim magna curia ubi publicum stolium congregat, non amplius quam due galere a Tranensibus exigantur armande (*a*) secundum morem et civitatis consuetudinem, elemosina annuaria omnibus marenariis in eis navigantibus ut moris est eroganda, et eisdem galeis in quibuscumque necessariis, scilicet in afisis et in aliis preparandis (*b*), curia secundum quod a retro temporibus consuevit fieri, providebit. In expeditione vero per terram Tranenses ire non compellantur qua nunquam ire consueverunt. Quicumque etiam alienigena Tranum venerit undecumque et quomodocumque ad habitandum, Tranensis civis censeatur et omnibus privilegiis et civilibus consuetudinibus potiatur et exinde invitus a nemine extrahatur. Item ut Tranenses apud Brundusium et per totam maritimam Apulie scalaticum vel ancoraticum non tribuant. Item precipimus quod de cetero libaticum a quolibet tribuere non cogantur. Et quia aqua [que] hauritur in palmento publico quod dicitur de fontana omnibus est utilis et valde necessaria ad prestandum potum equis sitientibus, detur singulis annis de dohana ei qui aquam haurit unciam unam et dimidiam pro fatigio suo. Item precipimus quod Tranenses non cogantur subire duellum de quocumque conventi fuerint vel accusati, nisi cum de crimine lese majestatis accusantur. Item ut Tranenses alium justiciarium non recipiant, preter eum qui generaliter in provincia a rege videlicet fuerit constitutus justitiarius. Judicibus vero Tranensibus qui propriis negotiis postpositis publicis insistunt agendis, honorarium quod habere consueverunt integrum et sine qualibet diminutione dohana Trani sicut consuevit libere persolvat, et singulis judicibus in festo Natali. . . . . unum et aliud in Pascha Christi resurrectionis, et quod judicibus dederint in debitam quantitatem dohane, in suis rationibus camerarii vel dohanerii computent. Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, hoc privilegium concessionis et confirmationis fieri jussimus et per manus Constantini prothonotarii sigillo nostro fecimus communiri. Addentes et statuentes quod si quis, quod non credimus, ausu temerario

(*a*) In impresso minus recte *armando*.

(*b*) Ibidem minus recte *preparamus*.

contra hanc nostram concessionis et confirmationis (1) paginam aliquid attemptare presumpserit, sciat se domini nostri regis et nostram indignationem perpetuo incursurum et penam mille unciarum nihilominus subiturum.

Actum apud Barum in domo archiepiscopatus, anno millesimo ducentesimo quintodecimo, regnante domino nostro Frederico rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, anno octavodecimo, regni vero Romanorum anno tertio, mense aprilis XXVIII, indictione III.

Anno Domini MCCXV, Fridericus rex apud Andernacum colloquium kalendis maii cum nobilibus terrae illius habuit, ubi dux Baivariae et plurimi nobiles crucesignantur. Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes,* t. II, p. 351. — In kalendis maii curia Friderici habita apud Andernacum, ibique tractatum et juratum a principibus de obsidione Coloniensis civitatis et Aquensis oppidi. Quae obsidio dilata est usque ad festum S. Johannis. Reiner. Leod. ap. Boehmer, *Ibidem*, p. 383. Apud Andernacum, 1° maii.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Campensi de rebus illi necessariis immunitatem ab omni exactione thelonei apud Werdam (Kaiserswerth) concedit. Apud Andernacum, 2 maii.

(1) Aliud hujus legationis instrumentum frustra requisivimus. « Lupoldus obiit anno 1217, quo tempore in Apuliae legatione occupatus erat, ut quidem testatur charta Henrici majoris praepositi Wormatiensis pro Schonaugiensi monasterio sub data anni ejusdem. » Schannat, *Hist. Wormat.,* t. I, p. 366. Memoratur tamen ejusdem Lupoldi legatio in litteris Honorii tertii tam ap. Hahn, *Collect. monum,* quam in diversis codicibus sub nomine Thomasii de Capua exaratis. Inter caetera Theanensi episcopo exprobratur quod *L. quondam episcopo Wormatiensi* centum uncias auri obtulerit ad obtinendam scelerum suorum absolutionem.

(Edidit LACOMBLET, *Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins*, II Band, p. 25, nº 48; Düsseldorf, 1846.)

F[ridericus] Dei gratia secundus Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Ex innata nobis regia munificentia necessitatibus religiosorum locorum providere intendentes, ex speciali affectu quem gerimus ad dilectum nobis et venerabile monasterium Campense, volumus et mandamus ut de omnibus suis rebus tam in victualibus quam aliis, eidem loco et fratribus Deo ibidem famulantibus necessariis, ab omni exactione thelonei apud domum nostram Werdam omni tempore liberum sit et absolutum; precipientes castellanis et singulis nuntiis nostris qui in eadem domo nostra presentes sunt vel pro tempore fuerint, ut hanc nostre concessionis gratiam prefato monasterio semper conservent illibatam. Ut autem hec nostre concessionis grata voluntas rata sit et in antea conservetur inconvulsa, presens scriptum sepedicto monasterio indulsimus sigillo majestatis nostre communitum.

Datum apud Andernacum, anno Domini millesimo CC.XV, VI nonas maii, indictione III.

Apud Andernacum, 3 maii.

Fridericus, Romanorum rex, ad recompensanda damna quae pro servitiis suis ecclesia Magdeburgensis perpessa est, Alberto ejusdem ecclesiae archiepiscopo castrum Schopau et in campis hujus castri villaeque Osterhausen centum viginti mansos perpetuo jure donat, quod et quos comes Burchardus de Mansfeld in manus suas resignavit.

(Edider. LUDEWIG, *Reliquiae*, t. XII, p. 374.— GERCKEN, *Cod. Brandenb.*, t. IV, p. 365. — BONDAM, *Charterboek*, t. I, p. 312.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum nichil

clarius elucescat in principe, nichil glorie regnantis plus tribuat incrementi quam si devotorum obsequia digna gratitudine recognoscat, nos fidem pensantes et merita, constantiam et provectum quem dilectus princeps noster Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, apostolice Sedis legatus, circa exaltationis regie promotionem devotissimis studiis et plenis exhibere curavit effectibus, ipsius obsequia tanto dignioribus reputamus premiis non indigna, quanto illa nec dampna reprimere poterant infinita nec tempestas temporis conquassare, que fluctus emisit in Magdeburgensi provincia ad turbationem imperii graviores. Ut ergo idem archiepiscopus in exultatione metat quod in lacrimis seminavit et inde fructum auferat unde dinoscitur incurrisse jacturas, nos ipsius et Magdeburgensis ecclesie specialiter propter ipsum honori volumus et profectibus imminere. Ideo notum esse volumus universis Romani imperii fidelibus presentis temporis et futuri quod, resignante in manibus nostris comite Burchardo de Mannesvelt castrum Scapowe et in campis ejusdem castri et ville Osterhusen centum viginti mansos cum silvis, aquis, pratis, pascuis et omni plenitudine juris eorum, quos ab imperio tenebat in feudo, nos de consensu et sententia principum predictum castrum Scapowe cum mansis et omnibus bonis expressis Beato Mauricio et supra scripte Magdeburgensi ecclesie regali auctoritate perpetuo jure donamus; donationem ipsam banni nostri munimine roborantes ac statuentes ut nulli omnino hominum alto vel humili, modico vel sublimi, liceat hanc paginam nostre donationis infringere vel ei modis aliquibus obviare. Quod qui attemptare presumpserit, centum libras auri examinati componat, dimidiam partem camere nostre, reliquam passis injuriam persolvendam. Ad ejusdem itaque donationis nostre memorabile in futura tempora firmamentum, presentem paginam super hoc conscribi precepimus et imaginis nostre impressione muniri.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi ac regis Sicilie.

Acta sunt hec apud Andernacum, anno ab incarnatione dominica millesimo ducentesimo quinto decimo.

Testes hujus rei sunt Siffridus Maguntinensis archiepiscopus, apostolice

Sedis legatus, imperialis aule archicancellarius, Theodoricus Trevirorum archiepiscopus, Henricus Argentinensis episcopus, Cunradus abbas de Lorsch, Ludewicus comes palatinus Reni et dux Baivarie, Godefridus dux Brabantie (1), Henricus dux de Limburch, Henricus et Galerannus ejusdem ducis filii, Ludewicus comes de Los (a), comes Adolfus de Montibus, comes Adolfus de Scowenborc, comes Heinricus de Seine, comes Adolfus de Marchia, comes Gerardus de Gelre, comes Godefridus de Spanheim, comes Heinricus de Schwartzburch, Gerardus comes de Rinecke, comes Ernestus de Vilsecke, Wernerus et Philippus de Bonlandia, Walterus pincerna de Schipphe.

Datum per manum Marquardi imperialis aule notarii, vice domini Conradi Metensis episcopi, imperialis aule cancellarii, V nonas maii, indictione III, anno regni nostri Romani tertio.

---

3 maii. Fridericus, Romanorum rex, comiti Burchardo de Mansfeld duodecim mansos in villa Clozenburg (Closchwitz) confirmat, in concambium duodecim mansorum quos apud Frankenrode in proprietatem imperii idem comes donavit.

(Edider. Ludewig, *Reliquiae*, t. VII, p. 506. — Schoettgen, *Beitrage*, tom. I, p. 465.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Benignitas regie liberalitatis exposcit ut ubi sine gravi lesione imperii desideriis satisfacere possumus devotorum, ad id efficaciter intendamus. Ideoque notum esse volumus universis imperii fidelibus presentibus et futuris quod nos ad preces dilecti fidelis nostri comitis Bur-

(a) Ap. Ludewig *de Con*, male pro *Lon* seu *Loen*.

---

(1) Verisimiliter Godefridus de Lovania, frater Henrici Lotharingiae et Brabantiae ducis.

chardi de Mansveld, ipsi duodecim mansos quos in villa Clozenburg imperium oblinebat, in jus et proprietatem in concambio tradidimus perpetuo possidendam. Ipse quoque comes duodecim mansos nobis in proprietatem imperii in villa Franckenrode in recompensatione donavit. Hanc itaque donationem per concambium rationabiliter hinc inde completam regalis banni munimine roborantes, statuimus ut nulli omnino hominum alto vel humili, modico vel sublimi, liceat paginam prefate donationis infringere aut ei ausu temerario contraire. Quod si quis attemptare presumpserit, centum libras auri componat, dimidiam partem camere nostre, reliquam passo injuriam persolvendam. Ad hec in memorabile super his in futura tempora firmamentum, presentem paginam conscribi precepimus et imaginis nostre impressione muniri.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi ac regis Sicilie.

Acta sunt hec anno ab incarnatione dominica millesimo ducentesimo quinto decimo.

Testes hujus rei sunt Sigfridus Moguntinus archiepiscopus, apostolice Sedis legatus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus collega ipsius, Theodoricus Trevirorum archiepiscopus, Heinricus Argentinensis episcopus, Ludewicus comes palatinus Reni et dux Bavarie, Henricus dux de Limburg, Henricus et Galerannus ejusdem ducis filii, comes Lude[wicus de Los], comes Adolfus de Montibus, comes Adolfus de Marchia, comes Henricus de Seine, comes Gerhardus (*a*) de Gelre, comes Gerardus (*b*) de Spanheim, comes Henricus de Schwartzburg, et alii nobiles et minores quamplurimi.

Datum per manum [Marquardi] notarii imperialis aule, vice domini Conradi Metensis episcopi imperialis aule cancellarii, V nonas maii (*c*), indictione III, anno regni nostri Romani II (*d*).

(*a*) Apud Ludewig *Conradus,* male.
(*b*) In altero autem privilegio *Gotefridus.*
(*c*) Ap. Ludewig *V idus maii.* Ita correxit Boehmerus ex originali.
(*d*) Sic. Recte tamen *III.*

Frankenvort, 19 maii.

Fridericus, Romanorum rex, Philippo de Bolanden, Hugoni de Starkinburg, sculteto in Neirstein, universisque ministerialibus in Ingilnheim, Gerinsheim et Neirstein constitutis, ad querelam capituli in Frankenfort, mandat ut nonam partem proventuum de bonis imperialibus in praedictis tribus villis ei integraliter assignent et ablata restituant.

(Ediderunt Wurdtwein, *Dioces. Mogunt. in archidiac. distinct.*, t. II, p. 419, n° 133. — Boehmer, *Cod. diplom. Moenofrancof.*, t. I, p. 22.)

Fridericus Dei gracia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, Philippo de Bomlandin, Hugoni de Starkinburc, sculteto in Neirstein, universisque ministerialibus et plebi in Ingilnheim, in Gerinsheim et in Neirstein constitutis gratiam suam et omne bonum. Querela gravis decani tociusque capituli in Frankinwurt nobis patefecit quod cum a trecentis annis retroactis et eo amplius predecessorum nostrorum sancte memorie imperatorum et regum liberalis munificentia nonam partem proventuum de bonis imperialibus in predictis villis ad subsidium sustentamenti in ipsa ecclesia Domino famulancium libere contulisset, sicut per ipsa privilegia a memoratis imperatoribus et regibus concessa nobis in Frankinvurt liquido fuit monstratum, et eosdem proventus ex tunc usque ad tempora nostra pacifice possedissent, jam per plures annos ipsis proventibus sint violenter destituti. Unde cum quadam ammiratione sumus non in minuto indignati quod ecclesia ista vel alia elemosinis de tam pia largitate regalis munificentie sibi erogatis temporibus nostris deberet destitui, cum potius elemosine de nostra benignitate teneantur non minui, sed augeri. Volentes ergo pia predecessorum nostrorum facta non irritari, sed inviolabiliter observari et sepedictam ecclesiam prefatorum proventuum nona sua diutius non fraudari, universitati vestre sub obtemptu gracie nostre mandando firmiter precipimus quatinus capi-

tulo prememorato, sicut dictum est, nonam partem omnium proventuum de bonis imperii in tribus villis prenominatis sine diminutione pariter et condicione integraliter assignetis, et ablata ne de hiis querelam audiamus restituatis.

Datum Frankinwurt, XIIII kalendas junii, anno Domini M CC XV, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, conventui in Otterberg Cisterciensis ordinis confirmat donationem quorumdam bonorum in Santbach ab Ulrico quondam majore praeposito Wormatiensi eidem ecclesiae factam : quae bona Wernerus Kolbo frater ejusdem Ulrici monasterio resignavit et reddidit. Apud Lutram, 29 maii.

(Edider. FREY et REMLING, *Urkundenbuch des Klost. Otterberg,* ex cod. Bibl. Maguntinae, n° 13.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, rex Sicilie. Confirmando ecclesiis Cysterciensis ordinis bona quecumque justo acquisitionis titulo, sive emptione, sive fidelium largitione acquisita et in his pacem eis perpetrando, et in futurum contra malitiam perversorum hominum premuniendo, confidimus ipsorum orationibus Deo commendari et regnum temporale nobis confirmari et consequi posse sempiternum. Ad notitiam igitur omnium fidelium nostrorum presentium et futurorum volumus pervenire quod Ulricus quondam major prepositus Wormatiensis ecclesie quedam bona videlicet in Santbach cum jure patronatus ecclesie ipsius ville, que eum jure contingebat cum adhuc viveret, liberaliter contulit ecclesie in Otterburg. Eo vero mortuo, frater suus Wernerus Kolbo (1) eadem bona sibi protestative usurpavit; post-

---

(1) In altero documento ejusdem codicis n° 32, vir iste se quoque intitulat : *Ego Wernherus dictus Kolbo de Wartenberg.*

modum vero recognoscens se injuste fecisse et jamdicte ecclesie vim et injuriam intulisse, ductus penitentia, in presentia nostra dum nos essemus apud Lutram constituti, prefata bona in Santbach cum jure patronatus ipsius ville ecclesie, sicut ipse Ulricus major prepositus Wormatiensis adhuc vivens tenuit et antedicte ecclesie in Otterburg contulit, resignavit et per manus nostras reddidit. Nos igitur hanc donationem ratam habentes, ipsam presentis scripti publici et auttentici (*sic*) confirmamus. Statuimus igitur et regia precipimus auctoritate ne aliquis prenotatam ecclesiam in Otterburg in prefatis bonis in Santbach molestare presumat vel aliquo modo inquietare. Quod qui facere contumaciter attemptaverit, iram et indignationem nostram se sciat incurrisse.

Hujus rei testes sunt Theodoricus Treverensis archiepiscopus, Conradus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, Ludovicus comes palatinus Rheni et dux Bavarie, Theobaldus dux Lutaringie, comes Albertus de Eberstein, comes Sibertus, comes Fridericus de Liningen, comes Heinricus de Geminoponte, Wernherus de Bolanden dapifer imperii, Philippus de Bolanden, Waltherus pincerna de Scipha, Anshelmus de Justingen marscalcus imperii, Rainhardus de Lutra, et alii quamplures.

Datum apud Lutram, anno dominice incarnationis M CC XV, IIII kalendas junii, indictione III.

Apud Lutram, 2 junii.

Fridericus, Romanorum rex, fideli suo Reinhardo de Lutra pro devoto ejus servitio jus patronatus ecclesiae Ramstein et filiarum Wilrebach et Spechbach in rectum feudum concedit.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, t. XXXI, pars 1ᵃ, p. 484, coll. cum REMLING, *Gesch. der Klöster Rheinbaierns*, t. II, p. 387, ubi notae chronologicae ex originali apud Confluentiam asservato emendantur.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Notum facimus universis presentem paginam inspecturis quod nos

propter devota servitia que dilectus fidelis noster Reinhardus de Lutra (1) jam nobis exhibuit et Domino dante in posterum nobis est exhibiturus, ut de devoto ipsum nobis devotiorem redderemus, in rectum feudum concessimus ei et suis legitimis heredibus in perpetuum jus patronatus in ecclesia que nuncupatur Ramstein et filiabus ecclesiis ad ipsam pertinentibus, videlicet Wilrebach et Spechbach; volentes ut ipse in perpetuum et legitimi heredes ejus in memorata ecclesia cum predictis ecclesiis sibi pertinentibus jus patronatus in quieta pace habeat et possideat. Ad cujus rei etiam in posterum memoriam, presentem paginam conscribi jussimus et majestatis regie bulla consignari.

Datum apud Lutram, anno Domini M CC XIV (*a*), IV nonas junii, indictione tertia.

Sifridus, Moguntinus archiepiscopus et Apostolicae Sedis legatus, in praesentia Friderici Romanorum regis confirmat coenobio in Aulisburg quidquid fundatores ejusdem loci et praedecessores sui praedicto monasterio contulerunt. Apud Wurzburg, 10 junii.

(Edider. Jongelinus, *Notit. abbat. ordin. Cisterc.*, lib. III, p. 58. — Kuchenbecker, *Analect. Hass.*, coll. IV, p. 347. — Guden., *Cod. diplom. Mogunt.*, t. I, p. 432, nº 164. — Exhibemus tantummodo quod ad rem nostram attinet, scilicet nomina praecipuorum testium et notas chronologicas, quae sunt ita :)

Testes hi fuerunt Fridericus electus rex Romanorum ac semper augustus, rex Sicilie et dux Apulie, Albertus Magdeburgensis archiepi-

(*a*) Sic, sed luce clarius *MCCXV*.

(1) In notitia ex archivo Spirensi deprompta et in *Monum. Boicis* ibid. memorata, videmus Reinhardum de Lutra, scultetum Lutrae Caesareae ann. 1220, fuisse dominum de Hoheneck ejusque filium Syfridum de Hoheneck jus patronatus praedictum ann. 1253 donasse monasterio Einsidel prope Lutram, sub expressa donationis Friderici relatione. Reinhardus de Lutra porro notatur testis apud Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, nº 371, et sub anno 1216, nº 403.

scopus et Apostolice Sedis legatus, Otto Wirzeburgensis episcopus, Cunradus abbas Sancti Jacobi in Moguntia, Ditmarus abbas de Bredelare, Giso abbas de Breidenowe, etc., etc., Ludewicus et Gozmarus germani fratres comites in Zigenhagen, Wernerus comes de Battenburg, Godefridus de Eppenstein, Gerlacus de Budingen, etc., etc.

Acta sunt hec apud Fritslar, anno incarnationis Domini M CC XV, tertio nonas junii, et ad finem usque deducta apud Wirzeburg (1), coram rege et principibus nobilibusque quamplurimis militibus et servis, quarto idus junii, pontificatus nostri anno quarto decimo, Romanorum rege Friderico regnum Sicilie et ducatum Apulie gubernante, feliciter, sanctissimo patre nostro Innocentio Romane Ecclesie presidente, fideliter. Amen.

Apud Ulmam, 20 junii.

Fridericus, Romanorum rex, monasterii in Weingarten possessiones et jura omnia confirmat, decernens quid in jure censualium sive morticinorum eidem ecclesiae cedere debeat, si homo ecclesiae sine haerede aut haerede relicto defunctus fuerit; jus simul ejusdem monasterii de novalibus in sylva Altorfensi excultis diffinit.

(Inedit. ex originali in arch. Stuttgartensi, sigillo deperdito.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Consuevit regalis benignitas ecclesias Dei in suo jure manutenere et eorum profectibus et commodis divite vena largitatis uberius providere. Notum sit igitur universis presentis etatis et in evum successure posteritatis hominibus quod nos ecclesiam que Winegarten nuncupatur, imitatione progenitorum nostrorum, occulo clementie respicientes et ipsius utilitati semper intendere proponentes, universas possessiones quas a prima fun-

---

(1) Scilicet 3 junii apud Frizlar, postea apud Ziegenhain et denique apud Wirzeburg res peracta fuit, ut videndum est ex instrumenti serie.

datione ipsa ecclesia habuit, omnia quoque jura et consuetudines quas sub predecessoribus nostris usque ad tempora nostra habere consuevit, regia auctoritate ipsi ecclesie confirmamus; decernentes ut in jure censualium sive morticinorum quod vulgariter Val dicitur, si sine herede aliquis homo ipsius ecclesie defunctus fuerit, omnia que reliquerit sive in mobilibus sive in immobilibus usui ipsius ecclesie cedant. Si vero defunctus pueros habuerit qui condicionem suam sequuntur, quod vulgo dicitur Gnoz, tunc inter habita quod melius fuerit sicut vulgariter dici solet Turestegut, ad usum ecclesie cedet. Si vero pueri condicionem paternam non sequuntur, tunc medietas omnium habitorum et possessorum pueris cedet, alia vero medietas ecclesie remanebit. De novalibus quoque in silva Altorfensi excultis, sicut antea nos fecisse recognoscimus, ita quoque denuo per hoc privilegium sepedicte ecclesie plenum jus in perpetuum conferimus, ut quantumcumque per excisionem lignorum vel fruticum ad culturam agrorum homines ecclesie elaborare poterunt, totum ipsi ecclesie in quieta possessione perpetuo pertinebit. Quicumque etiam aliorum hominum cuicumque pertinencium in novalibus dicte silve aliquid elaboraverit, de laboribus suis dicte ecclesie decimam persolvet. Ad cujus rei perennem memoriam, presentem paginam conscribi jussimus et majestatis nostre bulla consignari; regia auctoritate districte precipientes ut nulli unquam persone licitum sit hanc nostre confirmationis divalem paginam infringere seu aliquo ei temeritatis ausu obviare. Quod qui facere presumpserit, in sue presumptionis penam centum libras argenti examinati componat, quarum medietas fisco nostro, reliqua vero medietas passis injuriam persolvatur. Qui vero penam hanc persolvere nequiverit, gratia nostra perpetuo expers erit.

Testes hujus rei sunt C. abbas Elwacensis, comes Albertus de Everstein, Eberhardus dapifer de Tanne, Cuonradus de Winthersteten, Hermannus Gnuftingus (1) marscalkus, et alii quamplures.

Datum apud Ulmam, XII kalendas julii, indictione III.

---

(1) Scilicet *Hermann Knufting de Raderai* seu *Raderach*, in dioecesi Constantiensi. Vid. Staelin, *Wirtemb. Gesch.*, t. I, passim.

Apud Ulmam, 20 junii.

Fridericus, Romanorum rex, coenobium de Lorch a progenitoribus suis fundatum cum personis et universis bonis ejus sub speciali sua recipit protectione, et advocatiam ejusdem coenobii nunquam alienandam in manus suas retinet.

(Edider. CRUSIUS, *Annal. Suev.*, pars III, p. 3.—BESOLD, *Docum. rediv. monast. Wurtemb.*, t. I, p. 449.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Ad eterne vite felicitatem et temporalis regni nostri incrementum nobis credimus proficere, si ecclesiis Dei optatam providere curaverimus quietem et circa commodum earum curam et operam impenderimus diligentem. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentis evi quam futuri duximus declarandum quod nos cenobium de Lorche a progenitoribus nostris in honore perpetuo Dei genitricis et Virginis Marie feliciter fundatum ac de propriis ipsorum prediis donatum, sub nostre majestatis cum personis Domino illuc famulantibus et cum universis bonis suis mobilibus et immobilibus ubicunque constitutis necnon cum mancipiis utriusque sexus specialem recepimus protectionem. Confirmantes eidem monasterio quecumque bona in presentiarum legitime possidet vel in posterum prestante Domino justis modis poterit adipisci. Ad hec visis et diligenter inspectis progenitorum nostrorum privilegiis, Friderici ducis ejusdem loci primi fundatoris, Conradi regis, Friderici imperatoris avi nostri, ad imitationem eorumdem de predicti cenobii profectibus solliciti semper esse cupientes, tam ipsius montis in quo monasterium situm est quam etiam omnium bonorum suorum longe vel prope constitutorum advocatiam ab hodie in antea in nostram et heredum nostrorum accipimus potestatem, volentes eam totam et integram nostro et heredum nostrorum dominio esse subjectam ad honorem et reverentiam Virginis intemerate; statuentes et

firmiter precipientes ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica sive secularis, audeat se intromittere de predicta advocatia vel ejus pertinentiis aut ipsam vel in parte vel in toto de nostra vel heredum nostrorum potestate unquam aliqua calliditate alienare. Quod qui facere presumpserit, iram omnipotentis Dei et nostre sublimitatis gravem offensam se noverit incurrisse, atque in vindictam sui reatus mille libras auri examinati componat, dimidium camere nostre, reliquum passis injuriam persolvendum. Ad hujus etiam facti nostri robur perpetuum, presens exinde privilegium conscriptum sigilli nostri charactere jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Conradus Ratisponensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Hartwicus Eistetensis episcopus, Cono Elwacensis abbas, comes Albertus de Everstein, Rudolfus palatinus comes de Tuvingen, comes Ulricus de Helfenstein, comes Egeno de Urach et filius suus, Anselmus marscalcus de Justingen, Bertoldus de Druchpurg, Albertus de Stuzzelingen, Bertoldus de Bundelach, Dieto de Ravenspurc, Berengerus de Ravenstein, Eberhardus dapifer de Tanne, Conradus de Tanne, Conradus et Bernoldus de Stouphen, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo CC XV, indictionis III, regnante domino Friderico Romanorum rege glorioso et rege Sicilie, anno regni ejus tertio (*a*).

Datum apud Ulmam, XII kalendas julii.

Fridericus, Romanorum rex, claustrum Roth cum personis et omnibus pertinentiis ejus sub speciali sua tuitione recipit, quidquid ministeriales sui eidem ecclesiae contulerint concedit, eique confirmat bona et allodium in manus suas resignata. Ulmae, 21 junii.

(*a*) Annus regni deest in uno duorum originalium quae perlegit Besoldus.

(Edider. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 454. — PAPPENHEIM, *Chronik der truchsess von Waldburg*, p. 376.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ad regalis excellentie spectat pietatem commodo et profectui ecclesiarum Dei intendere et personis ecclesiasticis in obsequiis divinis militantibus pacem et tranquillitatem contra seculares tumultus providere. Inde est quod nos volentes personas apud claustrum quod Rothe dicitur in pace et quiete Domino jugiter famulari, nos ipsam ecclesiam et personas cum omnibus ejus pertinentiis sub specialem regie potestatis et majestatis tuitionem recipimus, eamque quam et propriis possessionibus nostris securitatem et pacem ipsis impertimur. Quicunque igitur memoratam ecclesiam aliquatenus vel in personis vel in possessionibus suis ledere presumpserit vel aliquam eis injuriam seu gravamen irrogare, regie indignationis offensam se noverit graviter incursurum. Item de regie quoque liberalitatis dono dicte ecclesie id concedimus ut quicunque de ministerialibus nostris pro remedio anime sue de proprietatibus suis mobilibus sive immobilibus ipsi ecclesie aliquid contulerit, id nos ratum et gratum habemus, et id ipsi ecclesie perpetualiter permanendum confirmamus, necnon bona que milites in Strumbhart et Hetinbuch in manus nostras apud Ezzilingen resignaverunt et allodium in Tanheim vobis (*sic*) in presenti transmittimus pro anime nostre remedio. Insuper omnis querimonia ejusdem cenobii seu incommodum ab aliquo eis illatum dapifero et aliis regie auctoritatis, judicibus pronuntietur firmiter sedandum, et ex hinc presentem paginam conscribi jussimus et regie majestatis sigillo confirmari.

Datum Ulme, anno incarnationis dominice M. CC. XV, XI kalendas julii, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, bona monasterii Hirsaugiensis in sua protectione suscipit et advocatiam ipsorum bonorum a manu sua nunquam alienandam promittit.

Apud Hagenowiam, 8 julii.

(Edider. Besold, *Docum. rediv. monast. Wurtemb.*, t. I, p. 553, et brevius Scheid, *Origin. Guelf.*, t. II, p. 559.—Memorat. ap. J. Trithemium, *Chronic. Hirsaug.*, t. I, p. 524.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, etc. [Recenset bona et praedia monasterii, scilicet Essingin, Rothe, Rotingen, Sceruilre, Wingarte, et praedium quoddam in Heilbrunnin quod inclytus dux Welpho ipsi ecclesiae Hirsaugiensi contulit. Inde pergens :] Nos autem utilitati prefate ecclesie Hirsaugiensis consulere volentes et juxta discretionem nostram providere ne unquam aliquid adversitatis jamdicte ecclesie contingat, unde justam causam habeat conquerendi et quod quies ejus aliquo modo possit perturbari, jamdicta bona Hirsaugiensis ecclesie in nostra semper esse volumus protectione, et illam advocatiam ipsorum bonorum a manu nostra nunquam alienabimus nec ipsam advocatiam alicui in feudum concedemus, et si jam forte per circumventionem factum est, in irritum revocamus. Scire etiam universos volumus quod nos, ad imitationem ipsorum antecessorum nostrorum et specialiter F. avi nostri et H. patris nostri, Romanorum imperatorum augustorum, illam nobis reservavimus libertatem quod nos, si forte illi in quorum procuratione ex commissione regia eadem jam est advocatia, bona ecclesie dissipaverint et ipsum abbatem aut homines suos in predictis bonis et eorum tenimentis indebite molestaverint, ipsam ab eis tollemus commissionem, et alicui de scultetis nostris ad commodum prefate ecclesie Hirsaugiensis committemus tenendam aut alicui fidelium nostrorum, ad instantiam petitionum ipsius abbatis Hirsaugiensis, quem noverimus ipsi ecclesie expedire. Ut autem istud a nobis ipsis et nostris

successoribus firmum observetur, hoc presens publicum instrumentum et autenticum conscribi jussimus et sigillo nostro communiri. Statuimus igitur et sub pena gratie nostre firmiter precipimus ut nemo sit qui contra hec que prescripta sunt aliquo modo venire presumat. Quod qui facere presumpserit, iram et indignationem nostram se sciat graviter incurrisse.

Hujus rei testes sunt Cunradus Metensis et Spirensis ecclesie episcopus et imperialis aule cancellarius, Heinricus Argentinensis episcopus, abbas de Selsa, Policastrensis episcopus, Cunradus prepositus de Tanna, comes Albertus de Everstein, comes Sibertus de Werda et Henricus filius ejus, comes Heinricus de Saraponte, comes Fridericus de Liningen, Eberhardus de Eberstein, Merboto de Malberch, Conradus de Horburch, Fridericus de Scowinburch, Rudolfus de Razinhusen, Sifridus marscalcus de Hagenowia, et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Hagenowiam, anno dominice incarnationis MCCXV, VIII idus julii, indictione III.

Hagenowiae, 9 julii.

Fridericus, Romanorum rex, Honawiensem ecclesiam in Alsatia cum universis ejusdem loci personis omniaque earum bona in suam recipit perpetuam protectionem, scultetum in Ehenheim et scultetum in Hagenowia instituens ut eamdem ab omni malefactore defendant.

(Inedit. in archivo praefect. Strasburg., ex originali inter instrumenta dicta *Titres de la collégiale de Saint-Pierre-le-Vieux*. Sigillum filis sericis amarantini coloris dependens crassiore modo impressum est, et in parte superstite distinguntur adhuc litterae FRID. Licet scriptura de dextro in laevum inflexa sit, quod rarius in hujus aevi chartis animadvertitur, nihil est unde contra privilegii sinceritatem aliquid dubii oriatur.)

F. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, universis imperii fidelibus hanc paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Commodis et utilitatibus omnium ecclesiarum omnimodis inten-

dentes, eas majori cura atque gratie nostre ampliori serenitate respicere procuramus quas diligentiori fidelitate et specialiori dilectione nostris recognoscimus inhiare servitiis. Quapropter presentis scripti patrocinio sigillo regie majestatis communito ad noticiam volumus pervenire quod nos de consueta regie celsitudinis benivolentia locum et ecclesiam Honawiensem cum universis ejusdem loci personis, tam ecclesiasticis quam secularibus, omniaque eorum bona que nunc juste possident vel de cetero erunt consecuturi cum omni jure et honore suo, in nostram recepimus perpetuam protectionem; universis sub interminatione gratie nostre precipientes ne aliqua omnino persona humilis vel alta ullo unquam tempore locum illum et personas et bona eorum, sicut predictum est, in regia protectione constituta aliquo modo invadere, molestare sive dampnificare vel in jure et honore eorum ipsis obviare presumat. Et ne persone memorate super his cogantur a suis malefactoribus frequentem ad nostrum patrocinium habere recursum, dilectos fideles nostros scultetum de Ehenheim et scultetum in Hagenovia ad hoc instituimus quod ipsi vice et auctoritate regia istius protectionis nostre sint executores; debita quoque ipsorum ubi necesse habuerint districte repetentes, ab omni malefactore eorum ipsos defendant. Si quis autem aliquocumque tempore sua presumptione contra hanc serenitatis nostre gratiam aliquid facere attemptaverit, sciat se indignationem ire nostre cum debita pena incurrisse.

Datum Hagenowie, anno Domini millesimo CC° XV, VII idus julii, indictione tercia.

Fridericus, Romanorum rex, post promotionem Bartholomaei regiae capellae Panormitanae cantoris ad episcopatum Syracusanum, Jacobum filium Matthaei de Romanis canonicum ibidem instituit, eique concedit praebendam cum portione beneficii de redditibus molendini Monachiae. 15 julii.

(Edider. R. PIRRUS, *Sicil. sacr., Notit. reg. capell.*, t. II, p. 1359. — GAROFALO, *Tabul. reg. et imper. capellae divi Petri*, p. 46, n° 30.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, subcantori et capitulo cappelle palatii nostri (*sic*) Panormi, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Notum facimus devotioni vestre quod quia cito nobis innotuit de promotione Bartholomei condam cantoris ad episcopum Syracusanum (*a*), de gratia nostra statuimus Jacobum filium Matthei de Romanis (1) canonicum in ipsa cappella nostra, [et] concessimus ei prebendam quam idem Bartholomeus renunciavit, cum illo beneficio quod hactenus vobiscum percipiebat in molendino Monachie. Quare mandamus vobis et precipimus quatenus ipsum Jacobum canonicum vestrum recipientes, stallum ei assignetis cum prebenda, et tam de comunibus quam de redditibus molendini de Monachia (*b*), sicut dictus Bartholomeus hactenus percipiebat, integram eidem Jacobo canonico vestro detis portionem.

[Datum. . . . .,] anno M. CC. XV, XV julii, III indictione.

Aquisgrani, 24 et 25 julii.

In vigilia beati Jacobi apostoli, Fridericus rex Siciliae cum quibusdam principibus et nobilibus totius Lotharingiae Aquisgrani

(*a*) Ap. Pirrum *episcopium Syracusarum.*

(*b*) Sic, sed prima vice ap. Pirrum, *Monarchie.* De hoc molendino nulla notitia.

(1) In litteris apud Pirrum per quas Octavianus, Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis, capitulo regiae capellae grates agit quod eumdem Jacobum inter se canonicum libenter admiserint, Matthaeus iste nominatur *Mattheus de Movimento, consul Romanorum et comes Corsie et Calinensis.* At in aliis quae in *Tabulario* Garofali ad ann. 1230 referuntur de electione cujusdam Joannis Fortiibrachii, canonici S. Mariae Transtiberinae et Tridentini, Octavianus pater ejus se nominat : *Octavianus de Monumento, Dei et regis gratia comes Coxie et Caleni et Romanorum consul,* scilicet ut videtur Romanorum consul apud Panormum. Nomen autem hujus Romanae familiae recte legendum est *de Monumento,* sicut nos monet auctor *Gest. Innoc. III,* ap. Raynald. ad ann. 1199, § X.

veniens (1), sequenti die, scilicet in festo Sancti Jacobi, a Sifrido legato Apostolicae Sedis, Coloniae archiepiscopo non existente, in regem ungitur et in regali sede collocatur. Quo mox consecrato, Johanne Xantensi scholastico crucem ibidem praedicante, ad subventionem Sanctae Terrae crucesignatur. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes,* t. II, p. 352. Cf. REIN. LEOD., *Ibidem*, p. 384, et EGID. ap. CHAPEAVILLE, t. II, p. 237.

Feria secunda, missa solemniter celebrata, idem rex corpus beati Carlomanni (Caroli Magni) quod avus suus Fridericus imperator de terra levaverat, in sarcofagum nobilissimum quod Aquenses fecerant auro argento contextum (2) reponi fecit, et accepto martello depositoque pallio, cum artifice machinam ascendit, et videntibus cunctis cum magistro clavos infixos vasi firmiter clausit. Reliquum diei praedicationi cessit (3). REIN. LEOD. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 384. Aquisgrani, 27 julii.

---

(1) Deditionem Aquisgrani ita narrat Reinerus Leodiensis : « Aquenses qui diu Ottoni adhae» serant et Fridericum ignorabant, sano habito consilio, nec immemores beneficiorum quae ab » avo et patre praedicti Friderici acceperant, ... ab Ottone recedunt, Friderico adhaerentes. » Cum tamen haberent plurimos tam de oppido quam de vicinis locis in hoc sibi non consen» tientes, . . . seras quas Arnulfus judex in portis fecerat frangunt et eum in munitionem » quam juxta palatium fecerat impellunt. Regi Friderico scribunt ut veniat pacifice, quia pa» rati sunt eum tanquam dominum suscipere. »

(2) De isto sarcophago usque ad hodiernum diem superstite, cf. QUIX, *Beschr. der munsterkirche in Achen*, p. 73.

(3) Nomina praecipuorum crucesignatorum retulit Godefridus Coloniensis : scilicet Sifridum Moguntinum archiepiscopum, Leodiensem, Babinbergensem, Pataviensem, Argentinensem episcopos, Meraniae, Brabantiae et de Limburg duces, palatinum comitem de Tuingen, marchionem de Baden, comites de Los, de Juliaco, de Seine, de Monte, aliosque plurimos equestris ordinis. Inter praedicatores singularem locum habebat Conradus decanus Spirensis, qui sex abhinc annis ad episcopatum Hildeshemensem evectus est.

Aquisgrani, 28 julii.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam Sancti Servatii Trajectensem sub specialem protectionem suam suscipit, et omnia privilegia ab antecessoribus suis ei indulta confirmat.

(Edidit MIRAEUS, *Oper. diplom.*, t. IV, p. 228, coll. cum chartul. S. Servatii, MSS. in Bibl. reg. Paris., t. I, p. 24 — 53 in confirm. Rudolphi regis; — t. II, p. 150; — t. III, p. 46 verso — 217 recto. Sigillum cereum filis sericis rubri coloris quondam appensum in codice describitur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Cum privilegia ecclesiarum ab antecessoribus nostris imperatoribus sive regibus concessa et indulta, quibus ipse ecclesie privilegiate sunt et contra hominum malitiam munite, conservamus illibata et ab omnibus conservari precipimus inviolata, Deo in hoc credimus ministerii nostri exhibere obsequium et successoribus nostris exemplum relinquimus, ut ipsi modo consimili, nobis sublatis de medio, ea conservent que nos per privilegia nostra quibuscumque confirmamus. Notum sit igitur universis presentem paginam inspecturis quod nos ecclesiam Beati Servatii Trajectensem que specialiter attinet imperio, sub specialem majestatis nostre suscepimus protectionem; omnia quoque privilegia ab antecessoribus nostris imperatoribus sive regibus dicte ecclesie indulta et concessa, quibus ipsa ecclesia privilegiata et munita est, auctoritate regia confirmamus. Volumus quoque et districte precipimus ut quicquid ex gratia ipsorum imperatorum sive regum sepedicte ecclesie Trajectensi indultum sive concessum est, ab universis inviolabiliter observetur. Duximus tamen quedam que eidem ecclesie per privilegia ipsorum imperatorum sive regum indulta et concessa sunt, specialiter exprimenda. Statuimus igitur ut omnes officiales pretaxate ecclesie Beati Servatii in Trajecto et ministri de villis ipsius ecclesie (*a*) et officiales et ministri ejusdem ecclesie in oppido

(*a*) Ap. Miraeum repetitur *Beati Servatii in Trajecto.*

Trajectensi, scilicet pistores, coci, cellerarii, bracedarius (*a*), campanarii et ceteri claustrales ministri ab omni exactione liberi sint et jure civili et forensi, cujuscumque mercationis vel negotiationis fuerint, et in se proclamantibus et de se conquerentibus sub conductu domini et magistri sui satisfacient. Districte etiam hoc privilegium observari ab omnibus precipimus, sive jurisdictio nostra ejusdem oppidi Trajectensis obligetur, vel quocumque modo alienetur. Ut autem hoc privilegium et alia privilegia eidem ecclesie tradita perpetuo stabilia et inconvulsa permaneant, hoc presens publicum et authenticum instrumentum inde conscribi fecimus, et sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Datum Aquisgrani, dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo decimo quinto, quinto kalendas augusti, indictione tertia.

Fridericus, Romanorum rex, scabinis et mansionariis ad villam et praedium in Vreren pertinentibus scribit se velle donationem villae ejusdem et praedii a patre suo ecclesiae Leodiensi factam in perpetuum observare, mandans insuper ut de omni fructu plene respondeant clericis ejusdem ecclesiae. Aquisgrani, 28 julii.

(Inedit. ex privil. divers. B. in arch. reg. Bruxellensi, *Chambre des Comptes,* t. I, fol. 48 recto. Descripsit Lefort, cod. XVIII, 89, in archivo Leodiensi, ex originali pergamena cui a dorso impressum erat sigillum.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, scabinis et mansionariis ad villam et predium in Vreren pertinentibus gratiam suam et omne bonum. Sciatis quod sicut karissimus pater noster H. Romanorum imperator villam et predium in Vreren cum omni jure et utilitate tam in bonis quam hominibus libere dedit ecclesie Leodiensi, ita hanc donationem volumus firmam in perpetuum observare

(*a*) Alias *bracedarii.*

nullumque in bonis predictis preterquam nos volumus unquam esse advocatum. Mandamus igitur vobis et firmiter precipimus quatinus predicte ecclesie Leodiensi et clericis qui ad altaria duo a patre nostro facta ibidem deserviunt, juxta mandatum majoris decani de omni fructu et utilitate de cetero plene et fideliter respondeatis.

Datum Aquisgrani, quinto kalendas augusti (1).

Aquisgrani, 28 julii.

Fridericus, Romanorum rex, Cunradum puerum, filium Lodoyci de Stolberch haereditarii ministerialis sui, Sancto Kyliano tradit et offert, ut sit ministerialis Herbipolensis ecclesiae, et pertineat ad officium dapiferatus hujus ecclesiae.

(Editum ap. *Monum. Boica,* tom. XXX, p. 32, num. DCXIV, ex originali unde sigilli fracti et maxima parte destructi ex filis sericis rubri, viridis et albi coloris tria tantum fragmenta appendent.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ne forte ea, que per nos facta sunt, processu temporis revocentur in dubium, quasi non facta juxta considerationem, dignum censuimus ea scriptis autenticis commendare ut si de hiis incipiat questio suboriri, quod factum sit scripture testimonio comprobetur. Ad notitiam igitur omnium fidelium nostrorum presentium et futurorum volumus pervenire quod nos unum de pueris fidelis nostri Lodoyci de Stolberch, qui nostri ministeriales sunt hereditarii, Curradum nomine, dedimus Sancto Kyliano, ita ut ipse de cetero sit ministerialis Erbipolensis ecclesie et pertineat ad officium dapiferatus ipsius ecclesie. Dedimus quoque jam licentiam et auctoritatem dilectis fidelibus nostris Sibotoni de Luden

---

(1) Deest in transumpto et etiam in originali notatio indictionis. Sed quin ibi litterae istae collocandae sint, non dubium.

et Friderico de Druhindingen ut ipsi jamdictum puerum, Curradum scilicet nomine, filium jamdicti Lodoyci de Stolberch, ex parte nostra offerant altari Sancti Kyliani majoris ecclesie in Erbipoly, sicut verum et justum ministerialem.

Hujus rei testes sunt Lodoycus dux Bawarie, comes Albertus de Ebersteyn, Guarnerius de Bollan (Bolandia) senescalcus imperii, et Philippus frater suus, Walterus de Siph pincerna, Albertus de Niefen, Henricus magister coquine de Rotinburc, et alii quamplures.

Ut autem hec nostra donatio perpetue firmitatis robur optineat, hoc presens et autenticum instrumentum conscribi jussimus et sigillo nostro communiri.

Datum Aquisgrani, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quintodecimo, quinto kalendas augusti, tertie indictionis.

Fridericus, Romanorum rex, privilegia omnia a Carolo magno et antecessoribus suis civitati Aquisgrano concessa renovat et confirmat.

Aquisgrani in solemni curia, 29 julii.

(Ediderunt QUIX, *Geschichte der Stadt Aachen,* urkund., n° 126, quibusdam minus correcte transcriptis. — LACOMBLET, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.,* zw. Band, p. 26-27, n° 51, ex origin. in archivo civit. Aquisgrani. Aurea bulla ann. 1835 adhuc appendebat.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regalem decet sublimitatem paci et tranquillitati omnium intendere et sua unicuique jura in statu solido conservare. Unde sicut equitas justicie et regni auctoritas nos ammonent, quieti fidelium nostrorum et justicie toto nisu volumus providere; et quoniam Aquisgranum ubi primo Romanorum reges initiantur et coronantur, omnes provincias post Romam et civitates dignitatis et honoris prerogativa precellit, congruum et rationabile est ut

exemplo domini et sancti Karoli aliorumque predecessorum et progenitorum nostrorum, eundem locum et omnes inhabitantes regalis defensionis et nostre clementie privilegiis, libertatis et bonarum consuetudinum confirmatione quasi muro et turribus muniamus. Verum quoniam ab humana facilius elabuntur memoria que nec scripto nec testibus eternantur, sciant universi presentes et posteri quod nos fidelium nostrorum Aquensium precibus annuentes, omnem justiciam et libertatem quam gloriosus predecessor noster Karolus magnus Romanorum imperator, semper augustus, eis pre ceteris dedit, et omnia que avus et pater noster Fridericus et Heinricus serenissimi Romanorum imperatores aliique predecessores nostri contulerunt, eis confirmamus, et lege in perpetuum valitura roboramus: scilicet ut non solum clerici et laici loci hujus indigene, sed et omnes incole et advene hic inhabitare volentes presentes et futuri sub tuta et libera lege ab omni servili conditione liberi vitam agant, ac omnes pariter ex avis et attavis ad hanc sedem pertinentes, licet alibi moram facientes, ab hac lege a nullo successore nostro vel ab aliquo machinatore legumque subversore infrangantur; nunquam de manu regis vel imperatoris alicui persone nobili vel ignobili in beneficio tradentur. Suas etiam negotiationes per omne Romanum imperium ab omni exactione thelonii, pedagii, curadie, vectigalis seu quocumque nomine vocetur, liberi et absque omni impedimento libere exerceant, sicut fecerunt temporibus antecessorum et progenitorum nostrorum. Nullus judex a nobis vel ab aliquo successore nostro Aquis constitutus nostra vel sua auctoritate vel alicujus successoris nostri, regis vel imperatoris, talliam vel precariam in predictos cives Aquenses faciat, nec eos ad aliquid dandum regi vel imperatori compellat, nisi quantum ipsi voluerint facere de bona voluntate. Injustam etiam et illicitam consuetudinem quam judices quandoque solebant accipere a venditoribus panis et cervisie in gravamen tocius civitatis, penitus amovemus. Renovamus etiam eis et confirmamus ut nullus prenotatos cives nostros Aquenses ad aliquod servitium ultra progredi compellat quam ut ipso die quo clara luce de domibus suis exierint cum splendore solis redire possint. Inhibemus etiam ne aliquis judex Aquensis a nobis vel ab aliquo successore nostro constitutus in

gravamen alicujus civis procedat, nisi prout ei dictaverit sententia scabinorum, ut in nullo predictorum fidelium nostrorum libertas mutiletur. Et ut hoc factum nostrum ratum et inconvulsum permaneat et totius perhennitatis robur optineat, presentem cartam conscribi et aurea bulla nostra fecimus insigniri.

Hujus rei testes sunt Sifridus Moguntinus archiepiscopus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Hugo Leodiensis episcopus, Eckebertus Bavenbergensis episcopus, Gerardus Osenbrugensis episcopus, Heinricus Argentinensis episcopus, Johannes Cameracensis episcopus, Cono Elewacensis abbas, Cesarius Prumiensis abbas, Florentius Indensis abbas, Lodewicus comes palatinus Rheni et dux Bauwarie, Heinricus Lothoringie, Otto dux Meranie et palatinus comes Burgundie, Heinricus dux Lenburgensis, Walleramus comes de Lutcelenburc, Heinricus comes Barrensis, Willelmus comes Juliacensis, Adolfus comes de Montibus, Lodewicus comes de Lon, Gerardus comes de Gelre, Albertus comes de Everstein, Lodowicus comes de Wirtenberc, Hugo comes de Tuingen, Gerardus comes de Dites, Anselmus marescalcus de Justingen, Warnerus dapifer de Bonlandia, Philippus frater ejus, Walterus pincerna de Scippe, Sevridus marescalcus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi, et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. XV, indictione tercia, regnante domino Friderico secundo Romanorum et Sicilie rege gloriosissimo, anno regni ejus tercio.

Datum in sollemni curia Aquisgrani, quarto kalendas augusti.

Fridericus, Romanorum rex, sententiam coram se a principibus imperii latam confirmat, quod apud Verodunum neque juramenta neque munitiones neque tributorum exactiones ex parte burgen- Aquisgrani, 29 julii.

sium fieri debeant sine permissione regis ac episcopi assensu, dum sint jura ad dominium civitatis pertinentia.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 84, nº 144, ex cartulario Virdun. sibi a Waitz communicato.)

Hujus rei testes sunt, etc.

Datum Aquisgrani, anno dominice incarnationis M. CC. XV, quarto kalendas augusti, indictione III.

Aquisgrani in solemni curia, 29 julii.

Fridericus, Romanorum rex, Johanni episcopo Cameracensi plenariam dat investituram de regalibus, eique confirmat privilegium ab Ottone quarto in anno 1208 (1209) concessum, quo revocatur quoddam scriptum Friderici primi imperatoris, cujus occasione Cameracenses cives in episcopum insurrexerant, atque jurisdictio et regimen civitatis ejusdem eidem episcopo penitus assignantur.

(Inedit. ex cod. B. 1029 in Bibl. commun. Camer., pergam. sec. XIII, continente privilegia eccles. Camerac. hujus seculi et praecedentis, folio 103 verso — 105 verso. Mentio fit in codice de bulla aurea ad originale appensa, licet illa in ipso privilegio non memoretur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Ne que in nostra solempni aguntur curia lapsu temporum in oblivionis scrupulum relabantur, notum fieri volumus tam presentibus quam futuris quod dilectus et fidelis princeps ac consanguineus noster Johannes Cameracensis episcopus, facto nobis hominio et fidelitatis prestito juramento, cum integritate universi juris sui tam in privilegiis quam in aliis que ipse vel antecessores sui ab antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus tam Ottone dum esset catholicus quam aliis obtinuerant, plenariam investituram de regalibus suis in solempni curia Aquisgrani recepit

a nobis. Ea vero que in predicti Ottonis privilegio continentur dum esset catholicus, predicto episcopo et ejus successoribus apud Augustam (1) concesso, annotari specialiter presenti fecimus pagine in hunc modum :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto IIII[us], divina favente clementia, Romanorum rex, semper augustus. Quia labilis est humana memoria et turbe rerum non sufficit, predecessorum nostrorum scilicet imperatorum seu regum diva sanxit auctoritas res gestas scripture testimonio committere, quas labentium temporum antiquitas ab humana memoria consuevit subtrahere. Quorum nos imitabile secuti exemplum, posterorum memorie decrevimus transmittere quod fidelis et dilectus princeps noster Joannes Cameracensis episcopus graves regie majestati querimonias de civibus suis Cameracensibus frequenter proposuit, quod occasione cujusdam scripti quod inclite memorie predecessor noster dominus Fridericus imperator eisdem nomine pacis indulsit, jura episcopi et libertatem ecclesiarum in eadem civitate evacuare et infringere non desistunt, usque adeo quod eorum malitia in tantum invaluit adversus ipsum episcopum et ecclesias in Cameraco sitas quod merito sue pravitatis episcopi sui excommunicationem incurrerint, quam per triennium et amplius sustinuerunt contumaciter. Et licet venerabilis pater noster dominus Innocentius papa postmodum eamdem sententiam confirmasset et per provincias Francie auctoritate sua denuntiatam ore proprio promulgasset, ipsi nichilominus per tantum tempus in sua contumacia persistentes ad satisfactionem venire minime curaverunt. Insuper cum civitatis clerus eorum oppressiones ferre non valeret et excommunicationis contagium ex cohabitatione pertimescens cogeretur per idem triennium exulare, [per] sacerdotes apostatas et excommunicatos in injuriam Dei omnipotentis et elusionem ecclesiastice jurisdictionis divina sibi publice fecerunt in ecclesiis celebrare. Unde dictus episcopus humiliter et devote

---

(1) Idem Otto idem privilegium post coronationem suam in Italia renovavit, verbis tantum competenter mutatis et testibus : quod quidem legitur apud *Mémoire pour M. l'archevêque de Cambray,* pièces justificatives, p. 28, XVIII. Notae chronologicae ita sunt : « Datum anno incarnationis MCCX, apud castrum Plebis, mense januario, XIV kal. febr., indictione XIII. »

majestati nostre supplicavit ut scriptum illud quod malitie civium malignandi prestat materiam et fomentum, revocaremus, et tam ipsi quam ecclesiis suis in eadem civitate concederemus plenariam libertatem. Nos igitur attendentes devotionem et fidelitatem memorati episcopi principis nostri, et intolerabilem eorumdem civium insolentiam coercere volentes nec non indempnitati ipsius episcopi successorumque ejus ac cleri totius in perpetuum providere, de regie liberalitatis clementia et principum nostrorum consilio, predictum scriptum ne per ipsum de cetero dictis civibus vel aliis in ipsum episcopum et clerum malignandi detur occasio, et si quod aliud rescriptum prefati episcopi vel ecclesiarum libertati inveniatur adversum, auctoritate imperiali revocamus et viribus carere penitus decernimus; ipsamque civitatem Cameracensem cum omni jure, regimine et plenaria dispositione tam ipsi episcopo quam successoribus suis concedimus, nulla jurisdictione prefatis civibus nomine communie vel consuetudinum quas pacem nominant reservata. Statuimus igitur ut preter alia jura sibi competentia, memorato episcopo suisque successoribus in predicta civitate Cameracensi libere pro sua voluntate prepositos suos instituere liceat et scabinos discretos et bone opinionis viros, et cum ei placuerit, querelas civium audiet et terminabit vel prepositis suis audiendas et decidendas relinquet. Ut autem hec omnia pretaxata Cameracensi episcopo ejusque successoribus in evum rata permaneant et illibata, presentem exinde paginam conscribi et sigilli nostri munimine fecimus consignari. Si quis autem hanc nostre concessionis seu confirmationis divalem paginam infringere vel aliquo improbitatis ausu ei contradicere presumpserit, banno imperiali percussus, in sue presumptionis penam mille libras auri purissimi componat, quarum medietas fisco nostro, reliqua vero medietas injuriam passo persolvatur episcopo.

Testes autem hujus rei sunt Wolgerus patriarcha Aquilegensis, Otto Frisingensis episcopus, Manegoldus Pataviensis episcopus, Conradus Briczinensis episcopus, Engelardus Zizensis episcopus, Fridericus Tridentinus episcopus, Mainardus (*a*) Curiensis episcopus, Siffridus Augustensis

(*a*) Recte tamen legendum *Reinherus.*

electus, Ludovicus dux Bavarie, Otto dux Merannie, Gebehardus burgravius de Medeborch, comes Burcardus de Mannesfeilth, comes Albertus de Ebersten, Henricus marescalcus de Kalendin, Gonselinus dapifer de Wolfferbultel, . . . pincerna de Sciphe, Adam decanus Cameracensis, Gerardus archidiaconus, Robertus camerarius, Henricus canonicus Cameracensis, Balduinus capellanus, Jacobus Rotheracensis, et alii quamplures.

Acta sunt autem hec anno dominice incarnationis M° CC° VIII°, regnante domino Ottone glorioso Romanorum rege, anno regni ejus undecimo (1).

Nos igitur ut prelibato episcopo suisque successoribus et ecclesie sue libertates et jura sua tam in privilegiis quam in aliis universaliter ex integro conserventur, supradictum privilegium specialiter, quod jam nostrum per approbationem nostram fecimus, sub predicto modo et pena eis concedimus et confirmamus et presentis scripti patrochinio communimus; ipsum episcopum et ecclesiam suam in protectionem regie magnitudinis recipientes et omnes ecclesie sue libertates et universa jura tam in privilegiis quam in aliis eis corroborantes.

Testes vero sunt hii Maguntinus et Treverensis archiepiscopi, Osnaburgensis episcopus, Monasteriensis episcopus, major prepositus Beati Petri in Colonia, Godefridus Sancti Severini in Colonia canonicus et domini regis capellanus, magistri Johannes archidiaconus in Braibancia, J. thesaurarius, Michael canonici Cameraci, Johannes clericus predicti archidiaconi, Henricus Karreman clericus, L. dux Bavarie, H. dux Lothoringie, H. dux de Lenborch, comes Albertus de Ebersten, comes de Los, comes de Hostade, comes Guliacensis, G. comes de Diest, Walerannus comes de Luseneborc, Henricus de Dunes, et multi alii.

---

(1) Desunt in transumpto Friderici, vel ex consilio novi regis vel ex amanuensis negligentia, signum, recognitio et notae chronologicae quae ita sunt :

« Signum domini Ottonis quarti Romanorum regis invictissimi.

» Ego Cunradus Spirensis episcopus et regalis aule cancellarius, vice domini Sifridi sedis Maguntine archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

» Datum apud Augustam, III° idus januarii, indictione duodecima. »

Ut legitur in privilegio eodem separatim transcripto apud praelaudatum codicem, fol. 101 recto.

Signum domini Friderici secundi [regis] Romanorum invictissimi et regis Sicilie gloriosi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quintodecimo, anno regni domini Friderici secundi in imperio tercio, regni vero Sicilie XVII°.

Datum Aquisgrani in solempnitate nostre coronationis, quarto kalendas augusti, indictione tercia.

Aquisgrani in solemni curia, 29 julii.

Fridericus, Romanorum rex, ad instantiam Johannis Cameracensis episcopi, per sententiam principum revocat et cassat litteras quas cives Cameracenses super ipsorum consuetudinibus in praejudicium hujus ecclesiae a se impetraverant.

(Edit. in *Gallia Christiana*, tom. III, instrum. p. 4, n° VI.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis Christi fidelibus quibus presentes litteras videre contigerit gratiam suam et omne bonum. Ad vestram volumus notitiam pervenire quod cum dilectus et fidelis princeps et consanguineus noster Johannes Cameracensis episcopus, facto nobis hominio et prestito juramento fidelitatis, cum integritate universi juris sui tam in privilegiis quam aliis que ipse vel antecessores sui ab antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus tam Othone dum esset catholicus quam aliis obtinuerant, plenariam investituram de regalibus suis in solemni curia Aquisgrani recepisset a nobis, ad ipsius instantiam litteras quas contra eum et in prejudicium Cameracensis ecclesie cives ejus Cameracenses super consuetudinibus ipsorum vel aliis confirmatis vel concessis, a nobis ipso absente et ignorante et ante investituram suam impetraverant (1), per sententiam prin-

---

(1) Verisimiliter quae supra referuntur, p. 310.

cipum revocavimus et decrevimus penitus non valere; episcopum ipsum et ecclesiam suam in protectionem regie magnitudinis recipientes et omnes ecclesie sue libertates et jura universa ei corroborantes. Ad cujus rei memoriam, hanc paginam inde conscriptam sigillo nostro jussimus muniri.

Testes hi sunt Moguntinus et Treverensis archiepiscopi, Osnaburgensis et Monasteriensis episcopi, major prepositus Beati Petri in Colonia, Godefridus Sancti Severini in Colonia canonicus et regis capellanus, magister Michael canonicus Cameracensis, dux Bavarie, dux Lotharingie, dux de Lemborc, comes de Los, comes de Hostade, comes Juliacensis, Gerhardus (*a*) comes de Diest, Valerannus comes de Luseneborc, Henricus de Dunes, et multi alii.

Datum Aquisgrani in solemni curia, [anno] ab incarnatione Domini M. CC. XV, IV kalendas augusti, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, ad probationem factam per Johannem episcopum Cameracensem, confirmat bannum et proscriptionem ab Ottone antecessore suo per sententiam principum contra cives Cameracenses latam, et eam absque praesentia ipsius episcopi non posse revocari declarat.

Aquisgrani in solemni curia 31 julii.

(Inedit. ex cod. B. 1029 in Bibl. comm. Camerac., pergam. sec. XIII, continente privileg. eccles. Camer. hujus seculi et praecedentis, fol. 103 recto-verso.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, universis Christi fidelibus quibus presentes litteras videre contigerit gratiam suam et omne bonum. Ne que in nostra sunt solempni curia sententialiter diffinita, lapsu temporum in oblivionis scrupulum rela-

(*a*) In impresso autem, mala nominis interpretatione, legitur *Germaniae*, nulla post *Juliacensis* interposita virgula.

bantur, ad vestram volumus notitiam pervenire quod dilectus et fidelis princeps ac consanguineus noster Johannes Cameracensis episcopus in nostra solempni curia Aquisgrani secundum jus curie nostre probavit quod Otto antecessor noster cives Cameracenses homines ipsius episcopi ad conquestionem ejus in solempni curia apud Augustam a quinque annis retro et amplius per sententiam principum regali banno supposuit ac proscripsit. Nos ergo bannum et proscriptionem illam per sententiam principum approbantes et etiam confirmantes, eam absque presentia ipsius episcopi censuimus revocari non posse. In hujus igitur rei memoriam, presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro jussimus communiri, et testes qui cum multis aliis interfuerunt inferius annotari, qui sunt hii :

. . . Treverensis archiepiscopus, . . . Osnaburgensis episcopus, abbas Prumensis, . . . abbas Sancti Auberti in Cameraco et Willelmus capellanus ejus et canonicus ejusdem loci, Johannes archidiaconus, Johannes thesaurarius, Michael canonicus Cameraci, Gerardus prepositus de Kerpenne (?), Sibodo prepositus Aquensis, Godefridus canonicus Sancti Severini in Colonia, magister Johannes Santensis, Johannes de Cramhen canonicus Bonnensis, L. dux Bavarie et comes palatinus, Albertus comes de Eversten, . . . comes Guliacensis, comes de Diethe, comes de Salembruge, Arnoldus et Johannes fratres de Hamerstein; ministeriales : Henricus de Dunes, Henricus de Olme, Reimarus de Rode, Anselmus marescalcus de Justeinges (*sic*), Gerlarcus de Bodenghem, Franco de Boubardes, Rogerius de Kerkem, Walterus de Asceburne, Henricus de Lutre, Willelmus de Aquisgrano camerarius, Hermannus de Melehuse advocatus Coloniensis, Arnoldus de Gimeli, Gerardus de Senseke, Henricus camerarius, Mainardus Panetarius, Egidius de Bermeraig, Gonterus de Moisein pares Cameraci, Herbertus, Bonnardus, Thomas servientes episcopi.

Datum Aquisgrani in solempni curia, anno ab incarnatione Domini M° CC° XV°, II kalendas augusti, indictione III^a.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam Sancti Gisleni in Cella, dioecesis Cameracensis, in sua protectione recipit ut firma pace in perpetuum gaudeat. Aquisgrani, julio.

(Edid. Baudry, *Annal. de l'abb. de S. Ghislain*, ap. *Monum. pour servir à l'hist. des provinces de Namur, de Hainaut*, etc., t. VIII, p. 419; coll. cum originali in arch. Bruxellensi.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, universis ad quorum notitiam littere presentes pervenerint gratiam suam et omne bonum. Noverit universitas vestra quod nos predecessorum nostrorum divorum imperatorum pia vestigia sequi volentes, ecclesiam Sancti Gisleni in Cella, Cameracensis diocesis, que constat ex toto de munificentiis et elemosynis imperialibus creata, sub nostra protectione recipimus et defensione, videlicet ut abbas et conventus ibidem sub regula beati patris Benedicti deservientes, de gratia nostra et beneficio protecti, firma pace gaudeant in perpetuum et quiete. Auctoritate igitur imperiali districtius inhibemus ne quis predictam ecclesiam ausu temerario super possessionibus suis inquietare et molestare presumat. Quod si quis contra inhibitionem nostram aliquid ei molestum intulerit, noverit se indignationem et iram nostram graviter incursurum.

Datum Aquisgrani, anno dominice incarnationis M. CC. XV, mense julio, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, concedit et confirmat hospitali Sancti Thomae apud Barolum de ordine fratrum Teutonicorum in tenimento Cannarum terras laboratorias ad decem paruta et ecclesiam Aquisgrani, julio.

Sancti Nicolai de Bagula, cum omnibus tenimentis et pertinentiis, nonobstante alia concessione inde alicui facta.

(Inedit. ex originali in archivo reg. Sancti Severini apud Neapolim.)

Fridericus secundus, divina favente clementia, Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Divini amoris intuitu in cujus nomine vota nostra dirigimus, ecclesias et loca religiosa per regnum nostrum constituta protegere et fovere disponimus et earum utilitatibus pia sollicitudine providere. Eapropter universis in perpetuum notum esse volumus quod nos considerantes honestatem et religionem fratrum hospitalis Teutonicorum apud Jerusalem, in honore beatissime Dei Genitricis Marie, pro salute quoque nostra, de innata nobis celitus liberalitatis habundantia damus, concedimus et presentium auctoritate in perpetuum confirmamus hospitali Sancti Thome, quod de ordine ipsorum apud Barolum inceptum est et fundatum, in tenimento Cannarum prope Barolum terras laboratorias ad decem paruta et ecclesiam Sancti Nicolai de Bagula cum omnibus domibus, possessionibus, tenimentis et pertinentiis eorum, cum omni jure et libertate et cum omnibus animalibus et aliis rebus mobilibus, sicut in privilegio sibi exinde concesso a domino patre nostro divo augusto felicis memorie plenius noscitur contineri; non obstante concessione inde a nostra majestate alicui facta. Statuentes ut quecunque persona ecclesiastica vel secularis hanc nostram dationem, concessionem et confirmationem infringere vel violare presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas fisco nostro, altera vero injuriam passis persolvatur. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens privilegium inde scribi fecimus sigillo nostro munitum.

Hujus rei testes sunt Synfridus Maguntinus archiepiscopus et totius Germanie archicancellarius, Dyatricus Treverensis archiepiscopus, Lodovicus dux Bawarie, Guarnerius de Boland senescalcus, Gualterius de Siph pincerna, comes Albertus de Ebrestein, et alii quamplures.

Signum domini Federici secundi, Dei gratia Romanorum regis (*monogramma*) semper augusti, et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo

quinto decimo, mense julii, tertie indictionis, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius tertio et Sicilie octavo decimo.

Data Aquisgrani, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, silvam Ceduam (Zitterwald) omnibus banni Aquensis communem abbatissae et conventui Sancti Salvatoris in monte prope Aquas communicandam jubet, ut plenarium usum in ea sicut et alii habeant. ....

(Edidit Lacomblet, *Urkundenbuch für die gesch. des Niederrheins*, zw. Band, p. 28, n° 53.)

F[redericus], Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, fidelibus suis sculteto, advocato, scabinis et universitati civium Aquensium gratiam suam et omne bonum. Silvam Ceduam omnibus banni Aquensis communem abbatisse et conventui cenobii Sancti Salvatoris prope Aquis in monte, ob favorem Cisterciensis ordinis quem pro reverentia Dei diligere et regia benivolentia confovere et augere tenemur, similiter sicut et aliis de regali nostra civitate Aquensi communicandam recognovimus. Et licet antea nichil juris in usu ejusdem silve vise fuissent habuisse, vellemus tamen et volumus quatinus plenarium usum sicut et supradicti in ea habeant; regia auctoritate sub obtentu gratie nostre inhibentes ne quis temerario ausu prescriptum cenobium ab usu et emolumento sepefate silve presumat aliquatenus prohibere (1). . . . .
. . . .

(1) In altero documento eisdem directo, quo rex F. idem monasterium sub peculiari sua protectione recipit, desunt pariter notae chronologicae. Sed verisimiliter ambo reponenda sunt ad tempus quo Aquisgrani coronam sumpsit. Hoc secundum in collectione sua omisit Lacomblet.

Nussiae, 2 augusti.

Fridericus, Romanorum rex, abbatiam Veteris Montis (Altenberg) cum omnibus personis et bonis sub specialem suam recipit tuitionem, et exemptionem thelonei per alveum Rheni et Mogi ei concedit.

(Edidit Lacomblet, *Urkundenb. für die geschichte des Niederrh.*, zw. Band, p. 26-28, nº 52.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. F[ridericus] secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Quamvis supra alios mortales ex prerogativa dignitatis humane simus constituti, sicut ceteri homines, immo plus aliis, Creatorem nostrum tenemur recognoscere eique prout ipse nobis concedere dignatus fuerit, obsequium nostre impendere devotionis. Quantum enim ab ipso plus aliis nos in his rebus temporalibus recepisse recognoscimus, tanto amplius ei sumus obligati ut de talento nobis ab ipso credito plenam ei reddamus rationem; quod tunc utique nos facturos credimus, cum eum in membris suis pie honoramus. Verum cum inter alios Christi electos ordo Cisterciensis quadam singulari prerogativa religionis prefulgeat, Creatorem nostrum tunc honoramus, tunc holocaustum pie devotionis sibi offerimus, cum ordinem Cisterciensem honoramus et ecclesias ipsius ordinis sub clipeo nostre defensionis suscepimus. Sic enim homines ipsius ordinis, ab incursu et strepitu rerum temporalium liberi et pace temporali gaudentes, pro salute nostra et pro felici statu imperii liberius Deum exorabunt, ut quod meritis nostris tanquam peccato obnoxii obtinere a Deo non sufficimus, eorum orationibus consequamur. Hac sane consideratione ad notitiam omnium fidelium imperii tam presentium quam futurorum volumus pervenire quod nos illam abbatiam Cisterciensis ordinis Veteris Montis cum omnibus personis, monachis et conversis Deo ibi famulantibus et mancipiis eorum et omnibus bonis eorum mobilibus et immobilibus sub specialem

gratie nostre recepimus tuitionem; volentes ut ipsa ecclesia Veteris Montis sub nostra defensione constituta ab omni perturbatione et lesione quorumlibet hominum salva semper sit et secura. Ad hec quia predicta ecclesia Veteris Montis, ut a multis veraciter intelleximus, inter alia monasteria ipsius ordinis multa honestate spiritualis discipline et rigore religionis prefulget, aliquod memorabile beneficium regie largitatis sibi decrevimus impertiri. Concedimus igitur, et presentis scripti patrocinio jamdicte abbatie Veteris Montis confirmamus, ut quecumque bona fratres sive etiam monachi ipsius per alveum Rheni et Mogi sursum sive deorsum duxerint, illa libera sint et sine omni theloneo et exactione qualibet ducantur. Ut autem hujus gratie nostre concessio firma eis in evum permaneat, hoc presens publicum et auctenticum instrumentum conscribi jussimus et sigillo nostro communiri.

Hujus rei testes sunt Sifridus Maguntinensis archiepiscopus, Ludewicus dux Bawarie, Heinricus dux Brabantie, comes Albertus de Everstein, comes Adolfus de Montibus, Henricus dux de Lemborg, Walravus filius suus, Wilkinus (Wilhelmus) comes de Hollandia, Fridericus comes de Alzena, Adolfus comes de Marcha, Engelbertus major prepositus in Colonia (1), Gerardus prepositus Sanctorum Apostolorum, Philippus prepositus de Diez, Ulricus et Marcwardus scribe regis, et alii quamplures.

Datum Nussie, anno dominice incarnationis M. CC. XV, quarto nonas augusti, indictione III.

In octava Sancti Pantaleonis Fridericus rex Coloniam ingressus (2), a civibus et clero suscipitur et per septem dies ibidem — Coloniae, 4-10 augusti.

(1) Idem qui postea 29 febr. 1216 loco Theoderici in sedem archiepiscopalem Coloniae substitutus est. Cf. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 353.

(2) Quae civitas, exhortantibus archiepiscopo Trevirensi et duce Brabantiae, tandem in subjectionem Friderici regis redierat, Ottone licentiato et se in Saxoniam transferente. Cf. GODEFR. COLON., loco supra citato, et REINER. LEOD. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 384.

demoratus, omnes praesentes nobiles tam superiorum quam inferiorum partium falsas monetas et injustas exactiones vectigalium abjurare et firmam pacem firmare praecepit. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 352.

Mettis, ...

Fridericus Coloniam exivit et Mettis venit, pacem inter eos non sine dampno eorum qui dissidebant fecit. REIN. LEOD. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 384.

Apud Sanctum Naborem, 22 augusti.

Henricus, Brabantiae dux, nomine filiae Philippi regis sponsae filii sui, donationi de ecclesia in Esslingen a Friderico Romanorum rege ecclesiae Sanctae Mariae de Spira factae liberum consensum adhibet.

(Edid. REMLING, *Urkundenb. für gesch. der Bisch. zu Speyer*, p. 149, n° 134; coll. cum libro obligat. eccles. Spirensis, t. I, fol. 79 recto, in archivo Carlsruhensi.)

Henricus Dei gratia dux Brabantie, universis presentem paginam inspecturis salutem et omne bonum. Ex serenissimi domini nostri Friderici Romanorum regis semper augusti, et regis Sicilie, et dilectorum dominorum nostrorum pariter et amicorum Th. Treverensis archiepiscopi et C. Metensis et Spirensis episcopi et imperialis aule cancellarii et ex multorum aliorum veridica relatione intelleximus quod eo die quo corpus dilectissimi domini nostri Philippi Romanorum regis gloriosi in Spirensi ecclesia sepultum fuit, jamdictus dominus noster F. illustris, Romanorum rex augustus, et rex Sicilie, pro salute et remedio anime ipsius patrui sui incliti regis Philippi ecclesiam in Esselingen cum omni jure suo et

omnibus possessionibus et tenimentis suis, ipso quoque jure patronatus, multis principibus, comitibus, baronibus, ministerialibus adstantibus, majori ecclesie Sancte Marie in Spira contulit; ita ut ipsa ecclesia in Esselingen deserviat in perpetuum canonicis Spirensis ecclesie et omnes proventus jamdicte ecclesie tam in possessionibus suis quam in decimis necnon oblationibus et quibuscumque aliis proventibus de cetero cedant ad usus ipsorum canonicorum (1). Et quia filia prefati domini nostri Ph. regis filio nostro matrimonialiter est conjuncta, ut ista donatio domini nostri F., Romanorum regis et regis Sicilie, licet in se sufficiens sit, majori niti videatur auctoritate, nos pro jamdicta puella quam sicut veram sponsam filii nostri apud nos habemus, huic donationi liberum et voluntarium consensum adhibemus; et quidquid juris jamdicta domicella sponsa filii nostri in jamdicta ecclesia in Esselingen habere videbatur ratione paterne successionis, nos pro ipsa puella et pro filio nostro sponso ipsius damus libere et absolute ecclesie Sancte Marie in Spira, sicut a serenissimo domino nostro F., Romanorum rege augusto, et rege Sicilie, factum esse cognovimus. Et ne de hoc de cetero questio possit oriri vel aliqua dubitatio, presentem inde cartam conscribi jussimus et sigillo nostro muniri.

Datum apud Sanctum Naborem (2), anno dominice incarnationis M. CC. XV, XI kalendas septembris, indictione III^a.

Fridericus, Romanorum rex, scabinis et burgensibus Metensibus scribit se Metensem ecclesiam et clerum ejus in protectionem suam recepisse, mandatque ut eam in ipsius libertatibus manuteneant et pro sui amore honorent. Apud Sanctum Naborem, 23 augusti.

---

(1) Vide supra privilegium regis, p. 283.

(2) Hodie per corruptelam *Saint-Avold*, media via Metios inter et Saarbrücken.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, Uneinreihbare stücke, p. LXXXIII, ex copia anni 1481 apud Metios sibi a Waitz communicata.)

Datum apud Sanctum Naborem, XXIII augusti, indictione VI (1).

Apud Haguenau. 16 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, hospitale Sanctae Mariae in burgo Lutra in protectionem suam suscipit et possessiones ejus confirmat.

(Edit. ap. Schannat, *Hist. Wormat.*, prob., II, 99, n° 108, e cartul. monast. Lutrensis, et ap. *Monum. Boica*, t. XXXI, prima pars, p. 488.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Licet divine remunerationis obtentu ad omnes ecclesias pietatis nostre aciem dirigere teneamur, earum tamen commodo et utilitati ferventius nos convenit intendere quarum progenitores nostri fundatores extiterunt et fundatas munificentia liberali de bonis a Deo susceptis salubriter locupletare curaverunt. Quapropter ad universorum imperii fidelium presentium et futurorum notitiam duximus perferendum quod nos familiarem et dilectam nobis domum hospitalis Sancte Marie in burgo nostro apud Lutram, ab imperatore Friderico avo nostro inclite recordationis necnon a patre nostro imperatore Heinrico et patruo nostro Philippo rege pia consideratione fundatam et de bonis eorum ad usum pauperum dotatam, sub specialem et omnimodam cum omnibus bonis suis et personis Domino illic famulantibus recepimus protectionem, atque ad honorem Jesu Christi Domini nostri simulque matris ejus gloriose et intemerate Virginis Marie, in eodem loco ordinem et religionem Premonstratensem, quemadmodum a principio fundationis ejusdem loci constitutum est, perpetuo vigere et

---

(1) Sic per scriptoris oscitantiam; sed legendum *indictione III*, dum ex praecedentibus clare pateat Fridericum mense augusto 1215 circa partes Metenses fuisse moratum : quod anno 1218 minime convenit.

incommutabiliter decernimus permanere; confirmantes et corroborantes dicte domui omnia bona a prememoratis progenitoribus nostris contradita omnesque alias possessiones quas in presentiarum legitime possidet aut in posterum oblatione fidelium seu quocunque justo acquisitionis titulo, Domino concedente, poterit adipisci. Possessiones autem quas nunc domus ipsa obtinet propriis duximus vocabulis exprimendas : parochiam in Lutra et duas capellas in castro nostro, unam superius et aliam inferius cum dote et omnibus appenditiis earum, curiam in Morlutra cum nemore et omnibus appenditiis suis, curiam Hesselspach cum molendino et omnibus appenditiis suis, curiam Bremerem inter duas vias, unam que vadit Aspach et viam illam que vulgariter dicitur Lecceberch usque ad locum illum qui Sole nuncupatur, prata in Steinewinde, curiam Buchenauwen cum suis appenditiis, curiam Susinheim cum suis appenditiis, curiam Ibersheim cum suis appenditiis, curiam Echseim cum suis appenditiis, curiam Colginstein cum suis appenditiis, curiam Sulceh cum suis appenditiis, curiam Bochyneim cum suis appenditiis, curiam Gumersheim et molendinum in villa Uternheim cum eorum appenditiis, census in Wormatia quatuor libras annuatim. Statuimus igitur et regali edicto firmiter precipimus ut nulli omnino persone humili vel alte, ecclesiastice sive seculari, in prememorata domo Hospitalis religionem Premonstratensem in alium ordinem commutare, nec ratione incongrua cuique licitum sit de prenominatis et expressis possessionibus aliquid ab ea alienare. Quod qui facere presumpserit, iram tremendi judicis et nostre offensam sublimitatis graviter se noverit incursurum et in vindictam temeritatis sue mille libras auri purissimi persoluturum, medietatem camere nostre, reliquam domui Hospitalis injuriam passe. Ad cujus rei perhennem memoriam, presens exinde privilegium conscriptum sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt comes Albertus de Eberstein, comes Sibertus de Werda, comes Ludowicus de Wirtenberg, comes Fridericus de Leiningen, Philippus de Bittis, comes Gerhardus de Ditis, ... marshalcus de Justingen, Wernherus dapifer de Bolandia et Philippus frater ejus, Reinhardus de Lutra, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo quinto decimo, indictione tertia, regnante domino Friderico secundo Romanorum et Sicilie rege glorioso, anno regni ejus tertio.

Datum apud Hagenoe, octavo idus septembris.

Apud Herbipolim, 11 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium de Walkenried cum omnibus bonis ejus mobilibus et immobilibus in protectione sua suscipit, indulgetque ut quicumque ministerialis vel alia persona imperio attinens quidquid voluerit eidem conferre possit sine consensus sui requisitione.

(Edider. Leuckfeld., *Antiquit. Walkenr.*, p. 367.—Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 853. — Eckstorm., *Chronic. Walkenredense*, p. 136-138; ex confirmatione Ludovici Bavari, de anno 1323.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Recognoscentes Deo Creatori nostro pro multis beneficiis et excellentia nobis ab ipso collata nos esse debitores, ipsum in suis ecclesiis omni devotione honorare decrevimus et ad illarum commodum et statum meliorem curam et operam impendere diligentem. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus declarandum quod nos instructi exemplo antecessorum nostrorum Friderici avi nostri et Henrici patris inclyte recordationis Romanorum imperatorum et regis Philippi patrui nostri, monasterium quod dicitur Walkenriede quodam specialis dilectionis respicientes affectu, illud recipimus cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus et mancipiis sub speciali regie majestatis protectione; confirmantes eidem monasterio et fratribus Deo ibidem famulantibus libertates et universa privilegia a prefatis progenitoribus nostris indulta,

omnesque possessiones quas ipsum monasterium in presentiarum ubicumque locorum obtinet vel in futurum, Domino annuente, justis modis poterit adipisci. Inter cetera vero bona que predictum possidet monasterium, ipsi corroboramus et confirmamus curiam Beringe cum omnibus suis appenditiis et villam Othstede et quecumque alia de bonis imperii ipsum possidet monasterium. Insuper ad relevandam ibidem servorum Dei sufficientiam, de favore principum et curie nostre superaddimus, concedimus et indulgemus ut quicumque liber, ministerialis vel alia persona de bonis que imperio attinet, aliquid pro salute anime sue conferre voluerit aut vendere sive commutare vel alio quocumque modo alienare, libere id possit facere et absque consensus nostri requisitione; donationes, venditiones, commutationes vel alienationes ad utilitatem et commodum monasterii de bonis imperii factas perpetua decrevimus gaudere firmitate. Statuimus igitur et regio firmiter precipimus edicto ut nulli unquam hominum, cujuscumque fuerit conditionis, licitum sit predictum monasterium in bonis suis gravare aut aliquam in his rerum irrogare jacturam. Quod qui facere presumpserit, iram tremendi judicis et nostre sublimitatis offensam se noverit incurrisse, atque in reatus sui vindictam centum libras auri componat, dimidium camere nostre, reliquum monasterio injuriam passo. Ad cujus etiam rei memoriam perpetuam, presens privilegium conscriptum sigillo nostro fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt Sifridus Moguntinensis archiepiscopus, apostolice Sedis legatus, Hekebertus Bavenbergensis episcopus, Fridericus Halverstadensis episcopus, Engelhardus Numburgensis episcopus, Conradus Ratisponensis episcopus, Thiedericus Misnensis et Orientis marchio, Otto dux Meranie, Albertus comes de Everstein, Heinricus de Svartzburch, Ernestus comes de Velseke, Elgardus comes de Honstein, Albertus comes de Clettenberg, Burchardus comes de Schartfeld, Henricus comes de Lutterberg, Anshelmus marschalcus de Justingen, Warnerus dapifer de Bonlande, Walterus pincerna de Scipfen, et alii plures.

Signum domini Friderici II, Romanorum regis invictissimi, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancel-

larius, vice domini Sigfridi Moguntinensis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii [recognovi].

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XV, indictione III, regnante domino Friderico II, Romanorum rege semper augusto, et rege Sicilie glorioso, anno regni ejus in imperio III, regni vero Sicilie XVII.

Datum apud Herbipolim, III idus septembris.

Herbipoli, 12 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesias Cappenberg et Wesel Praemonstratensis ordinis cum omnibus earum personis et bonis sub specialem suam protectionem suscipit, eisque concedit ut res ipsis necessarias per alveum Rheni ducant et in Boppardia, Werda, alibique sine exactione qualibet pertranseant.

(Edider. Hugo, *Annal. ord. Praemonstrat.*, t. II, p. 668.—Binterim et Mooren, *Cod. Rhen. Erzb. Cöln*, t. III, p. 167.)

Fridericus II, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Sicilie. Cum ecclesiis Dei in his rebus temporalibus sine quibus tantum vita duci non potest, humana providemus et pacem et securitatem eis in hac vita preparamus, credimus in ea vita que perpetua est nobis consortium acquiri et hoc regnum temporale quod gubernandum suscepimus sub pacis tranquillitate nobis disponi et regnum eternum adipisci. Hac sane consideratione ad omnium fidelium nostrorum presentium et futurorum notitiam volumus pervenire quod nos ecclesias Kappenberg et Vesele de regula Beati Augustini et de vita et ordine Premonstratensis ordinis, ad imitationem dilectorum parentum nostrorum videlicet Friderici avi nostri et Henrici patris nostri Romanorum imperatorum necnon et charissimi patrui nostri Philippi illustris Romanorum regis augusti, sub specialem majestatis nostre suscepimus protectionem; volentes ut prefate ecclesie cum universis personis Deo ibidem famulantibus et cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus nostra ubique gaudeant

defensione et sub tuitione nostra semper tute sint et secure, et quicumque ipsas aliquo modo ledere presumpserit, nos ipsos lesisse se non dubitabit. Ad augmentum quoque gratie nostre, hoc de mera liberalitate et bona voluntate nostra jam dictis ecclesiis in Vesele et Kappenberg indulgemus et concedimus ut fratres sive alii homines ipsarum ecclesiarum vinum quod de vineis ipsarum provenire dignoscitur sive alia ad ipsorum usus necessaria per alveum Rheni ascendendo et descendendo ducant, et in Bobardia et in Verde sive etiam in aliis locis ubi thelonium ad nos spectat, liberi et absoluti ab omni telonii vel cujuscumque gravaminis vexatione pertranseant. Mandamus igitur et sub pena centum marcarum precipimus ut nemo hanc gratiam nostram eis infringere presumat. Ad hujus quoque rei certitudinem, hanc chartam conscribi jussimus et sigillo nostro communiri.

Datum Erbipoli, anno dominice incarnationis M. CC. XV, II (1) idus septembris, indictione III.

Fridericus, Romanorum rex, domum hospitalis in civitate Wirceburgensi, ad hospitale Ierosolimitanum Sancti Johannis Baptistae, ex donatione Ruberti Curvi, pertinentem, cum omnibus ejus hominibus et bonis in protectionem suam recipit.

Apud Herbipolim, 16 septembris.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 34, n° DCXV, ex originali unde sigillum fractum uno tantum funiculo appendet, caeteris purpurei et viridis coloris hodie avulsis.)

Fridericus, divina favente gratia Romanorum rex, semper augustus, rex Sicilie. Licet ad universa loca divino cultui mancipata regie majestatis patrocinium generaliter debeat extendi, ea tamen specialius miseri-

---

(1) Quum numeri Romani in impressis ita legantur *MCCXVII,* non dubitandum, sicut recte monet Boehmerus, quin separandi sint ut fecimus.

cordie visceribus amplectitur in quibus in pauperes peregrinos et advenas ampliora karitatis opera jugiter exercentur. Attendentes igitur hospitale Jherosolimitanum, in honore beati Johannis Baptiste dedicatum, omnium necessitatem pacientium commune semper exstitisse refugium, destructioni ipsius et desolationi ex intimo corde condolentes, restaurationi ejus curam non immerito et operam duximus impendendam. Noverit ergo tam presens regni fidelium etas quam futurorum successura posteritas quod nos domum hospitalis in civitate Wirceburgensi sitam, supradicto hospitali Sancti Joannis Ruberti Curvi donatione pertinentem, cum omnibus personis in ipsa domo divino obsequio mancipatis seu in posterum mancipandis, cum omnibus etiam bonis tam mobilibus quam immobilibus que vel nunc habent vel processu temporis justo acquisitionis titulo poterint adipisci, in tuicionem protectionis nostre recepimus. Generaliter itaque sub obtentu gratie nostre precipimus ut nulla omnino humilis vel alta persona, secularis vel ecclesiastica, prememoratam domum aut fratres in ea Deo militantes in personis seu in rebus molestare audeat vel quamcumque ipsis injuriam vel violentiam inferre. Quod si quis facere presumpserit, lese majestatis reus a gratia nostra se sentiat alienum et gravi animadversione plectendum.

Datum [apud] Herpipolim, anno ab incarnatione Domini M° CC° XV°, indictione IIII^a (1), XVI decima (*a*) kalendas octobris.

Hagenowe, 24 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, in protectione sua recipit monasterium et fratres Locedii in Montisferrati partibus, cum omnibus eorum possessionibus, juraque concedit piscandi, pascendi, ven-

(*a*) In notatione diei abundat vocabulum *decima.*

---

(1) Dum juxta sententiam nostram notarius hic utatur indictione Graeca ad initium mensis septembris incipiente, non octo diebus anticipata est ut legitur in *Monum. Boic., ibid.*, not. *b;* editoribus se ad indictionem Cesaream referentibus.

dendi, alienandi, nec non immunitatem sacramenti calumniae, pedagiorum et fodri imperialis.

(Edidit IRICUS TRIDINENSIS, *Rer. Patr.*, lib. III, *dissertat. de S. Oglerio*, p. 25.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Noverit tam futurorum quam presentium Domini Dei ac sacratissimi imperii nostri fidelium sagacitas quomodo nos pro remedio anime nostre ac petitione Nicolai venerabilis abbatis monasterii beate Dei Genitricis Marie quod Locedium dicitur, ipsum monasterium cum omnibus inibi presentialiter Deo famulantibus aut in futuro servituris universisque possessionibus quas aut nunc de jure possidet aut in futurum justis modis acquirere poterit, in imperialis protectionis tutelam recipimus; confirmantes eidem monasterio ac nostra preceptione munientes ipsum locum in quo predictum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, grangiam Alerii, grangiam Stocarde, terram que fuit episcopi Vercellensis juxta predictum monasterium positam et terram vallis Pellarie, grangiam de Montariolo, grangiam Ripe Medie, grangiam de Cornali, grangiam de Pobleto, grangiam Montiscalvi, insulam Oglerii, et insulam que est juxta Padum, ibidem grangiam Sarmatie, grangiam in insula de Bremede, grangiam de Cairo et grangiam de Septimo cum omnibus pertinentiis earum, domum et possessiones que fuerunt Ottonis Barochie in Angelvengo, castanetum de Jubianam, terra que fuit Guilielmi sacerdotis de Candia, Alpem de Bezano cum pertinentiis suis, et generaliter quicquid ei est donatum a marchione Montisferrati, ab episcopo Vercellensi aut ab aliis episcopis seu fidelibus donatum aut juste acquisitum. Confirmavimus insuper eidem monasterio jus piscandi ac navigandi in flumine Pado sine contradictione et absque tributo, et per totum Vercellensem episcopatum omnia pecora sua pascendi jus eis concedimus. Ad hec etiam predicto monasterio et fratribus imperiali nostra largimur auctoritate, districte precipientes ut nulla omnino persona nullumque commune eos cogat in causis sacramentum prestare calumnie in propriis eorum personis vel aliquod pedagium predicto monasterio alicubi auferre; quod pedagium

dicto monasterio omnino remittimus, et specialiter pedagium de Alexandria et pedagium de Cuniolo et pedagium Salugie et pedagium Sarvi et pedagium omnium molarum quas sibi ipsis ducunt et omnia pedagia que accipiuntur inter Novariam et Mediolanum super Ticinum et pedagium . . . . . . et pedagium Secuxie et pedagium Rivole et pedagium Taurini. Damus quoque et concedimus dicto monasterio et fratribus ut nulla obsit eis prescriptio nisi centum annorum, et ut res suas ubicumque voluerint vendere possint et quocumque modo alienare, et specialiter molas quas ipsis fratribus amore Dei Augustensis vicecomes et quidam alii viri nobiles largiuntur; et ut sicut filii liberi ab omni servili conditione et exactione deinceps sint immunes et absoluti, soli Deo que Dei sunt reddentes, illis omnem fodri nostri remittimus exactionem tam in acquisitis quam in acquirendis agris, areis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, silvis, molis, molendinis vel aliis quibuslibet rebus. Presentis igitur pagine sanctione precipimus ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, nulla potestas, nulla civitas, nullum commune, nullaque omnino persona ecclesiastica vel secularis, magna vel parva, hujus nostre jussionis statutum transgrediatur aut suprascripto Locedii monasterio vel in grangiis seu quibuslibet rebus suis aliquam inferre presumat violentiam, aut personas ejus injuste gravando sive possessiones minuendo. Quod si quis hoc nostre constitutionis edictum infregerit, libras centum auri optimi componere cogatur, medietatem nostre camere, medietatem vero prenominato cenobio persoluturus. Ut autem hec firma et illibata permaneant, hoc presens publicum et authenticum instrumentum conscribi jussimus et sigillo nostre majestatis communivimus.

Hujus rei testes sunt Berardus (*a*) Panormitanus archiepiscopus, Otto dux Meranie, Ermanus marchio de Baden et Federicus marchio frater suus, comes Albertus de Eberstein, comes Adolphus [de] Scoemburg, comes Ernestus de Vilseche, Enrichus de Niffe, Enrichus de Mesa, et alii quamplures.

Datum Hagenowe, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo quinto, octavo [kalendas] (*b*) octobris, indictione quarta.

(*a*) In impresso *Bernardus*, minus recte.

(*b*) Boehmerum secuti, vocabulum *kalendas* supplendum esse censemus.

Fridericus, Romanorum rex, ad petitionem burgensium Cameraci fidelium suorum, leges, jura universa atque libertates, privilegia et consuetudines quibus sub avo et patre suo usi sunt, eis confirmat. Hagenowiae, 26 septembris.

(Edid. Le Glay, *Gloss. topogr. de l'ancien Cambresis*, p. 94, n° LXV, ex originali bulla aurea sigillato, sed postea quum cassatum fuerit inciso. Transcribitur etiam in codice B. 1029 Bibl. comm. Camerac. pergam. sec. XIII, fol. 94 verso-95 verso.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie. Preclarum est et salutare majestati regie veneranda civitatum jura et honestas earum consuetudines, quas sacri reges et imperatores prudenter constitutas solempniter confirmarunt, regali firmamento et robore potenti communire et illibatas pariter conservare, quatenus per celebre factum piorum nostrorum predecessorum honor et gloria subsequentium perpetuum habeant incrementum. Quapropter presentis scripti patrocinio presentes scire volumus posterisque sciendum relinquimus quod nos oculo consuete benignitatis pie intuentes ea que venerandi progenitores nostri dive memorie, avus noster dominus F. videlicet nec non inclytus genitor noster Henricus, serenissimi Romanorum imperatores, circa nobilem civitatem Cameracensem clementer sunt operati, facta eorum non immerito imitantes, ad honestam fidelium nostrorum ejusdem civitatis burgensium petitionem, leges, jura universa atque libertates, privilegia et consuetudines quibus ipsa civitas sub memoratis progenitoribus nostris reverenter usa esse dignoscitur, regia confirmamus auctoritate; inhibentes firmiter ne aliquis hominum, clericus sive laicus, huic nostre confirmationi ausu temerario aliquo unquam tempore contraire presumat. Quod si quis unquam facere attemptaverit, ipsamque serenitatis regie confirmationem

verbo vel opere leserit, penam lese majestatis se noverit incurrisse. Ut etiam hujus nostre benivolentie confirmatio rata in perpetuum permaneat et inconvulsa, presentis scripti privilegio majestatis nostre sigillo ipsam statuimus roborari.

Hii sunt testes Berardus venerabilis Panormitanus archiepiscopus, Otto dux Meranie, comes Albertus de Eberstein, comes Adolfus de Scowemberch, Hermannus et Fridericus fratres marchiones de Baden, Hainricus nobilis de Niffen, Phylippus de Bonlandia, Hainricus nobilis de Rapphteswilare, Eberhardus de Luttra, Geruncus de Spirea camerarius imperii, Richardus familiaris camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici gloriosissimi Romanorum regis et semper augusti et regis Sycilie.

Ego Chunradus Metensis atque Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi M° CC° XV°, indictione quarta, regnante domino nostro Friderico secundo divina favente gratia Romanorum rege invictissimo et semper augusto et glorioso rege Sycilie, anno regni ejus in Germania III°, in Sicilia vero XVIII°, feliciter.

Datum Hagenowie, feliciter, VI° kalendas octobris, anno et indictione suprascriptis.

. . . . septembri. Fridericus, Romanorum rex, in recompensationem duorum sarcophagorum porphyreticorum (1) quos ab ecclesia Cephaledensi

(1) Haec sepulchra anno 1145 ecclesiae Cephaledensi rex Rogerius donaverat, pro sua sepultura et ecclesiae a se fundatae ornamento. Cf. PIRRI, *Sicil. sacra*, t. II, p. 805, et FAZELLO, *De reb. Siculis*, decad. I, lib. IX, cap. 3. Fazellus autem diploma Friderici *Panormi* datum dicit, se forsitan ad aliud referens, circa ann. 1209 vel 1210 indultum, cujus memoria deperiit. Utrum indicetur in authentica scriptura Cephaledensis ecclesiae de anno 1329, cujus mentionem Gregorius fecit, nescimus.

ad Panormitanam transferri jussit pro sua et patris sui sepultura, Johanni episcopo Cephaledensi et ecclesiae ejus dat feudum dictum de Cultura seu Cuctura.

(Memorat. ap. Inveges, *Annali di Palermo,* t. III, p. 536, et Gregorio, *Discorsi intorno alla Sicilia,* t. II, p. 6 et not. 7-10.)

Datum . . . . , anno Domini M CC XV, mense septembris.

Fridericus, Romanorum rex, omne jus suum quod in Sora, Rocca Sorella, Arpino, Arce, Fontana aliisque possessionibus Riccardo comiti Sorano, papae Innocentii tertii germano, concesserat, Romanae Ecclesiae concedit et donat, ita quod iste comes et haeredes ejus haec omnia ab Ecclesia Romana dumtaxat de caetero teneant. Apud Spiream, 11 octobris.

(Edider. Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1208, § XXVIII; — integrius vero Muratori, *Antiquit. Ital.*, tom. V, p. 653, et Pertz, *Monum. Hist. German.*, t. IV, p. 226, e Cencii camerarii regesto.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, dilecto suo Riccardo comiti Sorano gratiam suam et omne bonum. Licet ad retribuenda digna pro meritis beatissimo patri et domino Innocentio summo pontifici germano tuo nos insufficientes et impares reputemus, ne tamen judicari debeamus ingrati, si nihil egerimus quod gratie sue debeat esse gratum, nos facientes ad presens quod possumus, in posterum dante Domino majora facturi, omne jus quod habemus in civitate Sorana cum Rocca Sorella, Arpino, Arce, Fontana, Pesclo Solido (*a*), Brocco, Rocca de Vivo, quas dudum tibi concessimus (1) et heredibus tuis cum

(*a*) Ap. Pertz *Pesclo-Sodulo,* minus recte.

---

(1) Scilicet mense junio 1208. Vid. supra p. 133 et not. 1.

Insula et Castelluccio, et terras Johannis Pagani quas etiam tibi concesseramus in baronias, sacrosancte Romane Ecclesie a qua predictas terras fatemur et recognoscimus nos habere, in perpetuum concedimus et donamus; ita tamen quod tu et heredes tui terras ipsas cum omnibus pertinentiis et juribus suis a Romana dumtaxat Ecclesia de cetero teneatis, fidelitatis sibi prestito juramento (1), servientes eidem de ipsis prout nobis servire tenebamini. Ne vero super hoc aliqua possit in posterum dubitatio suboriri, presentem cartam aurea bulla nostra communitam tibi et heredibus tuis in testimonium duximus concedendam.

Hujus rei testes sunt Theodoricus Trevirensis archiepiscopus, Berardus Panormitanus archiepiscopus, Conradus Metensis episcopus imperialis aule cancellarius, comes Adolfus de Scowenburg, Henricus comes de Geminoponte, et alii plures.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice M. CC. XV, indictione IV, regnante domino Friderico secundo divina favente gratia Romanorum rege et semper augusto et glorioso rege Sicilie, anno Romani regni ipsius tertio.

Datum apud Spiream, quinto idus octobris, anno et indictione suprascriptis.

Hagenoviae, 20 octobris.

Fridericus, Romanorum rex, domui Sanctae Mariae Theutonicorum concedit et donat domum suam in Brundusio, Margariti domum dictam, cum balneo et omnibus attinentiis, exceptis tamen et ad servitium regium reservatis theloneo et moneta quae in eadem domo exercebantur.

---

(1) Extat in libro Censuum hoc juramentum quod exhibuit Raynaldus, *Annal. eccles.*, ad ann. 1208, § XXVII : « Mense octobri die VI, comes Richardus de Sora juravit fidelitatem et fecit ligium homagium domino papae Innocentio, successoribus suis et Sanctae Romanae Ecclesiae in praesentia duodecim cardinalium (quorum nomina sequuntur). Juravit similiter facere guerram et pacem ad mandatum ipsorum, salva fidelitate et mandato regis Siciliae, et idem dominus papa investivit dictum comitem per cuppam argenteam deauratam, praesentibus, etc.»

(Edidit J.-H. Hennes, *Cod. diplom. ordin. S. Mariae Theutonic.*, p. 17-19, n° 18, ex copia sibi a Boehmero communicata.)

Fredericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, rex Sicilie. Si digna et accurata consideratione attendimus gratiam qua divina potentia nostram respicere dignata est innocentiam, dum nos omni juvamine destitutos in paternis tam misericorditer quam mirabiliter sublimavit soliis, non immerito pensandum nobis est et cavendum ne tantorum beneficiorum ingrati appareamus, sed de multis ab eo cujus sunt omnia nobis collatis saltim aliqua in signum recognitionis eorum ad obsequia impendamus ipsius, in quo et per quem vivimus pariter et regnamus. Moti igitur regio affectu et innata nobis munificentia, ad plenam animadversionem honestatis domus hospitalis Theutonicorum in civitate Acchon terre promissionis ad laudem et honorem Dei deorum ejusque genitricis perpetue Virginis Marie ex donationibus regum et aliorum principum atque nobilium constructe; scientes etiam probitatem militie et laudabilem conversationem singulorum ibidem Domino deservientium, ut de regia nostra largitione aliquid ejusdem domus addatur servitiis, pro salute nostra necnon pro remedio animarum utriusque sexus divorum progenitorum nostrorum, offerimus Regi regum ejusque pie matri, concedimus quoque et donamus atque de mera liberalitate regia largimur prelibate domui et hospitali Theutonicorum domum nostram in civitate Brundusina constitutam, que dicitur domus Margariti, cum balneo et omnibus eidem domui attinentibus, cum introitu et exitu ejus ab omni parte, sicut aliquando fuit Margariti, necnon cum omnibus justiciis et honoribus, sicut ad nostram hucusque pertinuisse visa est jurisdictionem. Ita quod militia et singuli de eadem domo hospitali Theutonicorum habeant et teneant in perpetuum regiaque possideant auctoritate domum illam quondam Margariti eis a nostra munificentia traditam, ad servitium Dei quomodo sua de ipsa disponentes. Sed quia manifestum est thelonium et monetam que usque ad moderna tempora in sepedicta domo Margariti exercebantur, ad nostrum pertinere domanium, ea omnia scilicet theloneum et monetam ab ista concessione et donatione excepta esse volumus, nostris dumtaxat et regiis servitiis reservanda. Ad majorem quoque gratie

serenitatis nostre circa memoratam domum Theotonicorum evidentiam, concessionem suprataxatam et donationem presenti scripto patrocinio aurea bulla (*sic*) nostre majestatisroborato confirmamus. Statuentes atque regali edicto sancientes, sub interminacione gratie nostre districte precipientes quod nulli omnino persone humili vel alte, seculari vel ecclesiastice, licitum sit in antea hanc nostre concessionis et donationis atque confirmationis formam infringere vel ei ullo unquam tempore contraire. Quod qui facere quoquo illicito ausu presumpserit, iram Dei omnipotentis ejusque sanctissime genitricis et nostram indignationem se noverit indubitanter incurrisse. Ad hec etiam pro evidentiori presumptionis sue pena centum libras auri examinati componat, medietatem fisco nostro et aliam partem passis injuriam soluturus.

Hujus rei testes sunt Hainricus Argentinensis episcopus, comes Adolfus de Scovenburch, comes Syffridus de Werda, Hermannus marchio de Baden, comes Albertus de Chalwe, comes Ernestus de Villeseche, Hainricus de Lintemberch, Wernherus de Bonlandia dapifer imperii, Conradus de Siph pincerna imperii, Hermannus et Henricus camerarii imperii, Ricardus familiaris camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, divina favente clementia [Romanorum] regis et semper augusti et regis Sicilie invictissimi in perpetuum.

Ego Cunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntine sedis archiepiscopi ac totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta autem sunt hec anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCCXV, regnante domino nostro Friderico glorioso Romanorum rege et semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius III, regni vero ejus in Sicilia XVIII, feliciter.

Datum Hagenowie, per manus domini Bertoldi de Niffen regalis aule prothonotarii, XIII kalendas novembris, quarte indictionis.

11-30 novembris Interfuerunt [Lateranensi concilio] regum et principum totius

orbis nuncii, legatus quoque regis Friderici Panormitanus archiepiscopus Berardus nomine, et Mediolanenses quidam pro parte Othonis ad mandatum Ecclesiae redire volentis. Sed marchio Montisferrati qui erat pro parte regis, ipsius adversarium se opponens, quod pro Othone ipso non deberent audiri sex in medium capitula protulit, etc. Sedit autem usque tertio ipse dominus papa a festo beati Martini usque ad festum Sancti Andreae, et tunc electionem factam per principes de rege Friderico in imperatorem Romanum approbans confirmavit. Rich. de S. Germ. ap. Muratori, *Script.*, t. VII, p. 989.

Fridericus, Romanorum rex, commutationem factam inter Ratisponensem episcopum et Elwacensem abbatem de castris Baldern et Mern confirmat; ita ut in antea castrum Baldern solummodo, scilicet sine omnibus attinentiis, sit Elwacensis ecclesiae, et castrum Mern similiter sine omnibus attinentiis sit ecclesiae Ratisponensis. Apud Nuremberg, 10 decembris.

(Inedit. ex copia authentica in archivo Stuttgartensi. Pendebant originali tria sigilla : Friderici in media parte, ut solet; in sinistra Elwacensis abbatis; in dextra vero Ratisponensis episcopi.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Ea que in presentia nostra per principes et fideles nostros ad commodum et commune bonum ipsorum fiunt vel ordinantur, cautum est et rationi congruit ut scripto publico et authentico committantur, ut si questio inde orta fuerit vel vertatur in dubium, quid factum sit scripture serie comprobetur. Notum sit igitur omnibus fidelibus nostris presentibus et futuris quod cum castrum Balderne fuisset jure proprietatis Ratisponensis ecclesie et castrum Mern fuisset simili modo jure proprietatis Elwacensis

ecclesie, placuit Chunrado Ratisponensi episcopo et Chunoni abbati Elwacensi, proviso in hoc commodo et utilitati utriusque ecclesie, ut ipsi de predictis castris tantum preter attinentia inter se concambium facerent et commutationem. Et hec permutatio coram nobis solempniter est celebrata, ita quod de cetero Baldern tantum, scilicet sine omnibus attinenciis hominum et reddituum, preter solam viam que ducit ad castrum, sit Elwacensis ecclesie jure proprietatis et castrum Mern tantum, similiter sine omnibus attinentiis hominum et reddituum, preter solam viam que ducit ad castrum, sit ecclesie Ratisponensis jure proprietatis. Hanc autem commutationem quia de consensu utriusque principis facta est et ad commodum cedit utriusque ecclesie, regia confirmavimus auctoritate; et ut ipsa de cetero firma permaneat, presens inde scriptum publicum et autenticum fieri jussimus et nostri ac predictorum principum sigillorum impressione jussimus communiri.

Testes autem sunt : Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius; Ludewicus dux Bawarie, comes Gebehardus de Tolnesteine, Hermannus marchio de Baden, Sifridus comes de Vienna, comes Ulricus de Ultimis, Anshelmus marscalcus imperii, Rudolfus et Heinricus fratres de Raprehteswiler, Wernherus de Laben, Goezwinus de Aenkeringen, Rudolfus Hake, Chunradus de Hohenvels, Arnoldus de Schoenvelt, Chunradus de Wisent marscalcus, Albertus de Stoufe, Ulricus de Rehperch, Chunradus et Ulricus fratres de Werda, Bernoldus et frater ejus de Stoufe, Demarus de Elwangen, Heinricus de Gisele.

Acta sunt hec apud Nuremberc, anno dominice incarnationis MCCXV, indictione IIII[a].

Datum ibidem, eodem anno, IIII[o] idus decembris.

Apud Egram, 22 decembris.

Fridericus, Romanorum rex, cum episcopo et ecclesia Ratisponensi hoc concambium init, ut episcopus imperio donet civitatem Nordlingen et villam Orngau cum praepositura hujus loci, e con-

verso autem a rege duo monasteria sanctimonialium Ratisponae, inferius et superius, recipiat, cum proprietate, advocatia et attinentiis eorum.

(Editum ap. Hund., *Metrop. Salisb.*, t. III, p. 4; — Lunig, *Spicileg. eccles.*, III Theil von den Aebtiss., p. 179; — Ried, *Cod. diplom. Ratisb.*, t. I, p. 310, n° 330. — *Monum. Boica*, t. XXX, p. 36-37, num. DCXVI, ex originali unde sigillum illaesum et bene expressum appendet ex filis purpurei et flavi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fredericus secundus, Dei gratia rex Romanorum et Sycilie semper augustus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cum ex debito majestatis nostre regie dilectos fideles nostros principes benivolentia quemadmodum ipsi nos fidelitate pie respicere teneamur, dignum animadvertimus ut rationabilibus eorum peticionibus annuamus et profectibus, maxime in causis que ad honorem et profectum tam imperio quam ipsis videntur petentibus provenire. Igitur cum ecclesia Ratisponensis habuisset villas quasdam proprias, Noerdelingen et Orngov, usibus imperii commodas, et imperium habuisset Ratispone duo monasteria, inferius scilicet et superius, claustra sanctimonialium usibus similiter ecclesie Ratisponensis commoda, considerata fidelitate ac devotione quam ecclesia Ratisponensis progenitoribus nostris felicis memorie, avo, patri ac patruo nostro in imperio frequenter exhibuit, consideratis quoque laboribus et gravibus expensis quas electe predictorum monasteriorum fecerunt hactenus post imperium pro jure ipsarum suscipiendo, considerato etiam precipue commodo imperii cui tenemur intendere, consilio principum qui presentes erant et curie nostre, de predictis, civitate videlicet Noerdelingen et villa Orngov cum prepositura ejusdem loci, et de pretaxatis monasteriis cum venerabili Ratisponensi episcopo Chunrado dilecto consanguineo nostro fecimus permutationem et concambium. Ipse enim episcopus civitatem Noerdelingen et villam Orngov cum prepositura ejusdem loci et advocatia utriusque, cum omni jure proprietatis, sicut ecclesie sue attinuerunt, imperio donavit, et nos e converso illa duo cenobia Ratispone, inferius monasterium et superius monasterium, donavimus ecclesie Ratisponensi cum proprietate atque

advocatia et omnibus attinenciis et cum omni eo jure quod imperium in eis habuit, ut vacantibus abbaciis in predictis monasteriis electe ipsorum temporalia et omnia jura alia que hactenus requisierunt ab imperio, deinceps perpetuo requirant ab ecclesia Ratisponensi, et episcopus ejusdem ecclesie quicumque tunc fuerit pro tempore illa donet et conferat sine impedimento. Ut autem hec nostra permutatio et concambium rata permaneant in perpetuum et deinceps, nec per oblivionem nec per calumpniam cujusquam cedere possint in irritum, presentem paginam sigillo nostre majestatis et subnotatione testium fecimus roborari.

Testes hii sunt : Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius; Otto dux Meranie, Chunradus burgravius de Nurenberch, Boppo comes de Hennenberch, comes Albertus de Ebersteine, markio de Baden, Gebehardus lantgravius de Liukenberge, Heinricus de Niffen, Wernherus de Laber, Anshelmus marscalcus de Justingen, advocatus de Raprehteswilaer, Wolframmus et Chunradus fratres de Kranchesperch, Albertus Rindesmoul, Siboto de Tanhusen, Chunradus de Werde, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Romanorum regis invictissimi secundi et regis Sycilie (*Monogramma*).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XV, indictione IIII.

Data apud Egram per manus Chunradi, Metensis et Spyrensis episcopi, imperialis aule cancellarii, undecimo kalendas januarii.

[Circa annum exeuntem.] Fridericus, Romanorum rex, ad querelam monachorum Halsprunnensium jubet ut nullus in curiis eorum placita statuere praesumat, et vastatoribus rerum monasterii mandat ut coram butigelario de Nurnberg compareant responsuri.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XXXI, pars 1ª, p. 493, e libro copiali Hailsbronn. circa ann. 1364 conscripto. — Suspicari licet hoc mandatum in curia quadam Norimbergensi editum fuisse; sed cum notae chronologicae omnino deficiant,

cui anno praecise assignandum sit haud facile dixerim. Ex praesentia tamen Conradi buticularii seu burgravii Nurembergensis mense decembri apud Egram, circa hoc tempus res satis commode adscribenda videtur.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis hoc presens scriptum inspicientibus salutem. Intelleximus ex querela dilectorum nostrorum [fratrum] de Halsprunnen multis praedis et vastationibus ecclesiam ipsorum inquietari, reisa et placita in curiis eorum frequenter haberi et tantas injurias ac molestias eos a malefactoribus perpessos ut jam fere locum eumdem deserere cogantur. Verum quia eadem abbatia nullum advocatum preter Romanorum regem habere dinoscitur, et quia hec injuria in nos redundat, statuimus, ex decreto principum et consilio curie, ne quis de cetero in curiis eorum placita vel reisa ponere vel statuere presumat; per gratiam nostram firmiter precipientes quatinus generaliter ab omnibus hoc necessarium statutum observetur. Si quis vero contemptor et transgressor extiterit, sciat se proscribendum et in nostra irrecuperabiliter esse indignatione. Hiis autem qui in rebus eos dampnificaverunt vel de cetero dampnificare presumpserint, damus in mandatis quatenus quemcumque diem et locum Cuonradus putiglarius noster de Nuernberg eis prefixerit ibidem ad respondendum et satisfaciendum, comparere non differant. Quod si non fecerint, sciant se proscribendos et predia sua per dictum Cuonradum putiglarium nostrum et subditos suos diripienda et omnia ad eos pertinentia sententie proscriptionis subjicienda.

Fridericus, Romanorum rex, locum Wechterwincle, ex petitione Chunradi praepositi et omnium monialium, contra infestationes malorum in protectionem suam suscipit. [Circa ann. 1215.]

(Edit. in *Monum. Boic.,* tom. XXX, p. 38, nº DCVII, ex originali unde sigillum aliquod appendet ex segmento membranaceo. Facta comparatione sigillorum

aliis instrumentis adhuc appensorum, deprehensum est illud primum sigillum Friderici II minoris moduli minorisque elegantiae mutatum esse sub fine anni 1215 aut initio anni 1216. Unde cum instrumentum omnibus notis chronologicis careat, ex forma sigilli monumentorum Boicorum editores conjecerunt istud inter annos 1213-1215 collocandum esse.)

F. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, omnibus hanc paginam inspicientibus salutem et pacem. Regie clementie esse dinoscitur ut ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum commoditatibus prompta benignitate intendamus et eas in bono statu conservare summopere studeamus. Hac inducti consideratione notum facimus universis quod locum qui dicitur Wechterwincle, ex peticione C. (1) prepositi et omnium dominarum ibidem Deo famulancium, in nostram suscepimus protectionem ac defensionem; omni studio volentes ipsum locum sub nostra tuicione a malorum impeticione defensare. Graviter enim nobis prefatus sacer conventus conquestus est de malis et pressuris suis que patitur. Unde presenti scripto omnibus innotescere ratum duximus ut quicumque contra justiciam locum infestaverit, nostram offensam se incurrere non dubitet.

ANNO 1216. — INDICTIONE 4.

Gelnhausen, . . januarii.

Fridericus, Romanorum rex, confirmat donationem curtis Riedern apud Francfort factam conventui de Aulisburg a Paulina vidua Wolframi quondam sculteti in Francfort necnon et a filio et nepte ejusdem Paulinae, pro quadam annua pensione ibidem expressa.

---

(1) Scilicet *Chunradi*. Nomen praepositi inventum est in libro cop. Wechtersw., fol. 25 et 26 ad ann. 1227; quem secutus est Wernherus praepositus, ann. 1229, *ibid.*, fol. 22.

(Edider. GUDENUS, *Cod. diplom. Mogunt.*, tom. II, anecdot., p. 31, nº 16; — et BOEHMER, *Cod. Moenofrancof.*, t. I, p. 24, ex originali quod anno 1744 abbas Arnsburgensis Gudeno praesentavit.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. In eminenti rerum speculo et fastigio mundane dignitatis constituti, ad gaudia felicitatis perpetue viam nobis preparare, gloriam quoque vite perennis mercari indubitanter confidimus, si locis religiosis et eorum personis jugiter Deo famulantibus consilium et auxilium gratie nostre porrigimus et ipsis auctoritate regia confirmamus que largitione fidelium vel quolibet acquisitionis titulo juste consecuntur. Noverint igitur fideles nostri presentes et futuri nos edoctos ex quodam publico et authentico instrumento quod vidimus, legimus et intelleximus, quod felicis recordationis dominus et pater noster, Henricus gloriosus Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, Wolframo quondam scolteto in Frankenvort et Pauline uxori sue ipsorumque legitimis heredibus curtim in Riederin contradiderit (1) cum universis pertinentiis suis in agris, pratis, pascuis, aquis, silvis, ad omnem usum quem ibi valeant proprio consequi labore. Nunc vero prefato Wolframo sublato de medio, Paulina ejus relicta superstes adhuc cum Johanne filio suo et nepte sua, filia scilicet filie sue, aliique ipsorum heredes, in presentia nostra dictam curtim in Ridrin Wilhelmo abbati suisque fratribus et ecclesie sancte Marie Virginis in Aulisburch pari et prompta obtulerunt voluntate, in suorum remissione peccaminum, cum omni jure quondam ipsis tradito a prememorato domino et patre nostro Heinrico inclito Romanorum imperatore semper augusto. Eo tamen pacto quod predicti fratres de quolibet manso hiemali annona fructificato solvant annuatim dicte Pauline et Johanni filio suo neptique ipsius tria maldra sigilinis et unum maldrum tritici, nisi forte hanc pensionem vel hi qui nunc vivunt vel eorum posteri prefate ecclesie in Aulisburch libere propter Deum remittant. Additum est preterea quod si prenominatus Johannes suive pueri sine prole legitima decesserint, dicti census pars

(1) Sub dato Frankfurt, 13 maii 1193, ut monet Boehmerus, *Regest. imper.*, p. 86, nº 160.

media mortua sit, de cetero non solvenda a fratribus prescriptis. Similiter de filia sororis ejus et ipsius heredibus legitime succedentibus adjunctum est. Hanc vero donationem, quia sine nostre voluntatis consensu perfici non potuit, accedente nostre pietatis affectu ratam habuimus et firmam in perpetuum judicamus. Mandamus igitur et districte precipimus ut nemo pretaxatos fratres de Aulisburch in prefatis bonis audeat gravare vel molestare presumat. Quod si quisquam attemptare contra justitiam presumpserit, XX marcas puri auri componat, mediam partem camere nostre, reliquam passis injuriam persolvendam. Ut autem hec omnia perpetue firmitatis robur obtineant, presens publicum et authenticum instrumentum jussimus conscribi et nostra bulla signari.

Hujus rei testes sunt Hermannus lantgravius Thuringie, Ludwicus comes de Cigenhagen, Ludwicus comes de Wirtemberch, Anshelmus de Justingin, Gerlacus de Butengin, Olricus de Minzenberch, Philippus de Bonlandia, Gualterus pincerna, Conradus frater suus, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice M. CC. XVI, indictione IIII.

Data apud Geilenhusen, II kalendas februarii (1).

Apud Hagenowiam, 23 januarii.

Fridericus, Romanorum rex, domui hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum concedit in feudum ut magister ordinis qui pro tempore fuerit in familia curiae imperialis sit adscriptus et ipsi cum uno socio et sex equitaturis in omnibus provideatur. Concedit insuper ut continue duos fratres cum tribus equitaturis pro utroque curia imperii habeat et ipsis provideat.

---

(1) Scilicet 31 *januarii.* Cum autem Fridericus sub fine januarii et etiam in februario fuerit in Alsatia moratus, quomodo uno die apud Haguenau et postero die apud Gelnhausen, quod quinquaginta leucis et amplius distat, agere simul potuerit? Unde credendum est aliquem in notatione diei mensis errorem huc irrepsisse. Libentius vero legerem : *XV kalendas februarii* (18 januar.); quae dies itineri regis Egra ad partes Alsatiae redeuntis multo melius conveniret.

(Edider. DUELLIUS, *Histor. ord. Theuton.*, append. n° XIII, ex MSS. Fuldensibus. — HENNES, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theut.*, p. 20, n° 20, ex libro cui titulus : *Brandenburgische usurpationsgeschichte*, etc., p. 87; qui quidem non dubitat ad ann. 1216 hoc documentum reponere.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Consuevit regalis benignitas domos religionum oculo clementie respicere et earum commoditatibus propensius manu largitatis providere. Inde est quod nos attendentes honestatem religionis que viget in domo hospitali Sancte Marie que est Teutonicorum in Jerusalem, considerantes quoque honestatem personarum illic sub Domino militantium, ut fratres predicte domus in evum specialem in curia imperii locum familiaritatis obtineant et ut meliorem oportunitatem apud dominos imperii promovendi negotium et utilitatem ipsius domus habeant, de largitate clementie regalis concessimus predicte domui in perpetuum pro legitimo feodo gracia imperii tenendum et sine omnimoda permutatione personarum in ęvum habendum, ut quicumque pro tempore fuerit magister et precipuus procurator omnium bonorum que supradictum hospitale in partibus Alemanie vel nunc habet vel in posterum habebit, ut magister ille quotienscumque ad curiam imperii access[er]it, in familia curie imperialis sit adscriptus, et ipsi magistro cum socio uno fratre domus sue et cum sex equitaturis tanquam alii familie in omnibus necessariis habundanter provideatur. Item concedimus in evum memorate domui ut ad procurandam et erogandam elemosinam imperialem, continue duos fratres habeat curia imperii ejusdem domus, qui vicissim venientes et recedentes, alter eorum semper in curia remaneat, et pro utroque illorum fratrum tres equitaturas cum omnibus aliis necessariis volumus haberi et ipsis de curia habundanter provideri. Statuentes ut hec nostre concessionis pagina inviolabiliter memorato hospitali et ejus fratribus in perpetuum observetur.

Testes hujus rei sunt : Conradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius (*a*); Sifridus Augustensis episcopus, Johannes Cameracensis episcopus, Heinricus Argentinensis episcopus, Oddo dux

(*a*) In impressis vero *camerarius*, male.

Meranie, Theobaldus dux Lotharingie, Hermannus marchio de Baden, comes Sigibertus de Werda, comes Hartmannus de Wirtemberg, Heinricus de Niffen, Anselmus de Justingen marescalcus imperii, Ulricus de Mincemberc camerarius imperii, et alii quamplures.

Datum apud Hagenowiam, anno Domini M. CC. XIIII (1), X kalendas februarii, indictione quarta.

Hagenowiae, 30 januarii.

Fridericus, Romanorum rex, domui fratrum Teotonicorum capellam castri in Nuremberg donat, quae post obitum Chunradi tunc ibidem capellani, ad usus eorumdem in omnibus pertineat.

(Editum ap. *Brandenb. usurpationsgesch. gebiete des Ritterord.*, p. 237, beilage 119. —*Monum. Boica*, tom. XXX, p. 39-40, num. DCXVIII, ex originali; — et Hennes, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theuton.*, p. 21, n° 21. — Sigillum in ora paulisper laesum, attamen integrum et optime expressum, appendet ex quadruplici funiculo contexto ex filis sericis rubri et flavi coloris.)

Fridericus secundus, divina favente clementia, Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Ex affluentia regie liberalitatis universarum ecclesiarum utilitatibus atque promotionibus omnimodis intendentes, ad eorum amplius atque specialius locorum provectum et sublimationem serenitatis nostre animum acclinare proposuimus, que non solummodo ad certa crucis Christi obsequia sunt addicta, verum etiam ad sustentationem pauperum disposita esse dinoscuntur. Hinc est quod nos presentium certitudine ad notitiam tam presentis evi quam future posteritatis volumus pervenire quod nos attendentes honestatem et laudabilem conversationem militie et fratrum domus Teotonicorum, procurare cupientes ejusdem domus necessitati, de pura conscientia atque de

---

(1) Non dubitandum quin annus mendose exhibeatur et ibi major indictionis numero fides adhibenda sit.

mera munificentia nostra, ad honorem Dei omnipotentis a quo cuncta bona recognoscimus et ob reverentiam pie Matris ejus perpetue Virginis Marie, donamus et tradimus atque largimur memorate domui militie et fratrum Teotonicorum capellam castri in Nuoremberch, quam nunc ex donatione nostra tenet et possidet Chunradus clericus noster cognomine Episcopus. Eo tamen modo fecimus predicte domui hanc donationem quod post obitum prefati Chunradi clerici et capellani ejusdem capelle, sepedicta domus Teotonicorum habeat et teneat capellam ipsam, tam in ecclesiasticis quam in temporalibus, ad suos et domus sue usus ex nostra regia donatione et confirmatione. Super quo hoc scriptum ipsi domui fieri jussimus, sigillo majestatis nostre communitum.

Hujus rei testes sunt : Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius; Hermannus marcravius de Baden, comes Gerardus de Diets, Eberhardus de Eberstein, Albertus Rindesmule, Ph[ilippus] de Bonlandia, Marquardus de Wagowe, et alii quamplures.

Datum Hagenowie, anno Domini millesimo CC. XV (1), tertio kalendas februarii, indictionis quarte.

Fridericus, Romanorum rex, confirmat hospitali Hierosolymitano in civitate Aurasica quidquid Tiburgis, Willielmus et Raimbaudus de Aurasica eidem hospitali concesserunt, nec non compositionem factam inter hanc domum et Guillelmum de Baucio de medietate civitatis Aurasicae. Hagenoviae, februario.

(Inedit. ex collect. Peyresc in Bibl. Carpentor., ap. regestum cui titulus est : *Aurenge*, n° I, ubi legitur cum lacunis sicut damus, dum privilegium originale vel integram saltem copiam non potuerimus invenire. Originale tamen in archivo Aurasicensi quondam extabat cum bulla aurea filis sericis rubeis appensa.)

---

(1) Licet annus dominicae incarnationis non exprimatur, non dubitandum quin eo ipso anno scriba imperialis hic utatur.

Fredericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, etc. Notum esse volumus quod nos attendentes venerandam religionem et laudabilem vitam fratrum hospitalis Hierosolymitani, etc., et pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum, etc., ad supplicationem quoque fratris Aymerici de Pace majoris preceptoris citra mare hospitalis Hierosolymitani, etc., concedimus, etc., et pro perpetuo confirmamus, etc., quecumque Tiburgis de Aurasica, filia quondam Guillelmi de Aurasica, et uxor quondam Raimbaudi Guirani, et Raimbaudus de Aurasica, filius Willielmi de Aurasica, et filius Chauce donaverunt et concesserunt ad intercessionem prefati fratris Aymerici de Pace et Martini Dandosi tunc prioris Sancti Egidii pro hospitali Hierosolymitano in civitate Aurasice, etc., et nominatim quidquid Willielmus de Aurasica frater prefate Tiburgis et avus dicti Raimbaudi habuit et tenuit in civitate Aurasice, etc. De abundantiori quoque munificentia nostra concedimus, etc., castrum de Barreto, castrum de Sarinhano, castrum de Camareto et Martinhanum et Petram Latam cum omnibus tenementis, etc., que ibi habebant, etc. predicti Tiburgis et Raimbaudus de Aurasica. Confirmamus etiam compositionem factam inter domum hospitalis et Guillelmum de Baucio super controversia quam habebant de donatione medietatis Aurasice et ejus tenementi, domui hospitalis Hierosolymitani a predictis Tiburgi et Raimbaudo de Aurasica collata, etc.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia Romanorum regis semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Datum Hagenowe, anno Domini M° CC° sexto decimo, mense februario, quarta indictione, anno regni ipsius quarto, et Sicilie octavo decimo.

Apud Sanctum Naborem, 12 martii.

Fridericus, Romanorum rex, ad preces fidelis sui Reinhardi de Lutra concedit ut per totum patrimonium suum in Lutra, in quo dictus Reinhardus ratione feudi teloneum accipere consuevit, coe-

nobium de Wadegozin (Wadgassen) libere transire et res suas sine omni teloneo traducere debeat.

(Edid. Steph. Alex. Wurdtwein, *Monasticum Palatinum*, tom. II, p. 116, n° XXII.)

F. Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis fidelibus suis quibus presens scriptum exhibitum fuerit, gratiam suam et omne bonum. Ne ab heredibus suis minus forte discretis, ratione telonii quod per totum patrimonium nostrum in Lutrin fidelis noster Reinhardus de Lutrin in recto feodo habere dinoscitur, cenobium in Wadegozin aliquando possit molestari, dictus R. anime sue providens de futuris humiliter a nobis postulavit ut nos donationem sive concessionem, verum etiam indulgentiam quam ipse R. dicto cenobio ex bona sua voluntate et mera conscientia donavit, concessit et indulsit, videlicet quod tota familia dicti cenobii per omnia loca patrimonii nostri in Luteren in quibus dictus R. ratione feudi sui telonium accipere consuevit, absque omni thelonio libere debeat transire et res dicti cenobii traducere, ut nullus heredum suorum decreto prescripto possit contravenire, publico instrumento sigillo nostro munito volumus (vellemus) confirmare. Nos itaque justis precibus suis benignum adhibentes assensum, dicto cenobio in Wadegozin dictam donationem, concessionem et indulgentiam decrevimus confirmare; statuentes et per gratiam nostram firmiter precipientes ut nullus heredum dicti Reinhardi sive aliarum personarum aut occasione nostre potestatis sive alicujus, dictum cenobium in traducendis rebus suis in locis supradictis presumat impedire vel molestare aut aliquod ab eo telonium accipere. Quod qui facere presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incurrisse. Ad cujus rei majorem evidentiam, presentem chartam scribi et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum apud Sanctum Naborem (1), IIII [idus] martii, indictione IIII.

---

(1) Cum Grodegrandis episcopus Metensis Roma rediens reliquias Sancti Naboris in monasterio Sancti Pauli deposuisset, anno circiter 750, locus nomen novum induit Sancti Naboris, nunc per corruptelam *Saint-Avold*. Vid. supra, p. 415, not. 2.

Apud Sanctum Naborem, 14 martii.

Fridericus, Romanorum rex, abbatiam Villariensem (Villers-Betnach) in dioecesi Metensi ab omni teloneo tam in terra quam in aquis per totum imperium eximit.

(Edit. ap. *Histoire gén. de Metz par des religieux bénédictins*, t. III, preuves, p. 180; Metz, 1775; ex arch. abbat. Villar.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Notum fieri volumus universis theloniorum nostrorum procuratoribus tam in terra quam in aquis constitutis qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint quod nos imitatione dilecti domini et patris mei (*sic*) Henrici Romanorum imperatoris augusti et regis Sicilie, divini amoris intuitu et pro salute anime nostre, venerabiles fratres Cisterciensis ordinis universos et specialiter domum Villariensem sitam in diocesi Metensi ab omni teloneo tam in terra quam in aquis per totum imperium nostrum liberos esse volumus et absolutos. Mandamus igitur et sub pena gratie nostre districte precipimus ut nullus telonariorum nostrorum aut nuntiorum aliquid omnino telonei accipere vel ab eis requirere presumat. Quod qui facere contumaciter attentaverit, iram et indignationem nostram graviter se sciat incursurum.

Datum apud Sanctum Naborem, anno dominice incarnationis M. CC. XV, II idus martii, indictione IIII.

Apud Sanctum Naborem, 16 (?) martii.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam de Wadegoz (Wadgassen) confirmat in possessione cujusdam molendini in curia Burgalben prope Lutram, vetatque ne ullus officiatorum suorum praedictam ecclesiam super hoc molendino molestare praesumat.

(Edid. Steph. Alex. Wurdtwein, *Monasticum Palatinum*, tom. II, p. 104, n° XV.)

Fr. Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, Renardo de Lutra et omnibus aliis scultetis qui pro tempore ibidem fuerint et universis quibus he littere fuerint exhibite, gratiam suam et omne bonum. Quoniam ad hoc in imperatoria dignitate sumus constituti ut unicuique jus suum conservetur illesum et ut sub nobis quilibet bonorum suorum gaudeat quieta et pacifica possessione, specialiter tamen sancta Dei Ecclesia et ipsorum bona sine quibus hi vivere non possunt qui Dei ecclesiis deserviunt et in his Deo militant sub habitu religionis, hoc ita firmiter volumus observari ut quilibet viri religiosi bonis ipsorum de quibus ipse victus ministratur et vestitus, libere utantur et ipsorum bonorum quieta et tranquilla gaudeant possessione sine cujuslibet hominis perturbatione. Igitur hinc est (*a*) quod nos ad notitiam omnium fidelium nostrorum volumus pervenire quod nos volumus et per gratiam nostram firmiter precipimus ut ecclesia illa de Wadegoz que multa, ut [in] veritate intelleximus, perfulget religionis honestate, quoddam molendinum quod est a curia que dicitur Burgalben que sita est prope Lutram, in omni pace possideat et tranquillitate, et nolumus ut aliquis officiatorum nostrorum de Lutra qui nunc est vel qui pro tempore futurus est vel aliquis alius re quacumque vel occasione predictam ecclesiam Wadegoz in anteadicto molendino gravet vel molestet. Quod si quis facere presumpserit, iram et indignationem nostram graviter se sciat incurrisse. In potestate etiam prefati molendini recognoscimus esse predictam ecclesiam de Wadegoz. Ut autem ipsa ecclesia prememoratum molendinum semper in pace possideat, hanc cartam conscribi jussimus et sigillo nostro communiri.

Datum apud Sanctum Naborem, anno dominice incarnationis M. CC. XX (*sic*), VIII kalendas aprilis (1), indictione quarta.

(*a*) In impresso autem *Hujus fine*, minus recte.

---

(1) Mendum in notatione anni luce clarius, neque minus erronea notatio diei mensis (25 martii) esse videtur. Verisimiliter legendum est *anno MCCXV, XVII kalendas aprilis* (16 martii) : quod rectius se itineri accommodat.

Haguenau, 20 martii.

Fridericus, Romanorum rex, principibus et magnatibus inferioris provinciae mandat ut cives Aquenses in ea libertate quam a tempore Caroli magni habere consueverunt, manuteneant, nec aliquod gravamen super exemptione thelonei eis inferri permittant.

(Edider. Lunig, *Reichsarchiv,* t. XIII, p. 57. — Quix, *Cod. diplom. Aquens.*, p. 110, n° 161.)

Fr. Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis universis principibus et magnatibus inferioris provincie, gratiam suam et omne bonum. Conquesti sunt nobis fideles nostri cives Aquenses quod libertatem illam quam ipsi in theloneo et in aliis honoribus suis a tempore Karoli et sub progenitoribus nostris habere consueverunt, jam amittere incipiunt et in jure suo defraudantur. Verum quia nos consuetam libertatem eorum quam a tempore Karoli habere consueverunt, inviolatam eis semper observare volumus, universitatem vestram omni precum instantia monemus atque rogamus quatenus vos, intuitu dilectionis nostre, in eo jure quod nos ipsis per privilegium nostrum confirmavimus, videlicet ut in omnibus finibus imperii ab omni exactione thelonei liberi sint et immunes, eos manuteneatis, nec aliquam eis injuriam seu gravamen in concessione nostra ab aliquo eis inferri permittatis; omnes eos qui memoratis civibus injuriam aliquam intulerint, potestate vestra coercentes et taliter eos punientes ut nos speciales vobis proinde gratos (*sic*) et retributores semper teneamur.

Datum apud Hagenowe, XIII kalendas aprilis, indictione IIII[a].

Haguenau, martio.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Sancti Salvatoris de Messana ad hortatum papae Innocentii tertii sub regia sua protec-

tione suscipit, eique renovat privilegium mense junio 1200 jam a seipso indultum.

(Memorat. ap. R. Pirrum, *Sicil. sacra,* t. II, p. 981, cum hac nota : « Id exscribendum in tabulis Franc. Calvi Messan., ann. sal. 1497, indict. I, die 13 octobris, archimandrita Macarius sategit. » Nomina testium foede corrupta et locum dati privilegii restituere curavimus.)

Hujus rei testes sunt Conradus Ratisponensis episcopus, Henricus Argentinensis episcopus, L. dux Bavarie, C. (*sic*) marchio Moravie, Hermannus marchio de Baden, landgravius de Thuringia, Waltherus de Siph pincerna, Riccardus camerarius (*a*). . . . . .

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, vice domini Moguntini archiepiscopi totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum Hagenoviae (*b*), anno [dominice incarnationis] MCCXVI, mense martio, IV indictione.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium de Novocastro (Neuenburg) in praedio suo situm sub protectione sua suscipit, eique paludem quamdam Salzbruch vocatam ad petitionem cancellarii sui confert, majora se additurum promittens. In Novocastro, [martio].

(Edidit Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 331, n° CCCCIII.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, omnibus has majestatis nostre litteras inspicientibus gratiam et omne bonum. Omnibus fidelibus nostris ceterisque sub majestatis nostre ditione constitutis manifestum esse volumus quod eodem dilectionis, pietatis,

(*a*) Tres isti apud Pirrum sic indicantur : *Salsagravio de Troyna, Voult de Liph pincerna, Ricto camerario* (*!!*)

(*b*) Per oscitantiam scriptoris *Anagn.,* verisimiliter pro *Agenowe.*

benignitatis et gratie affectu monasterium nostrum quod Novum Castrum vocatur fratresque inibi Deo et beate Marie ipsius genitrici militantes et pro nostra salute orantes amplectentes, defensare et protegere desideramus, quo etiam hoc gloriosos progenitores nostros, inclitum videlicet avum nostrum et beatissime memorie patrem nostrum, ceterosque parentes nostros fecisse cognovimus. Inde est quod prefatum locum in predio nostro situm, ut pote cameram nostram Hagenowa, sub umbra nostre majestatis ab omnibus malefactoribus volumus esse tutatum. Ea scilicet ratione ut tanto liberius atque devotius pro salute nostra et imperii nostri, remota malorum perturbatione, queant vigilanter ad Deum orare. De cetero quoque noveritis paludem quamdam que Salzbruoch vocatur infra terminum nemoris nostri sitam, quam jamdicti fratres usibus suis aptam fieri posse asseverabant ipsamque mediante dilecto nostro cancellario a nobis impetrabant, nos igitur quia divinam clementiam nostram salutem ubique protegentem per omnia revereri venerarique debemus et cupimus, prefatum locum Saltzbruoch in honore Dei et beate Marie aliorumque sanctorum quorum reliquie ibi sunt, sepedicto monasterio cum consilio cancellarii nostri contulimus. Nec moveat quemquam quod tam exiguo dono sepedictum monasterium nostrum ditare cepimus, quia cum oportunum tempus venerit, annuente Deo, nos uberiora facturos speramus.

Acta sunt autem hec et scripta anno ab incarnatione Domini MCCXVI, concurrente V, indictione IV, epacta nulla (1), in Novocastro, coram his testibus : domino episcopo Metensi et Spirensi et cancellario Cuonrado, Heinrico comite de Duobus Pontibus, comite Hugone de Lucclenstein, comitibus de Sarwerde, domino Eberardo de Eberstein, domino Gerlaco de Budingen, Hermanno marscalco, Wernero de Bolande, Reinnardo de Lutera, Heinrico de Winstein, Richardo camerario, Hartungo scolteto de Hofelden, Drutmanno et Herlewino forestariis, et aliis quampluribus.

---

(1) Cum eodem temporis computandi modo adest alterum Neoburgense privilegium in *Historia diplomatica Henrici septimi*, mense maio 1223. Deficiente notatione mensis, ex loco tamen dati privilegii et ex collatione testium ad mensem martium exeuntem hoc referendum esse arbitramur.

Fridericus, Romanorum rex, memorans privilegia Johanni episcopo Cameracensi in solemni curia Aquisgranensi a se indulta, revocat et cassat omnino privilegium a se postea civibus Cameracensibus concessum, pro eo quod absente episcopo et contra principum sententiam illud fraudulenter obtinuerant. Apud Spiram, 12 aprilis.

(Edit. ap. *Mémoire pour M. l'archevêque de Cambray* (M. de Choiseul); Paris, 1772, in-4°, pièces justificatives, n° XIX; ex autographo sign. VIII in arch. eccl. Camerac., recentius sign. CXLI.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie, omnibus quibus presentes litteras videre contigerit gratiam suam et omne bonum. Ad vestram volumus notitiam pervenire quod cum dilectus et fidelis princeps ac consanguineus noster Johannes Cameracensis episcopus, facto nobis hominio et prestito juramento, cum integritate universi juris sui tam in privilegiis quam in aliis que ipse vel antecessores sui a nobis vel antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus, tam Othone dum esset catholicus quam aliis, optinuerant, plenariam investituram de regalibus suis in solempni curia Aquisgrani in coronatione nostra recepisset a nobis, ad ipsius instantiam litteras quas contra eum et in prejudicium Cameracensis ecclesie cives ejus Cameracenses super consuetudinibus ipsorum vel aliis confirmatis vel concessis, a nobis ipso absente et ignorante ante investituram suam impetraverant, per sententiam principum revocavimus et decrevimus penitus non valere; ipsum episcopum et ecclesiam suam in protectionem regie magnitudinis recipientes et omnes ecclesie sue libertates et jura universa ei (1) et suis successoribus confirmantes. Preterea cum dictus episcopus in eadem curia secundum jus

(1) Huc usque tenor litterarum quas a Friderico II obtinuit Johannes Cameracensis episcopus, Aquisgrani, anno 1215, IV kal. augusti. Vide supra, p. 406 et 407.

curie probasset quod Otho antecessor noster prefatos cives Cameracenses, homines ipsius episcopi, ad conquestionem ejus in solempni curia apud Augustam a quinque annis retro et amplius per sententiam principum banno regali suppositos proscripsisset, nos bannum et proscriptionem illam ex sententia principum similiter approbantes et etiam confirmantes, eam absque presentia ipsius episcopi censuimus revocari non posse (1). Postmodum autem cum supradictorum tacita veritate sepedicti cives Cameracenses leges, jura universa atque libertates, privilegia et consuetudines quibus ipsi progenitorum nostrorum temporibus usi fuerant, videlicet domini Friderici dive memorie avi nostri nec non et incliti genitoris nostri H. serenissimi Romanorum imperatorum, confirmari sibi impetrassent a nobis (2), ignorante sicut et antea prelibato episcopo et absente ac jam in itinere Romani Concilii constituto, nos iterum ad conquestionem ipsius, per sententiam principum litteras illas sive privilegium a predictis civibus impetratum a nobis, ne de fraude sua commodum reportarent et ne eidem episcopo in jure suo videremur deesse vel judicio principum in tam solempni facto curia contraire, in irritum revocavimus, omnino carere viribus decernentes. In cujus facti memoriam, presentem jussimus conscribi paginam et testibus subnotatis sigilli nostri munimine roborari.

Testes autem sunt hii Conradus Ratisponensis episcopus, Borkardus comes de Mannefelt, Adulphus comes de Scowenborc, Sighebertus comes de Werde, Gerardus et Henricus comites de Dieth, Fridericus comes de Lininke, Warnerus comes de Quiborc, Henricus comes de Gemino Ponte, Henricus comes de Rapreswilre, Wernerus senescalcus imperii, Anselmus de Justingen marescalcus imperii, Ulricus de Mincenberc camerarius imperii, Philippus de Bonlandia, Simon advocatus Metensis, Conradus de Tenne prepositus Warmaciensis, Bertrandus archidiaconus, Petrus de Viri canonicus Metensis, magistri Joannes thesaurarius, Michael et Wil-

---

(1) Ista secunda pars diplomatis recitatio est litterarum ejusdem Friderici de banno civium Cameraci, quae datae fuerunt Aquisgrani, II kal. augusti 1215. Vide supra, p. 408.

(2) Vide supra privilegium dat. Hagenowiae, 26 septemb. 1215, p. 425.

lelmus canonici Cameracenses, Johannes de Markonio, Johannes de Cantain pares Cameracenses, et multi alii.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. sexto decimo, regnante domino Friderico secundo Romanorum rege glorioso, anno regni ipsius quarto.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sigifridi Moguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum apud Spiram per manum Bertholdi imperialis aule prothonotarii, pridie idus aprilis, indictione quarta.

Fridericus, Romanorum rex, Gerardum de Sinzig fidelem suum a parte Mosellae in descensu Rheni tam in hominibus quam in proventibus suis procuratorem suum constituit. Apud Spiram, 17 aprilis.

(Edider. GUDEN., *Cod. diplom. Magunt.*, t. II, pars 2ª, p. 933, ex autographo.— HONTHEIM, *Histor. Trevir.*, t. I, p. 651.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris scriptum hoc intuentibus notum esse volumus quod nos omnem procurationem nostram illa parte Moselle in descensu Rheni tam in hominibus quam in proventibus nostris fideli dilecto nostro Gerhardo de Sinszeche, considerantes ipsius fidelitatem, commisimus procurandam. Unde omnibus ibidem commorantibus sub pena gratie nostre mandamus ut eidem Gerardo omni jure quo nobis tenentur obediant, et ipsum tanquam nostrum specialem dilectum promovere intendant.

Data apud Spiram, anno Domini M. CC. XVI, indictione IIII, XV kalendas maii.

Herbipoli, 1° maii.

Anno Domini MCCXVI, Fridericus rex in festo apostolorum Philippi et Jacobi curiam apud Nurimberch (1) habuit, ubi Petrus cardinalis Sanctae Potentianae a domino papa missus affuit. Huic curiae Engilbertus Coloniensis electus se exhibuit, et a domno Petro cardinale confirmatus regalia a Friderico rege suscepit. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 353.

Herbipoli, 6 maii.

Fridericus, Romanorum rex, Heinrici sexti patris sui privilegium 28 junii 1193 editum renovat et inserit, quo imperator traditionem castri Ahr a Theoderico de Hostaden et Gerardo de Ahr ecclesiae Coloniensi factam testatur, atque burgensibus de Colonia et de Nussia thelonii exemptionem apud Boppardiam et Werdam concedit.

(Edidit LACOMBLET, *Urkundenb. für die gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 25-26, n° 49, ex originali in arch. civit. Colon. — Privilegium vero Henrici sexti reperitur in prima parte ejusdem libri sub n° 539.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fredericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sycilie. Ea que ex certa conscientia ac mera divorum progenitorum nostrorum Romanorum imperatorum liberalitate expertis fidelibus imperii collata pro suis meritis dinoscuntur, debitam a regie majestatis munificentia merentur recipere firmitudinem. Hinc est quod nobiles burgenses Colonienses quoddam nobis privilegium suum quod ipsi et eorum

(1) Sic, sed perperam, dum revera apud Wirzeburg haec curia celebrata fuerit.

predecessores a serenitate quondam incliti genitoris nostri Henrici Romanorum imperatoris et semper augusti, fidelitatis ac devotionis sue puritate obtinuisse dinoscuntur, in solempni curia nostra Herbipoli nobis obtulerunt, ut illud ex gratia regie benignitatis confirmare dignaremur postulantes instanter; cujus tenor talis fuit :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus sextus, divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus. Imperatorie majestatis excellentia fidem sinceram ac devota fidelium obsequia clementer consuevit attendere, eosque quos devotos imperio et obsequiosos invenerit largiflua sue munificentie dextera remunerare, perfidos autem et rebelles condigna percellere vindicta. Ad noticiam itaque tam presentis etatis quam successure posteritatis volumus pervenire quod nos attendentes fidem puram ac devota obsequia dilecti principis nostri Brunonis Coloniensis archiepiscopi, ex consilio principum et sententia et aliorum multorum imperii fidelium, castrum Are quod nos cum salemanno (1) nostro pro imperio et ad opus imperii a fidelibus nostris comitibus Theoderico de Hostaden et Gerardo de Are receperamus, pro dimidia parte castri Nurberch et pro toto allodio Nurberch pertinente ab imperio cambivimus, ipsumque castrum Are predictis comitibus resignavimus, et ipsi comites in presentia nostra et multorum principum aliorumque imperii fidelium proprietatem illius castri ecclesie Coloniensi in manus Brunonis archiepiscopi Coloniensis et Henrici majoris domus in Colonia advocati nostro consensu et voluntate resignaverunt et ab eodem archiepiscopo castrum illud in feodo receperunt, judicio et consensu principum facientes eidem archiepiscopo hominium et fidelitatem jurantes. Hec autem in presentia nostra acta sunt et hujus rei testes sumus. Ad hec quoque ad omnium imperii fidelium volumus pervenire noticiam quod nos privilegium illud quod dilecto principi nostro Philippo pie recordationis quondam Coloniensi archiepiscopo et ecclesie Coloniensi a

(1) *Salmann,* id est vir in curia sedens pro executione juris.— Vid. Heumann, *Comment. de Salmannis,* opusc., p. 289 (Norimb., 1747), et Westenrieder, *Glossar. German. Latin.* ad verbum *Sal* (Monach., 1816).

nostra serenitate tam ipsi archiepiscopo quam ecclesie et civitati Coloniensi concessum est, tam ipsi ecclesie quam civitati Coloniensi perpetuo confirmamus et imperiali auctoritate corroboramus : scilicet ut burgenses de civitate Coloniensi et Nussia et aliis oppidis ad manum archiepiscopi Coloniensis libere pertinentibus apud Bopardiam nullum de cetero nisi antiquum persolvant theloneum; apud Werdam vero ab omni theloneo liberi sint et absoluti. Si vero aliquis predictorum burgensium sive mercatorum a nostris thelonéariis culpetur quod merces vehat alienas, juramento proprie manus se expurget et sine dilatione libere recedat. Ista quidem et alia omnia que in privilegio ecclesie Coloniensi a nobis prius indulto continentur, rata et inconvulsa perpetuo volumus observari. Statuimus itaque et imperiali auctoritate firmiter precipimus ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostre confirmationis paginam violare vel ausu temerario presumat contraire. Quod qui facere attemptaverit, nostre majestatis indignationem graviter se noverit incursurum. Ut igitur omnia que suprascripta sunt rata perpetuo observentur et firma, presentem exinde paginam conscribi et sigillo nostre majestatis precipimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Johannes Treverensis archiepiscopus, Otto Frisingensis episcopus, Udelscalcus Augustensis episcopus, Dithalmus Constantiensis episcopus, Henricus Wormatiensis episcopus, Cunradus abbas de Lacu, Gozwinus abbas de Monte, Cunradus Goslariensis prepositus, Adolfus major in Colonia prepositus, Bruno prepositus de Gradibus, Tirricus prepositus Sanctorum Apostolorum, Cunradus palatinus comes Reni, Hermannus lantgravius Thuringie, Albertus marchio Misnensis, Cunradus marchio de Landesberc, Henricus dux Lovanie, Henricus dux de Limburch et filii ejus Henricus et Walramus, Adolfus comes de Scowenburc, Albertus comes de Werningerode, Gunterus comes de Keverinberc et filius ejus Gunterus, Gevardus burgravius de Megedeburc, Emecho comes de Liningen, Fridericus burgravius de Nurenberc, Godefridus comes de Vehingen, Boppo comes de Wertheim, Henricus comes de Seine, Wilhelmus comes Juliacensis, Fridericus comes de Vienne, Henricus comes de Kesle, Gerardus comes de Lon, Symon comes de Tecke-

neburc, Heinricus comes de Spanheim et fratres sui Albertus et Lodowicus, Henricus de Wroizbreth, Walterus, Bertoldus, Gerardus de Wassenberc, Gerardus de Grintberc, Gerardus de Dist, Rutgerus de Mereheim, Wilhelmus de Hemersbach, Henricus burgravius Coloniensis, Hermannus advocatus Coloniensis, Hermannus Camerarius, Wilhelmus Solidus, Lambertus de Wintre, Antonius de Blense, Volcquinus Stempel, et alii quamplures.

Signum domini Henrici sexti, Romanorum imperatoris gloriosissimi.

Acta sunt hec regnante domino Henrico sexto, Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXIII, imperii vero III, anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo III°, indictione undecima.

Datum apud Wormatiam, IIII kalendas julii.

Nos itaque solita benivolentia aures regie serenitatis inclinantes precibus predictorum burgensium, ipsis et nobili civitati Coloniensi tanquam dilectis et semper diligendis imperii fidelibus regium per omnia prebentes favorem, omnia ipsis et eorum civitati, ut superius pretaxatum est, a recolendo inclito genitore nostro indulta, rata in perpetuum habenda approbamus atque presentis scripti patrocinio sigillo majestatis nostre communito confirmamus; statuentes atque regali auctoritate firmiter precipientes ne ulla omnino persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, hanc nostre approbationis et confirmationis paginam infringere vel ausu temerario ei aliquo unquam tempore presumat contraire. Quod qui facere attemptaverit, majestatis nostre indignationem cum debita pena se noverit incurrisse.

Hujus rei testes sunt : Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Otto Wircburgensis episcopus, Chunradus Ratisponensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Engilbertus Coloniensis electus, Ulricus Pataviensis electus, Liupoldus dux Austrie et Styrie, Hermannus et Fridericus fratres marchiones de Baden, comes Ludwicus de Wirtemberch, Bertoldus de Niffen et filius suus Henricus, Anselmus de Justingen marscalcus imperii, Wernerus de Bonlandia dapifer imperii, Waltherus de Sipf pincerna imperii, Dieto camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, divina favente clementia Romanorum regis et semper augusti, et regis Sycilie invictissimi.

Ego Chunradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec Herbipoli, anno dominice incarnationis M. CC. XV (1), regnante domino Friderico secundo et gloriosissimo Romanorum et Sycilie rege et semper augusto, anno regni ipsius in Germania quarto, in Sycilia vero XVIII, feliciter.

Datum per manus Bertholdi de Niffen imperialis aule protonotarii, II nonas mensis maii, indictione quinta (*a*).

Herbipoli, 11 maii.

Fridericus, Romanorum rex, consuetudini occupandi res decedentium episcoporum et abbatum et proventus ecclesiarum cathedralium et abbatiarum per totius anni circulum in usus proprios convertendi, quam antecessores sui exercuerunt, renuncians, Ottoni Herbipolensi episcopo ejusque ecclesiae speciale super hoc privilegium elargitur.

(Edit. in *Monum. Boic.,* tom. XXX, p. 41, n° DCXIX, ex originali unde sigillum illaesum appendet ex filis sericis viridis, rubri et albi coloris. Versio autem hujus renuntiationis germanica habetur in Frisio ap. Ludewig, *Geschichtschr. von Wurzb.,* p. 548, et in Lünig, *Spicileg. eccles.,* II Theil, p. 945.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Illud privilegium quod Rex

(*a*) Indictio mendosa seu male transcripta, cum tunc *quarta* tantum fuerit.

---

(1) Licet in originali clare legatur 1215, non dubitandum quin ad ann. 1216 referri debeat documentum, quum simul id moneant ordo rerum et locorum, Engilberti Coloniensis electi inter testes mentio et annorum tam in Germania quam in Sicilia regni concordia.

regum et Dominus dominantium in memoriam ecclesiastice libertatis preciosissimo sanguine suo scripsit, ita regio decet custodiri favore ut numquam in eo quicquam appareat quod illius gratie videatur obtenebrare decorem que a tanto procedit auctore. Ut ergo post terreni regni fastigia securius expectare possimus ab ipso felicitatis eterne coronam, cum nostre devotionis ministerio permanserit in sue integritatis gloria sponsa Christi, grata sui status debet a nobis percipere pocius incrementa quam ipsius quasi sub quadam specie servitutis probrose sinamus indumenta discerpi. Ideoque veterem illam consuetudinem detestantes, quam antecessores nostri Romanorum imperatores et reges in cathedrales exercuerunt ecclesias et abbatias que manu regia porriguntur, quod videlicet, decedentibus episcopis et prelatis earum, non tam reliquias rerum mobilium eorumdem consueverant occupare ac convertere in usus proprios occupatas, quam etiam redditus et proventus per tocius anni primi circulum (*a*) ita prorsus auferre ut nec solvi possent debita decedentis nec succedenti prelato necessaria ministrari, eidem consuetudini sive juri vel quocumque vocabulo exprimatur renunciamus penitus ob reverentiam crucifixi, cujus in nostro corpore bajulamus insignia (1); illud eisdem ecclesiis perpetuo jure donantes et auctoritate regia statuentes ut ecclesiarum omnium libertate integra semper in omnibus permanente, res et redditus hujusmodi in solvenda debita decedentium prelatorum et in alios ecclesiarum usus per manus legitime succedentium libere convertantur. Obsecramus igitur easdem ecclesias et in virtute Altissimi contestamur quatinus ob hanc munificentie nostre gratiam nostrum apud Altissimum supplere dignentur piis orationibus imperfectum, et post terminum vite nostre anniversarium obitus nostri diem in perpetue commendationis memoria retinere. Ut autem hec omnia, sicut a bone voluntatis nostre liberalitate procedunt, perpetuis temporibus maneant inconvulsa, presens inde privilegium dilecto principi et amico nostro

(*a*) Alias autem *curriculum*.

---

(1) In curia Aquisgranensi signum crucis Fridericus acceperat. Vid. supra, p. 395.

speciali Ottoni Herbipolensi episcopo et ecclesie sue Wirceburgensi quam pio favore amplectimur, conscribi precipimus et nostre imaginis impressione muniri; statuentes ut quisquis contra hec presumpserit aliquid attemptare, centum libras auri pro pena componat, quarum medietas fisco cedat et pars altera illis quibus injuria fuerit irrogata.

Testes hujus rei sunt : Otto Frisingensis episcopus, Cunradus Ratisponensis episcopus, Otto Herbipolensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Siboto Havelbergensis episcopus, Engelbertus (*a*) Coloniensis electus, Ulricus Pattaviensis electus, Heinricus Hersveldensis abbas, Cuono Elewacensis abbas, Hartmannus Fuldensis electus, Ludewicus comes palatinus Reni et dux Bawarie, Lupoldus dux Austrie, Otto dux Miranie, Hermannus marchio de Badin et Fridericus frater ejus, Ansalmus marscalcus, Wernerus dapifer, Walterus pincerna regalis aule, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi et semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Cunradus Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntiensis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M° CC° XVI°, indictione IIII^a^, regnante domino Friderico secundo, Romanorum rege invictissimo et semper augusto et rege Sicilie.

Datum Herbipoli per manum Bertoldi regalis aule protonotarii, V idus maii, anno regni ejus quarto.

Herbipoli, 11 maii.

Fridericus, Romanorum rex, consuetudini de jure spoliorum renuntians, Sophiae abbatissae de Quedlinburg ejusque ecclesiae speciale super hoc privilegium elargitur.

(*a*) Ap. Monum. Boica *Engelardus*, minus recte.

(Edider. Erath, *Cod. Quedlimb.*, p. 134, cum facsimile et sigillo. — Lünig, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 205.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Illud privilegium, etc. [*Sequitur sicut in praecedente, ipsissimis verbis usque ad :*] presens inde privilegium dilecte principi nostre domine Sophie abbatisse in Quitilingeburch et ejus ecclesie perpetuo donavimus, et conscriptum imaginis nostre impressione muniri precepimus, statuentes, etc.

Testes hujus rei sunt, *ut supra.*

Signum, etc., *ut supra.*

Ego Cunradus Metensis, *ut supra.*

Acta sunt hec, etc., et rege Sicilie, anno ejus regni Romani IIII.

Datum Herbipoli per manum Bertoldi regalis aule protonotarii, V idus maii.

Fridericus, Romanorum rex, consuetudini de jure spoliorum renuntians, Alberto Magdeburgensi archiepiscopo ejusque ecclesiae super hoc speciale privilegium elargitur. Addit insuper exemptiones diversas eidem ecclesiae profuturas, cum confirmatione monetae cudendae et metallorum quae in bonis ejus reperiri potuerint. Herbipoli, 11 maii.

(Edider. Meibomius, *Scriptor.*, t. II, p. 378. — Tolner, *Histor. Palat.*, p. 66. — Sagittarius, *Hist. duc. Magdeb.* ap. Boysen, *Magazin*, t. II, p. 114.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Illud privilegium, etc. [*Sequitur sicut in duobus praecedentibus, eisdem verbis usque ad :*] commendationis memoria retinere. Cum autem Magdeburgensis ecclesia que nonnullas pro exaltatione nostra passa est sollicitudines et labores, in subscriptis articulis a quibusdam antecessoribus nostris privilegio pro-

meruit honorari, nos private libertatis ipsius nolentes restringere terminos, sed potius ampliare, ad preces dilecti principis nostri ejusdem ecclesie archiepiscopi Adelberti, qui principalis et precipuus nostre sublimationis auctor extitit et promotor, nostra authoritate statuimus innovantes ut cum in civitate Magdeburgensis ecclesie vel oppidis pertinentibus ad eamdem a nobis et successoribus nostris curias regales celebrari contigerit, universis (*a*) que in aliis civitatibus aut locis, in moneta, teloniis et ceteris utilitatibus quibuscumque imperiali juri provenerint ab eisdem, in prefati archiepiscopi et successorum ejus bonis et fructibus libera semper existant, predicte ecclesie profutura; in omnes etiam homines civitatis, oppidorum seu villarum ipsius regales tallie, petitiones aut exactiones nulla unquam occasione preter ejusdem archiepiscopi et successorum ipsius exerceant[ur] assensum, nec quisquam preter ipsum archiepiscopum et dictos successores ejus aliquid juris habeat in eosdem, et ubicumque percussio Magdeburgensis numismatis hactenus currere consuevit, nullus unquam presumat cudere de novo monetam, sed prefati cursus numismatis large per predictos terminos in suo robore perseveret. Ad hec eidem ecclesie nostra liberalitate donamus ut si alicubi in bonis ejus in quavis specie contigerit reperiri metallum, in usus ipsius ecclesie perpetuo deputetur; adjicientes ut quelibet jura que sepedicte ecclesie a nostris antecessoribus fuit (*b*) concessa, libera semper ipsi maneant et quieta. Ut autem hec omnia sicut a bone voluntatis nostre liberalitate procedunt, perpetuis temporibus maneant inconvulsa, presens inde privilegium conscribi precepimus et nostre imaginis impressione muniri; statuentes, etc.

Testes hujus rei sunt, *ut supra.*

Et ego Conradus Metensis, *ut supra.*

Acta sunt hec, etc., *ut supra.*

Data Herbipoli per manum Bertholdi regalis aule protonotarii, V idus maii, anno regni domini regis IV.

(*a*) Legendum vero *universa*, ut opinamur, dum aliter sensus omnino perturbetur.

(*b*) Sic, verisimiliter autem *fuerint.*

Fridericus, Romanorum rex, fideli suo Bopponi comiti de Henneberg in rectum et perpetuum feudum concedit argentifodinas, metalla et salinas quae in ejus terra amodo reperta fuerint. Herbipoli, 12 maii.

(Edider. Gruner, *Opuscula,* t. II, p. 97. — Schoettgen et Kreysig, *Diplomatar.,* t. II, p. 588. — Schöppach, *Henneb. Urkundenb.*, t. I, p. 18.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, rex Sicilie. Notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devotionem et fidem quam erga nos gerit dilectus fidelis noster Boppo comes de Henneberg, in rectum et perpetuum feudum ei concessimus omnes argentifodinas et tam alia quecumque metalla seu saline fuerint in terra sua a modo reperte, ut eas ad usum suum convertat et tam ipse quam sui heredes, sicut ad imperium et nos spectaret, cum universis proventibus suis jure feodali teneant et possideant, et in his quantum ad jus imperii pertinet pro commodo et utilitate sua disponendi liberam semper habeant facultatem. Mandamus igitur et sub interminatione gratie nostre districte precipimus ne quis eos de cetero super hac nostra concessione impedire aut inquietare presumat. Quod qui fecerit regie sublimitatis offensam se noverit graviter incursurum. Ad cujus rei certam evidentiam, presentem paginam conscriptam sigillo nostro jussimus insigniri.

Datum apud Herbipolim, anno dominice incarnationis M. CC. XVI, IIII idus maii, indictione IIII.

Fridericus, Romanorum rex, consuetudini de jure spoliorum renuntians, generale super hoc omnibus ecclesiis regni privilegium elargitur. Herbipoli, 13 maii.

(Edider. Ried, *Cod. diplomat. Ratisb.*, t. I, p. 312. — *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 43, n° DCXX ex archivo episcop. Ratispon. — Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 226.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et Sycilie semper augustus. Illud privilegium, etc. [*Sequitur sicut in tribus quae supra, eisdem verbis; nisi quod non indicatur cui ecclesiae vel abbatiae peculiariter destinetur.*] Ut autem hec omnia sicut a nostre bone voluntatis liberalitate procedunt, perpetuis temporibus maneant inconvulsa, presens inde privilegium conscribi precepimus et nostre imaginis impressione muniri, etc., *ut supra.*

Testes hii sunt : Albertus Meideburgensis archiepiscopus, Otto Frisingensis episcopus, Chuonradus Ratisponensis episcopus, Otto Herbipolensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Sigboto Havelbergensis episcopus, Engelbertus Coloniensis electus, Volricus Pataviensis electus, Heinricus Hersveldensis abbas, Chuono Elwacensis abbas, Hartmannus Fuldensis electus, Lodewicus palatinus Reni dux Bawarie, Liupoldus dux Austrie Styrieque, Otto dux Meranie, Hermannus marchio de Baden et frater ejus Fredericus, Anshelmus marscalcus, Werenherus dapifer de Bonlandia, Waltherus de Schipfe pincerna aule regalis, et alii quamplures.

Signum domini Frederici, secundi regis Romanorum invictissimi et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Chuonradus Metensis episcopus, vice domini Sifridi, Moguntini archiepiscopi, tocius Germanie archicancellarii, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XVI°, indictione IIII^a, regnante domino Frederico Romanorum rege gloriosissimo et rege Sycilie.

Data Herbypoli per manum Berhtoldi regalis aule protonotarii, III° idus maii, anno regni regis Frederici quarto.

Fridericus, Romanorum rex, Alberto archiepiscopo et ecclesiae Magdeburgensi, in recompensationem damnorum quae pro sua promotione idem archiepiscopus perpessus est, castrum Schönburg et civitatem Oberwesel, quae quondam ad eamdem ecclesiam pertinebant (1), denuo concedit cum ministerialibus et omnibus pertinentiis, concessionibus et libertatibus, reservato quod eadem pro duobus millibus marcis redimere possit. Herbipoli, 14 maii.

(Edider. Sagittarius, *Histor. duc. Magdeb.* ap. Boysen, *Magazin*, t. II, p. 117. — Beckmann, *Anhalt. Histor.*, p. 437.)

Hujus rei testes sunt : Otto Wirceburgensis episcopus, Ludewicus palatinus comes Rheni et dux Bavarie, Hermannus marchio de Baden et Fridericus frater ejus, Burcardus comes de Mansfeld, Ernestus comes de Gleichen, Albertus comes de Clettenberg, etc. . . . .

Ego Chunradus, etc.

Acta sunt hec Herbipoli, anno ab incarnatione Domini M. CC. XVI, ... , II idus maii, indictione quarta.

Fridericus, Romanorum rex, concambium cum episcopo Ratisponensi de inferiori et superiori monasteriis in civitate Ratisponensi initum retractat, et principum Herbipoli congregatorum sententiam, de non alienandis principatibus regni, confirmat. Herbipoli, 15 maii.

---

(1) Ex privilegio, ut videtur, Friderici primi, dato Ulmae 8 martii 1166 : quod memorat Boehmer, *Regest. imper.*, p. 87, nº 173.

(Edider. Hund, *Metropol. Salisb.*, t. II, p. 591. — Ried, *Cod. diplom. Ratisp.*, t. I, p. 314.— Oetter, *Von den minist. imp.*, p. 284.— Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 227.—*Monum. Boica*, t. XXX, p. 46 et 48, n[is] DCXXI-XXII, ubi adsunt duo ejusdem exemplaria, unum scilicet pro Tuota, alterum vero pro Gertrude. Hujus alterius germanica versio adest ap. Lunig, *Spicileg. eccles.*, III theil von Aebtiss., p. 176.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sycilie. Cum ad summam instantiam precum dilecti principis nostri Chonradi Ratisponensis episcopi cum ipso episcopo nomine ecclesie sue quoddam concambium fecissemus de duobus principatibus, scilicet de inferiori et superiori monasteriis in civitate Ratisponensi constitutis, pro quibusdam aliis prediis et possessionibus ad prenominatum episcopum et episcopatum suum pertinentibus (1), accedens ad presenciam regie excellentie nostre in curia sollempni Erbypoli domina Tuota inferioris monasterii abbatissa personaliter necnon domina Gerdrudis superioris monasterii abbatissa per suum procuratorem, cum aliqua honesta utriusque capituli parte, coram principibus et baronibus atque tota curia nostra gravi querimonia proposuit se et ecclesias suas indebite a nobis fore gravatas, et super hoc adjutorium et sententiam principum postularunt; proponentes firmiter nullum principatum posse vel debere commutari vel alienari ab imperio vel ad alium principem transferri (*a*) sine voluntate presidentis principis illius principatus et de plano consensu ejusdem ministerialium. Super quo facta a nobis inquisitione, per sententiam principum et subsecutionem tam nobilium quam baronum atque ministerialium et omnium qui [tunc] aderant judicatum est nullum principatum posse vel debere nomine concambii vel cujuscumque alienationis ad aliam personam transferri ab imperio, nisi de mera voluntate et assensu principis presidentis et ministerialium ejusdem principatus. Nos igitur justitie protectores nullo conamine juri reniti volentes, sententiam ipsam duximus approbandam, et quod contra

(*a*) In altero *vel ad aliam personam quoquomodo transferri.*

---

(1) Vide supra p. 433, privilegium datum apud Egram, 22 decembris 1215.

memoratas ecclesias et earum principes pro episcopo et ecclesia Ratisponensi minus debite feceramus, omnino retractavimus in continenti presente episcopo prephato. Et ne de cetero similia contingant, decernimus et perpetua firmitudine observandum judicamus quod non liceat ulli successorum nostrorum Romanorum regi seu imperatori principatum aliquem, ut superius sententiatum est, ab imperio aliquo modo alienare, sed omnes imperii principatus in suo jure et honore illesos observare (*a*). Ut itaque dilecta fidelis nostra Gertrudis (*b*) et successores ejus abbatisse nec non regalis ecclesia superioris (*c*) monasterii hac sententia gaudeant in antea et glorientur in perpetuum, hoc scriptum eis indulsimus sigillo majestatis nostre roboratum.

Hujus rei sunt testes : Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Engelbertus electus Coloniensis archiepiscopus, Otto Wirzburgensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Volricus Pactaviensis electus, Cuno Elvacensis abbas, Lodoycus dux Bawarie, comes palatinus Reni, Hermannus et Fridricus fratres marchiones de Baden, Gerardus comes de Diets, Otto dux Meranie, Hartmannus et Lodwicus comites de Wirtenberch, comes Ernesto (*sic*) de Villeseke, Bertoldus nobilis de Niffen et filii sui Henricus et Albertus, Gerardus comes de Rineck, Anselmus de Justingen marescalcus imperii, Walterus pincerna imperii, Wernerus dapifer de Bolandia, Dieto de Ravensburch camerarius imperii, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis et semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec Herbipoli, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo sexto decimo, regnante gloriosissimo domino Friderico, Dei

(*a*) In altero autem correctius *debere conservare.*

(*b*) Ibidem *prenominata T.*

(*c*) Ibidem ut congruit, *inferioris.*

gratia secundo Romanorum rege et semper augusto et inclito rege Sicilie, anno Romani regni ejus quarto, Sicilie vero octavo decimo, feliciter.

Datum per manus Bertoldi de Niffen regalis aule prothonotarii, anno prenotato, idibus maii, indictionis quarte.

Herbipoli, maio.

Fridericus, Romanorum rex, prohibet ne omnia instrumenta super alienationibus monasterio Cassinensi praejudicantibus, per abbates facta et majoris saniorisque partis conventus subscriptione carentia, ullam obtineant roboris firmitatem.

(Inedit. ex archivo Montis Cassini, cod. diplomat. MSS, t. II ad ann. 1216.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Regie interest dignitatis et debite cure sollicitudo requirit ut ecclesiarum omnium et locorum religiosorum que in nostra sunt jurisdictione fundata, curam gerat et sollicitudinem diligentem, ne per insolentiam prelatorum in bonis suis detrimentum incurrant. Quia igitur in prejudicium monasterii Cassinensis multa de bonis suis illicite alienata et distracta apparent, per instrumenta abbatum ejusdem monasterii que duorum vel trium aut paucorum monachorum sunt subscriptionibus signata, et judices ordinarii principum nolunt eis aliquatenus obviare, nos indempnitatibus prefati monasterii debita sollicitudine providere volentes, presentis pagine auctoritate censemus ut omnia instrumenta que super hujusmodi alienationibus majoris et sanioris partis conventus non apparent subscriptione signata, nullam in prejudicium jam dicti monasterii optineant roboris firmitatem; statuentes ut quicumque hanc nostram constitutionem ausu temerario violare presumpserit, penam centum librarum auri se noverit incursurum, quarum medietatem fisco imperiali et alteram medietatem injuriam passis solvere teneatur. Ad cujus rei notitiam presentem paginam scribi fecimus nostro sigillo munitam.

Data Herbipoli, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexto decimo, mense madii, quarte indictionis.

Fridericus, Romanorum rex, communi Cumanorum ob eorum fidelitatem nec non ob honorem Pocubelli Lambertini ejusdem communis legati, causas appellationum quae ad imperium spectant tam in civitate quam in districtu concedit, quamdiu id sibi non placuerit revocare. Apud Spiram, 15 junii.

(Edit. ap. Rovelli, *Storia di Como* (Milano, 1794), t. II, docum. p. 374, ex arch. comm. Cum., lib. I, veter. monum. regest. perg., fol. 16.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis potestati sive consulibus totique comuni Cumanorum gratiam suam et bonam voluntatem. Accedens ad presentiam nostram dilectus fidelis noster nobilis miles Pocubellus Lambertinus (1), ex parte universitatis vestre devota instantia a nobis postulavit ut pro fidei servitio quod civitas vestra, Domino dante, in proximo nobis est factura, universitati vestre causas appellationum que ad imperialem spectant eminentiam tam in civitate Cumarum quam in toto ejus districtu pro comuni vestro concederemus. Nos itaque presumentes de vobis quod, sicut progenitoribus nostris devotissimi semper esse consuevistis, in eadem devotione nobis etiam semper adesse debeatis, ob honorem quoque ipsius Pocubelli legati vestri, quem non immerito ratione obsequiorum nobis prestitorum diligere et honorare tenemur, petitioni comunis vestri hilariter annuentes, causas appellationum tam in civitate quam in toto districtu vestro, prout imperio pertinet, comuni vestro concedimus; hoc beneficium clementie nostre tamdiu vos exercere volentes, quamdiu me-

(1) Scilicet *Pocobello Lambertengo*, ut eum nominat Tatti, *Annal. sacr. di Como;* apud quem privilegium istud ad ann. 1219, forsan per impressionis mendam, memoratur.

ritis vestris et obsequiis requirentibus id nobis non placuerit revocare. Ad cujus concessionis nostre certam evidentiam, presentem vobis paginam sigillo nostro communitam vobis duximus transmittendam.

Testes hujus rei sunt : Conradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius; Hermannus marchio de Baden, Gerardus comes de Diets, Guernerus dapifer (*a*) imperii, Gualterius pincerna imperii, Anselmus marescalkus imperii, et alii quamplures.

Data apud Spiram, anno Domini M° CC° XV°, XVII° kalendas julii, indictione IIII^a (1).

In civitate Messanae, junio.

Constantia, Romanorum et Siciliae regina, una cum Henrico filio suo, ad supplicationem comitis Richardi de Agello, Nicolao Salernitano archiepiscopo fratri ejusdem comitis et ecclesiae ipsius decimas platearum, plancarum, tinctae et celendrae de Ebulo concedit, atque bonos usus et consuetudines dictae ecclesiae confirmat.

(Inedit. in archivo archiep. Salern., regest. I, fol. 780.—Cum privilegium multo magis extensum a Friderico secundo eidem ecclesiae ann. 1221, mense februario, concessum infra relaturi simus, istud tantummodo memoramus; transcribentes notas chronologicas unde liquet Constantiam et Henricum puerum nondum mense junio anni 1216 e Sicilia in Germaniam esse profectos.)

Datum per manus Aldoini notarii in civitate Messane, anno dominice incarnationis M. CC. XVI, mense junii, IVe indictionis, regni domini Fri-

(*a*) In impresso *Hermannus marchio de Badenberg, Gerardus comes de Dief, Gemlerus dapifer,* etc., male.

---

(1) Cum haud facile potuerit Spirae commorari Fridericus die quinto decimo junii anni 1215, et insuper in isto documento indictio cum anno non concordet, indictioni quae 1216 convenit, majorem fidem adhibendam esse arbitramur, nisi in veteri regesto annus correcte minus transcriptus fuerit.

derici in Germania anno IV, in Sicilia anno XIX, regni quoque carissimi filii nostri domini Henrici illustris regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, anno quinto.

Fridericus, Romanorum rex, Innocentio papae promittit quod postquam fuerit imperii coronam adeptus, filium suum Henricum emancipabit, regnumque Siciliae ab Ecclesia Romana tenendum ei relinquet et usque ad legitimam aetatem ejusdem per personam idoneam gubernari procurabit, ne aliquid unionis regnum ad imperium quovis tempore putetur habere.

Apud Argentinam, 1° julii.

(Edider. Lunig, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 865. — Raynald., *Annal. eccles.*, t. I, ad ann. 1215, § XXXVIII. — Scheid, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 830. — Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 228.)

Sanctissimo in Christo patri et domino suo Innocentio, sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Fredericus, Dei et sui gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, cum filiali subjectione debitam in omnibus Apostolice Sedi obedientiam et reverentiam. Cupientes tam Ecclesie Romane quam regno Sicilie providere, promittimus et concedimus statuentes ut postquam fuerimus imperii coronam adepti, protinus filium nostrum Henricum quem ad mandatum vestrum in regem fecimus coronari, emancipemus a patria potestate, ipsumque regnum Sicilie tam ultra pharum quam citra penitus relinquamus ab Ecclesia Romana tenendum, sicut nos illud ab ipsa sola tenemus; ita quod ex tunc nec habebimus nec nominabimus nos regem Sicilie, sed juxta beneplacitum vestrum procurabimus illud nomine ipsius filii nostri regis usque ad legitimam ejus etatem per personam idoneam gubernari, que de omni jure atque servitio Ecclesie Romane respondeat, ad quam solummodo ipsius regni dominium noscitur pertinere; ne forte pro eo quod nos dignatione divina sumus ad imperii fastigium evocati, aliquid unionis

regnum ad imperium quovis tempore putaretur habere, si nos simul imperium teneremus et regnum; per quod tam Apostolice Sedi quam heredibus nostris aliquod posset dispendium generari. Ut autem hec nostra promissio, concessio et constitutio debitum sortiatur effectum (1), presentem paginam aurea bulla nostra fecimus communiri.

Datum apud Argentinam, anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto, kalendis julii, indictione quarta.

Apud Argentinam, 5 julii.

Fridericus, Romanorum rex, in protectione sua et imperii suscipit monasterium Sancti Petri de Montemajore, non longe ab Arelatensi civitate situm, cum omnibus bonis et pertinentiis ejus.

(Inedit. ap. CLAUDE CHANTELOU, *Hist. monast. S. Petri Montismajoris,* f. 262, MSS. in Biblioth. Arelatensi.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, venerabilibus archiepiscopis et episcopis, principibus, comitibus, baronibus, bajulis, camerariis, fidelibus suis in imperio constitutis, gratiam suam et bonam voluntatem. Universitati vestre notum fieri volumus quod nos pro salute anime nostre et animarum pie recordationis progenitorum nostrorum, ecclesiam Sancti Petri de Montemajore cum hominibus, possessionibus et omnibus rebus et castellis eorum, cum justis pertinentiis, in protectione et defensione Romani imperii et nostra suscipimus. Quare mandamus fidelitati vestre districte precipientes quatenus predictam ecclesiam cum omnibus bonis et pertinentiis suis habeatis ob reverentiam nostri culminis commendatam, et ne permittatis ipsam ec-

---

(1) Quum tamen Innocentius papa paucos post dies defunctus fuerit, Fridericus filium suum Henricum ad se in Germaniam evocare properavit, quem in regem Romanorum mense aprili 1220 eligi fecit; licet eodem anno, 10 februarii, hanc promissionem de separandis imperio et Siciliae regno Honorio papae renovavisset.

clesiam vel homines aut loca ejus ab aliquo indebite molestari. Pro certo scientes quod si quis ausu temerario ipsos vel loca eorum aut bona ipsius ecclesie molestare vel dampnificare presumpserit, iram et indignationem nostram se noverit graviter incurrisse. Ad cujus rei evidentiam, robur et memoriam, presens scriptum predicte ecclesie fecimus fieri, sigilli nostri munimine roboratum.

Datum apud Argentinam, III nonas julii, indictione IIII[a].

Fridericus, Romanorum rex, domum monialium de Walde, Cisterciensis ordinis, sub sua protectione suscipiens, eis confirmat omnia quae collata fuerunt et quae in antea eis conferri, vendi aut commutari potuerint, cum facultate nuntii coram judicibus mittendi, cui de querimoniis satisfactio congrua exhibeatur. Uberlingen, 14 julii.

(Inedit. ex cod. Peutingeriano in Bibl. Stuttgart., 247, f. 81 recto, 82 recto; inclus. in privilegio Rudolfi I, dat. ap. Schauffhusen, kal. julii, indict. III, anno Dom. MCCLXXV.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Regalis excellentie immensa benignitas cum de benivolentia solita omnibus beneficiorum suorum gratiam impendere studeat, illis tamen qui specialius se divinis obsequiis propter retributionem perpetuam manciparunt, tam in defensionis manu quam in beneficiorum impensione providere affectuosius consuevit, ut dum temporalibus bonis adjuti fuerint, celestia fiducialius appetant et pro salute nostra et tranquillitate imperii orare devocius teneantur. Verum quia ordinem Cisterciensem pre aliis ordinibus, propter devotionem religiosorum in eo degentium qua junguntur arctius Creatori, defendere et ampliare intendimus, domum de Walde et sorores ejusdem ordinis sub nostra protectione suscipimus; confirmantes eis quicquid liberalitate regum, donatione principum sive comitum vel liberorum aut ministerialium seu cujuscunque conditionis ho-

minum ipsis hactenus collata fuerint vel in reliquum conferentur. Inter alia vero specialiter confirmamus eisdem predium de Bondorff et predium von Demestadile (*sic*) quod ex largitione Heinrici de Bremhoim eidem domui est collatum, necnon et predium quod Litzinlibath dicitur, cujus proprietas ad nos spectabat, sed a Burckhardo eis est contraditum. Concedimus etiam eidem ecclesie ut quicumque fidelium nostrorum seu ministerialium sive quorumcumque hominum nostrorum pro salute animarum suarum possessiones sive quecumque bona sua mobilia vel immobilia eidem conferre voluerint ac vendere decreverint vel commutaverint, ut ea bona per nostrum favorem et assensum predicto monasterio per nostre confirmationis vigorem perpetua stabilitate quiete permaneant et illesa perseverent. Indulgemus etiam magistre ejusdem domus ut quemcumque de suis pro negotiis ipsius domus miserit, idem nuntius coram judicibus mercimonias (*a*) et necessitates monasterii et personarum proponendi plenam habeat potestatem, eique de injuriis quibuscumque illatis debita et congrua satisfactio exhibeatur. Nulli ergo hominum contra hanc nostre confirmationis paginam liceat ausu temerario contraire, cui nostri sigilli impressio perhenne tribuit firmamentum. Quod si quis contra eam aliquid presumpserit attemptare, centum libris auri puri mulctabitur, medietas damna passis, medietas vero nostre camere fisco deputanda.

Testes hujus rei sunt : Heinricus abbas Augensis, Ul. abbas Sancti Galli, Eb. (*b*) abbas de Salem, Conradus de Winterstetten, Rudolfus de Arbim (Arbon), Hermannus de Arbim, Aigilwardus de Ramsperg, Ulricus (?) de Guttinstain, Rindolfus de Witkinstain, Heinricus de Randecke, comes de Montfort, comes Rudolfus de Habspurg, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi, et regis Sicilie.

Ego Conradus [Metensis] et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M° CC° XVI, indictione

(*a*) Sic in codice. Sensus vero exquirit *querimonias*.

(*b*) In codice *Rb.*, minus recte.

quarta, regnante domino Friderico secundo, Romanorum rege et Sicilie glorioso, anno regni ejus quarto (*a*).

Datum Uberlingen, II idus julii.

Constantiae, 15 julii.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Raitenhaslach in protectionem suam suscipit, eique specialiter possessionem salinae in Mulbach et augeae Vietenowe (Ettenowe) confirmat.

(Edit. in *Monum. Boic.,* t. III, p. 130, num. 24; coll. cum originali, *ibid.*, t. XXX, p. 51.— Sigillum in ora dextra laesum, qua laesione dimidia inscriptio desinens vix non omnino evanuit, de caetero bene expressum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Regalis excellentie immensa benignitas cum de benivolentia solita omnibus beneficiorum suorum gratiam impendere studeat, illis tamen qui specialius se divinis obsequiis propter retributionem perpetuam manciparunt, tam in defensionis manu quam in beneficiorum impensione providere affectuosius consuevit, ut dum temporalibus bonis adjuti fuerint, celestia fiducialius appetant et pro salute nostra et tranquillitate imperii orare devotius teneantur. Verum quia ordinem Cisterciensium pre aliis ordinibus, propter devotionem religiosorum in eo degentium qua junguntur arctius Creatori, defendere et ampliare intendimus, fratres et domum de Reitenhaslach ejusdem ordinis sub nostra protectione suscipimus; confirmantes eis quicquid liberalitate regum, donatione principum sive comitum vel liberorum aut ministerialium seu cujuscunque conditionis hominum ipsis hactenus collata fuerint vel in reliquum conferentur. Inter alia vero specialiter confirmamus eisdem salinam de Mulbach quam eisdem dilectus noster Salzburgensis

(*a*) In codice et in margine codicis annus per numerum arabicum vetustioris figurae bis notatur.

archiepiscopus Eberhardus petitione chori sui et consensu ministerialium suorum legitime contulit et dato privilegio stabilivit in succidendis videlicet lignis deducendisque per adjacentes saline fluvios absque tributi persolutione, et jura omnia salinariorum, fodinam scilicet renovandi, salem (*sic*) vendendi et quocunque ipsis placuerit ad ipsorum utilitates deducendi et omnes libertates ab eodem archiepiscopo ipsis concessas eis jure perpetuo confirmamus. Volumus insuper ut augeam Echtnowe (*a*) quam dux Bavarie Ludowicus eisdem contulit (1), quiete possideant, quam eis cum eodem dante damus, sed et omnia que tam ab ipso quam a cujuslibet conditionis persona possident in donationem prediorum suorum, vinearum, pascuorum, salinarum, piscariarum, decursuum aquarum, molendinorum, lignorum ex adjacentibus nemoribus sive silvis ad nutrimentum ignis, eisdem fratribus in perpetuum presenti privilegio stabilimus. Nulli ergo hominum contra hanc nostre confirmationis paginam liceat ausu temerario contraire, cui nostri sigilli impressio perhenne tribuit firmamentum. Quod si quis contra eam aliquid presumpserit attemptare, centum libris auri multabitur, medietas dampna passis, medietas camere nostre deputanda.

Testes hujus rei sunt : C. Constanciensis episcopus, V. abbas Sancti Galli, H. abbas Augeensis, E. abbas de domo Petri, V. comes de Kiburg, B. comes de Hohenberg, Fridericus comes de Zoller, Manegoldus comes de Nellenburg, Bertholdus comes de Sancto Monte, S. de Gondolfingen, Albertus de Butilsoeizen et Bertholdus frater suus, Anshelmus de Justingen imperialis aule marescalcus, Ebirardus dapifer de Tanne et Bertoldus frater suus, Rodulfus de Ramesberg, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi, et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

(*a*) Sed in originali *Vietenowe*.

---

(1) Haec donatio Ludovici ducis absque nota anni habetur, *Ibidem*, t. III, p. 124, n° 21.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. XVI, indictione IV, regnante domino Friderico secundo, Romanorum rege et Sicilie glorioso, anno regni ejus IV°.

Datum Constantie, idus (idibus) julii.

Innocentius papa urbem exiens Perusium vadit, ubi mense julio XVII kalendas augusti languore correptus feliciter expiravit. . . . . Honore debito apud Perusium tumulatus est, et Centius Sanctorum Joannis et Pauli presbyter cardinalis (1) in papam Honorium substitutus est illi. Qui de tanti patris obitu et sua promotione ubique terrarum litteras dirigit generales. RICC. DE S. GERMANO ap. MURATORI, *Script.*, t. VII, p. 989-990. 16 julii.

Fridericus, Romanorum rex, confirmationem renovat venditionis ab Henrico de Randecge Ebirhardo abbati Salemitano factae de praediis Phaphinhoven, Bilolvingen, Lugen et Linzen; addito quod postquam filii ejusdem Henrici super hac donatione litem conventui movissent, per interventum Hugonis de Tierberc ita compositum est ut dictus Henricus et filii ejus dicta praedia monasterio conferre et insuper sexaginta homines suae proprietatis donare deberent, justo excontro ab abbate et fratribus faciendo. Apud Ulmam, 25 julii.

---

(1) Quondam procurator cardinalis Jacincti (Celestini III), postea camerarius cardinalium inter quos pecunias ipsis collatas fideliter et provide distribuebat. Tempore electionis suae, erat corpore infirmus ex senio et ultra modum debilis. Cf. *Conradi Ursperg. Chronic.*, p. 244, edit. 1609. III idus augusti consecratus est. *Chronic. Foss. Nov.* ap. MURATOR., *Script.*, VII, 893.

(Inedit. ex libro privilegiorum monast. Salemit. in archivo Karlsruhensi, vol. I, fol. 131, 133.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie in perpetuum. In eminenti specula Domino disponente constituti, omnibus quidem regimini nostro commissis, specialius tamen ecclesiasticis personis que sub regularis observantia discipline divinis sunt mancipate obsequiis, benigno tenemur prospicere affectu; ut dum nostra freti protectione tranquillam vitam ducunt et quietam, pro nostra salute Dominum Regem regum enixius studeant exorare. Ut igitur rata permaneant que prefatis personis et ipsorum domibus collata quocumque titulo fuerunt, auctoritate nostra decet hos contractus roborare. Proinde nostro scripto emptionem prediorum Pfaffinhovin, Vilolfingin, Lugon, Lince cum eorum attinentiis, quam dilectus noster E. abbas venerabilis et fratres sui de Salem a viro nobili Henrico de Randecge et a filiis suis pro trecentis [et] XXX marcis apud Ulmam in solempni curia nostra coram nobis fecerunt (1), et ratam habemus et jure perpetuo confirmamus. Ut autem nulla super eadem emptionis forma possit in posterum suboriri controversia, ipsam formam presenti scripto ad peticionem utriusque partis decrevimus declarare. Cum igitur prefati abbas et fratres sui jamdictas possessiones primo a predicto H. et filiis suis emissent, postmodum filii ejusdem H. abbati et fratribus ejus litem moverunt, asserentes se eadem predia domino suo Hugoni comiti Brigantino (2) non resignasse, ideoque donationem eamdem revocare in irritum attemptarunt. Ut ergo huic liti finis imponeretur, ex nostra dispositione fidelis noster Hugo de Tierberc diligentiam adhibuit, et talis per ipsius industriam compositio intervenit : scilicet quod prefatus H. de Randecge fideliter fide nobis data coram multis testibus promisit, quod et posterum adimplevit, quod ipse cum filiis et heredibus suis ad presentiam nobilis viri Hugonis comitis supradicti deberet accedere et per manum ipsius ipse et heredes sui pa-

---

(1) Vide supra privilegium ad ann. 1214, p. 306.

(2) Idem qui ibidem *Hugo comes Montisfortis* vocatur; unde liquet tunc temporis illos nobiles titulo comitatus de Bregentz et de Montfort jam exornatos fuisse.

riter sepedicta predia jamdicto monasterio conferre; insuper sexaginta homines sue proprietatis deberent eidem ecclesie donare, et precipue eos omnes qui in predictis prediis coloni tunc extiterunt et deinceps omnes qui eidem monasterio viciniores invenirentur, quousque numerus suprascriptus impleretur. Pro qua re prefatus abbas et fratres sui solvere deberent sepedicto H. et filiis suis quantum prefatus Hugo de Tierberc convenienter decerneret. Insuper quicquid sepedictus abbas et fratres sui excogitare poterunt ad evadendam super eodem predio impetitionem et calumpniam universam, supradictus H. cum filiis suis bona fide sine dolo fide nobis data, sicut supradiximus, mandare debet executioni. Hunc igitur contractum sub forma pretaxata perfectum auctoritate regia confirmamus, et ipsa predia sub nostro munimine ipsi monasterio collata suscipimus.

Testes hujus compositionis sunt Conradus Constantiensis episcopus, de Sancto Monte Bertoldus, de Zolre Fridericus, de Veringen (*a*) Manegoldus comites; Bertholdus et frater suus Albertus de Butilshiez, Bertoldus de Burgilon, Henricus de Rapprehtswilare, liberi; Rudolfus et Hermannus de Arbona; de Hohinvels Walterus et frater suus Burcardus, Henricus de Humberc, ministeriales; minister de Ubirlingin et cives ejusdem ville Rapprhet, Sifridus minor, Conradus *an dem orte*, Albertus cognomento Rex, et alii quamplures.

Datum apud Ulmam, anno dominice incarnationis M° CC° XVI°, indictione IIII^a^, VIII kalendas augusti, in ipsa die sancti Jacobi apostoli.

Fridericus, Romanorum rex, electionem de Wenceslao filio primogenito Ottokari regis Bohemiae in regem Bohemiae a magnatibus hujus regni factam ratam habet, et eidem Wenceslao totum regnum cum regionibus eidem pertinentibus concedit. Apud Ulmam, 26 julii.

(*a*) In codice *de Venngen*, minus recte.

Edider. Balbin, *Miscell.*, dec. prima, VIII, 8. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. VI, p. 5. — Sommersberg, *Scriptor.*, t. I, p. 924. — Ludewig, *Reliq. manuscr.*, t. XI, p. 288. — Dobner, *Monumenta*, t. III, p. 212.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Si specialibus et expertis fidelibus et dilectis nostris gratiam facimus specialem, non est indignum, sed consonat omnimodis equitati. Eapropter universis imperii tam presentibus quam futuris in perpetuum notum esse volumus quod, misso ad presentiam nostram Benedicto, venerabili archidiacono Belinensi, exposuerunt celsitudini nostre dilecti nostri fideles Henricus marchio Moravie et universitas magnatum et nobilium Bohemie quod communi voluntate et assensu dilecti nostri Ottokari regis Boemie illustris, elegerunt in regem eorum Wenceslaum filium ipsius regis Boemie primogenitum. Propter quod majestati nostre attentius supplicarunt ut electionem ipsius Wenceslai ratam haberemus et firmam, et eidem nostrum benignum impertiremur assensum. Nos autem quia votive supplicationis hujusmodi effectum ex magno fidelitatis ardore novimus provenire, considerantes sinceritatem fidei et pure devotionis affectum ipsius Ottokari regis Boemie, quam erga majestatem nostram hactenus habuisse dinoscitur; attendentes etiam obsequia filii sui Wenceslai, dilecti sororii nostri (1), que nobis et imperio fideliter poterit exhibere, de solita gratia nostra et consilio principum et magnatum imperii qui tunc circa nos existebant, electionem prefatam ratam habemus et firmam; et concedimus eidem Wenceslao totum regnum Boemie cum terminis et omni jure et honore ac regionibus eidem regno pertinentibus, sicut ipsum regnum pater suus et alii predecessores sui tam duces quam reges unquam melius possederunt. Mandamus igitur et firmiter statuimus ut quecumque persona ecclesiastica vel secularis hanc nostram confirmationem et concessionem infringere vel evacuare presumpserit, mille libras puri auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero injuriam passis persolvatur. Ut autem hec firma et rata

---

(1) Scilicet qui Catharinam consobrinam suam, filiam Philippi regis, duxerat.

in perpetuum perseverent, presens privilegium conscribi et bulla aurea typario imperiali nostre majestatis impressa precepimus communiri.

Hujus rei testes sunt Siffridus Augustensis episcopus, Ulricus abbas Sancti Galli, Cono abbas Elwacensis, Henricus abbas Campidonensis, Rodulphus palatinus comes de Tuingen, comes Hartemannus de Wirtenberk, comes Ludovicus frater ejus, Hermannus marchio de Baden, Hugo junior palatinus comes de Tuingen, comes Ludovicus de Ottingen, Bertholdus de Nyfen, Anselmus de Justingen marescalcus, Walterus de Siph pincerna, et alii quamplures.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Siffridi Moguntinensis Sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexto decimo, septimo kalendas augusti (*a*), indictione quarta, regnante domino nostro Friderico secundo Dei gratia Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius quarto et Sicilie octavo decimo, feliciter. Amen.

Datum apud Ulmam per manus Bertholdi de Niffen imperialis aule protonotarii, anno, mense et indictione pretitulatis.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Sancti Petri in cœlo aureo apud Papiam cum ecclesiis et juribus ei pertinentibus in sua speciali protectione suscipit, eique confirmat acquisitionem de Villantierio factam et plures libertates ibidem expressas. Apud Nuremberg 30 augusti.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 88, n° 181, ex originali apud Mediolanum asservato.)

Datum apud Nuremberg, anno dominice incarnationis MCCXVI, III kalendas septembris, indictione IV.

(*a*) Alias *octavo kal. aug.* (25 jul.); ap. Ludewig autem *VI kal. maii* (26 april.), male.

Apud Nuremberg, 8 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, domui Theotonicorum in Accon hospitale apud Ellingen tradit et confirmat, quod ex possessionibus Walteri de Ellingen et uxoris ejus Kunegundis temporibus avi sui, Friderici I imperatoris, constructum fuit; cujus etiam bona absque advocato imperator vel rex solummodo debeant defensare.

(Edit. ap. dissert. germ., ann. 1796, *Brandenburg. usurpationsgesch.*, etc., beilag. 221, num. 103.—*Monum. Boic.*, t. XXX, p. 52-53, n° DCXXIV, ex originali. —Hennes, *Cod. diplomat. ord. S. Mar. Theuton.*, p. 25, n° 24. Sigillum fere illaesum et optime expressum appendet ex filis sericis rubri coloris.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sycilie, universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit. Salutis nostre subsidium augeri et animarum divorum antecessorum nostrorum F. avi nostri et H. patris nostri inclitorum Romanorum imperatorum et nostre languoribus non dubitamus mederi, cum religiosarum personarum justis et rationabilibus peticionibus aures pietatis adcommodamus et utilitatibus earum et sustentationibus curam efficacem adhibemus. Inde est quod nos ad noticiam omnium Christi fidelium volumus pervenire quod nos attendentes religionem fratrum hospitalis Sancte Virginis Marie, quod domus Theotonicorum in Acaron nuncupatur, et servicia eorum que ipsi devote nobis impenderunt et de die in diem nobis impendere non desistunt, hospitale apud Ellingin quod ex possessionibus felicis memorie Walterii de Ellingin et Kunegundis uxoris ejus constructum [est] et ab eisdem avo nostro domino F. Romanorum imperatori libere traditum et absolute, supradictis fratribus libere contulimus et absolute; ea videlicet condicione ut in predicto hospitali pauperes recipiantur et elemosine eisdem erogentur, sicut jam dictus Walterus et uxor ejus atque avus noster instituerant; servientibus supradictis fratribus omnibus possessionibus quas dictum hospitale in

Ellingin temporibus avi et patris nostri tenebat et in posterum Domino dante poterit obtinere. Item statuimus et confirmamus jam dictis fratribus ut ipsi de bonis dicti hospitalis a predicto Waltero et uxore ejus sive ab avo nostro libere collatis eidem, nulli umquam aliquam advocatiam debeant recognoscere, verum imperator vel rex qui pro tempore regnaverit pro salute anime sue in hiis eos debeant defensare. Ne autem aliqua umquam persona spiritualis aut secularis contra hanc donationis nostre confirmationem audeat venire, presentem paginam ex mera conscientia nostra scriptam sigilli nostri munimine jussimus consigniri.

Hujus rei testes sunt : Cunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius; H. (1) Elwacensis abbas, Otto dux Meranie, D. marchio de Voheburch, H. marchio de Badin, L. comes de Wirteneberc, A. de Stuselingin, Walterus de Langinberc, A. de Justingin imperialis aule marscalcus, W. pincerna de Scipha, Lupoldus et Herdegeno de Grindelach, Lupoldus Lupus et Herdegenus frater suus, Heinricus de Salhahe, Crof. de Ehmudishein, Cunradus et Ditricus de Wizinburc, et alii quamplures.

Datum apud Nurinberc, anno incarnacionis Domini M. CC. XVI, VI idus septembris, indictione IIII[a].

Fridericus, Romanorum rex, hospitali Theutonicorum [in Altenburg] confert universa bona in Nenewitz et Cebecur quae Albertus burgravius de Altenburg et Thimo nobilis in Rosenvaz jure feodali tenuerunt et sibi resignaverunt, ea conditione ut eadem bona eidem hospitali in perpetuum auctoritate imperiali donarentur.

Apud Altenburg, 23 septembris.

---

(1) Ista initialis littera qua nomen abbatis Elwacensis indicatur, difficultate non caret, quia tale nomen cujus initialis sit H., hoc tempore in catalogo abbatum Elwacensium non invenitur; sed Chuno abbas tunc adhuc praefuit. Qui etiam legitur in aliis instrumentis hujus anni 1216 (vide supra, p. 458, 462, 465, 479); cui demum anno 1218 Gotebaldus abbas successit.

(Inedit. ex origin. in archivo reg. Dresdensi; bulla avulsa, pendent adhuc fila serica rubri coloris. Praeter singularem redactionis formam, nullam gravem suspicionis causam deprehendimus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Ad nostre administrationis spectare recognoscimus exhibitionem quod singula nostre donationis statuta, ad omne dubietatis scrupulum tollendum, litterarum nostrarum attestatione et bulle regalis appensione communire tenemur et confirmare. Igitur innotescere volumus et constare presentis et futuri temporis omnium hominum nationi (*a*) quod Albertus burgravius in Aldenburc et Thimo nobilis in Rosenvaz universa bona in Nenewiz et in Cebecur que de manu majestatis imperialis ipsi jure feodali tenuerunt, nobis libera et absoluta resignaverunt; ea tamen inclusa pactione ut eadem bona cum omnibus suis attinentiis Theutonico hospitali Sancte Marie in Jerusalem in proprietatis et eleemosynarum perpetuitate donaremus. Nos autem videntes fratres hospitalis memorati plenam confidentiam de munificentia nostre sublimitatis habere, attendentes etiam viros generose conditionis et religiose conversationis ad hujus hospitalis regule professionem de universis christianitatis partibus turmatim convolare, ad hospitalis pluries repetiti et ad ejus fratrum nunc et in evum ibidem Domino famulantium supplendam inopiam, bona sepedicta cum omnibus suis proventibus, justiciis et rationibus, eidem hospitali et predictis fratribus vultu letabundo secundum modum prenotatum contulimus. Cujus rei perhennem memoriam relinquere posteris solliciti, presentem paginam conscribi fecimus impressione bulle nostre signatam; statuentes et edicto regio firmiter precipientes ne unquam aliqua persona, ecclesiastica vel secularis, plebeia vel perlustris, audeat hanc nostram collationem seu confirmationem infringere vel aliquatenus temerare. Quod si quis facere presumat, pena mille librarum auri puri puniatur, quarum medietas fisco nostro, reliqua vero passis injuriam persolvatur.

Hujus rei testes sunt : Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Eke-

(*a*) Sic, evidenter tamen legendum *notioni*.

hardus Merseburgensis episcopus, Adolfus comes de Scowenburg, Thidericus marchio Misnensis et Orientis, Guntherus comes in Keverinberc, Fridericus comes de Bichelingin, Ludolfus de Alrestete, Ludewicus de Wanginheim.

Datum apud Aldenburc, anno dominice incarnationis M° CC° XVI°, nono kalendas octobris, indictione V.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium de Chemnitz in protectione sua suscipit, eique ipsius possessiones et jura confirmat. Apud Aldenburg, 6 octobris.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 88, n° 184, ex notitia in archivo Dresdensi sibi communicata.)

Datum apud Aldenburg, anno dominice incarnationis M. CC. XVI, II nonas octobris, indictione V.

Frogerius Mutinae potestas apud hospitale Sancti Pellegrini regem Henricum, Friderici regis filium, e manibus archiepiscopi Panormitani custodiendum accipit, eumque conducit usque ad pontem de Guiligua, ubi ambassiatoribus Parmae et Regii eumdem tradit. 8 octobris.

(Edid. Muratori, *Antiquit. Ital. med. aevi,* t. IV, p. 223, ex antiquo regest. comm. Mutin.)

In Christi nomine, anno a nativitate ejusdem M.CC.XVI, indictione IV, die Sabbati, VIII die intrante octubri. Cum dominus Frogerius Mutine potestas cum ambaxatoribus Mutine, videlicet dominus Girardus Rangonus, dominus Aldeprandinus de Pizo, dominus Bartholomeus de Nonantula, dominus Richerius de Bocadelucio, dominus Uliverius de Bocabadata,

dominus Thomaxius de Saxolo, dominus Ardicionus de Tunsis, dominus Guido de Lovoleto, dominus Petrus de Sancto Marcho, omnes pro communi Mutine, proficixerunt (*sic*) regi Henrico filio Romanorum regis Friderici, convocato cetu virorum militum et arcatorum. Alpes Mutine districtus et episcopatus axendidit (ascendit), et pro communi Mutine et episcopatu et districtu cum illa quantitate militum qui cum eo erant per ipsas Alpes usque ad hospitale Sancti Peregrini profectus est, ut predictum regem Henricum ibi pro confine et termino episcopatus et districtus Mutine secure reciperet, et abinde versus Mutinam secure et libere pro communi Mutine conduceret et custodiret. Ideoque in hospitali predicto predictum regem ab archiepiscopo Palermitano sibi oblatum (1) pro communi recepit custodiendum et conducendum per Alpes et [ab] Alpibus versus Mutinam, sicut ire voluerit per episcopatum et districtum Mutine. Protestatus fuit igitur dominus Frogerius alta voce et palam et coram omnibus audire volentibus pro communi Mutine quod terminus et confinis erat et est episcopatus et districtus Mutine usque ad dictum hospitale Sancti Peregrini. Et dicit quod ideo recipiebat predictum regem et recepit conducendum et custodiendum ad honorem civitatis Mutine et ad ejus periculum et ejus guardiam ipsum et omnes qui cum eo erant per Alpes et a Sancto Peregrino versus Mutinam, usquequo protendebatur episcopatus et districtus Mutine. Unde ita per episcopatum et districtum

---

(1) Licet in hoc instrumento non mentio fiat Constantiae reginae, nil dubium quin una cum filio suo advenerit. « Uxor Friderici regis navigio descendens a Sicilia et Apulia venit Januam » (*leg.* Gaietam) et sic per Cremonam transiens primo, intravit Alemanniam cum Henrico filio » suo et multa frequentia tam hominum quam mulierum. » Rein. Leod. ad ann. 1216 ap. Boehmer, *Fontes,* t. II, p. 385. — « Sub anno a nativitate Dom. MCCXVI, dum regina veniret » ex Apulia et ad virum suum Fridericum in Alemanniam pergeret, devenit Faventiam; quam » cives honorabiliter receperunt, cui affluenter in omnibus dederunt expensas. » *Tolosani Chronic.* ap. Mittarelli, *Script.,* p. 158. — « In quel anno (1216) la reina Costanza venne a » Bologna. » *Chron. Misc. di Bol.* ap. Muratori, *Script.,* t. XXVIII, p. 252. — « MCCXVI » domina regina venit Regium, uxor domini Frederici imperatoris, veniendo de Apulia et eundo » in Alemanniam ad dictum virum suum; et Regini ei dispendium fecerunt et bene et honorifice » eam receperunt. » *Memor. pot. Reg.* ap. Muratori, *Script.*, t. VIII, p. 1083. Riccardus de S. Germano iter Constantiae perperam post duos annos memorat. Vid. *Chronic.* ad ann. 1218, ap. Muratori, *Script.*, t. VII, p. 991.

Mutine a Sancto Pellegrino per Alpes et ab Alpibus usque ad pontem de Guiligua in medio alvei fluminis, in quo alveo ambaxiatoribus Parme et Regii qui ibi erant, quia ulterius non protendebatur episcopatus et districtus Mutine, voluntate archiepiscopi, eis ambaxiatoribus conduxit et tradidit, presentibus testibus rogatis fuerunt (*sic*), scilicet suprascriptis ambaxiatoribus et amiralio de Misina (1), et alii plures.— Ego Guillelmus de Caneparia sacri palatii notarius interfui, et jussu domini Frogerii potestatis Mutine et rogatus scribere scripsi.

Fridericus, Romanorum rex, burgravio et castrensibus in Friedberg, sculteto in Frankfurt et omnibus fidelibus in Wetteravia notum facit se Ulrico de Minzenberg reddidisse cometiam et omnia bona quae pater et frater ejus olim habuerunt. Leipzig, 26 octobris

(Memorat. ap. Mader, *Von Friedberg*, t. I, p. 18, extr.—Edidit Grüsner, *Beitr.*, t. III, p. 147, in teutonica versione, quam rursus in latinum vertit Boehmerus, *Cod. diplom. Moenofrancof.*, t. I, p. 25.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, fidelibus suis Giselberto burgravio et castrensibus in Frideberg, sculteto in Frankenfurt et omnibus fidelibus regni per Wederebiam constitutis, gratiam suam et omne bonum. Notum sit vobis quod nos de gratia nostra Ulrico de Mincenberg fideli nostro reddidimus cometiam suam et omnia bona que pater et frater ejus his retroactis temporibus habuerunt. Mandamus igitur fidelitati vestre quatinus prefatam cometiam et omnia bona que pater et frater ejus olim tenuerunt, eumdem Ulricum pacifice et quiete possidere sinatis, neque eum hac in re aliquo modo molestetis.

Datum apud Lipitzk, VII kalendas novembris, indictione V.

---

(1) Hic agitur de Guillelmo Porco, de quo fusius infra agemus. Vid. p. 489, not. 1.

Apud Aldenburg, 10 novembris.

Fridericus, Romanorum rex, abbati et coenobio de Bosau jus patronatus parrochialis ecclesiae in Criwitz cum dote, mancipiis et universis justiciis eidem ecclesiae attinentibus jure perpetuo donat.

(Edit. ap. *Thuringia sacra,* p. 644.— Pistorius, *Script.*, t. I, p. 1170. — Leuckfeld, *Uber Bosau*, p. 21. — Schoettgen et Kreisig, *Diplomat.*, t. II, p. 438.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Universalis ecclesie precibus efficacius adjuvari speramus, si ipsam in membris beneficiorum largitione et particularium ecclesiarum dote libenter adaugemus. Itaque presentibus et in evum successuris hominibus notum esse volumus quod de largitate regalis eminentie jus patronatus parrochialis ecclesie in Criwiz cum omnimoda dote ipsi attinente et cum omnibus mancipiis utriusque sexus, simul et universis justiciis eidem ecclesie debitis, cenobio in Puzowe et abbati ejusque confratribus clericis et laicalibus personis nunc et in evum ibidem Deo militantibus jure perpetuo donavimus habendum; presertim tamen quod abbas presens memorati cenobii vel quilibet alius post illum successurus valebit post obitum presentis ejusdem ecclesie plebani beneficio quem voluerit investire vel ad utilitatem fratrum in augmentum prebendarum propriis usibus retinere, jure nichilominus in advocatia ecclesie sepedicte debito nobis et imperio integraliter et inviolabiliter pro tuitione ipsius retento. Quam donationem perpetua memoria solliciti confovere, per presens manu scriptum ratam fecimus et irrevocatam custodiri; statuentes et sub interminacione gratie nostre districte precipientes ne unquam aliqua persona alta vel humilis, equestris ordinis vel clericalis, adhuc autem et ecclesiastica vel secularis, sepe repetitum cenobium vel personas ejus super jure patronatus presumat aliqua specie gravaminis molestare. Si quis autem ausus fuerit huic nostre donationi aliquo ausu temeritatis obviare, reum se sciat majestatis

imperialis et in penam transgressionis XX marcas auri componat, quarum medietas fisco nostro, reliqua vero passis injuriam persolvatur.

Hujus rei testes sunt Thidericus marchio Misnensis et Orientalis, Otto dux Meranie, Hermannus comes de Orlamunde, Guntherus et Heinricus comites de Swarzburc, Ludewicus comes de Wirthenberc, Hartmannus comes de Quiburc, Albertus de Droyzc, Gerhardus prepositus de Altenburg, Anshelmus marscalcus de Justingen, Heinricus de Coldizc, Heinricus de Crimizcowe, Fridericus, Hermannus, Volqwinus fratres de Groz, Conradus de Waldenberc, Bernhardus de Vesta, Hugo de Criwiz, et alii quamplures.

Datum apud Aldenburg, anno dominice incarnationis M. CC. XVI, IIII idus novembris, indictione V.

Fridericus, Romanorum rex, mandat ne occasione alicujus collectae vel datiae apud Panormum faciendae, tam a canonicis quam a clericis capellae palatii sui aliquid exigatur, sed omnino liberi sint et absoluti. Nuremberg, 4 decembris.

(Edit. ap. Garofalo, *Tabular. regiae ac imper. capell. divi Petri*, p. 42, n° 22, ex MSS. Anton. Amici. Mendose vero ad ann. 1202 reponitur.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, ... juratis et universis quibus presentes littere ostense fuerint fidelibus suis gratiam et bonam voluntatem. . . . . Universos clericos fideles nostros favore protectionis [et] gratia debeamus, clericos tamen cappelle palatii nostri Panormi fideles. . . . . taliter tenemur diligere et favoris nostri benignitate tueri, quanto devotius nostre celsitudini pre ceteris famulantur. Cum igitur, sicut audivimus, post recessum nostrum multis gravaminibus et exactionibus fuerint fatigati, fidelitati vestre mandamus et sub obtemptu gratie nostre firmiter precipimus quatenus occasione alicujus collecte vel datie que inter vos

et in civitate vestra feceritis, tam a canonicis quam a clericis ipsius capelle sive pro animalibus sive pro possessionibus eorum nihil penitus exigatis nec eos exinde molestetis, sed ab omni datia et collecta sint liberi et absoluti; sciturі quod si quis huic mandato nostro presumpserit obviare, nostri culminis indignationem se noverit incursurum.

Datum Nuremberge, IIII° decembris, V indictionis.

Apud Nurimberg, decembri.

Fridericus, Romanorum rex, fratribus Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem CL uncias auri tarenorum bonorum Siciliae in proventibus siclae, doanae et aliorum reddituum civitatis Brundusii singulis annis percipiendas donat et concedit, in excambium cujusdam tenimenti quod ab hospitali ipso in Alamania recepit.

(Inedit. ex copia authentica in archivo Stuttgartensi.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Regi regum omnium de cujus munere aviti regni diadema sceptrumque recepimus et in throno progenitorum nostrorum suscepti regiminis moderamur habenas, jura disponimus feliciter et tractamus, tam in gratiarum quam laudum munere tenemur, et volumus nichilominus conditis actibus tam pietate quam spiritu devotionis assurgere; quia parum sola devotio perficit ubi posse adjacet, si eam non corroborent fructus et opera karitatis. In hiis enim que causa Dei liberalitas nostre benignitatis impendit, Deo feneramur et multiplicata inde divine retributionis beneficia prestolamur. Hac igitur ducti consideratione laudabili, diligentius attendentes religionem et honestatem tuam, frater Hermanne(1), magister sacre domus hospitalis Teotonicorum in partibus Iero-

---

(1) In hoc privilegio prima vice apparet Hermannus de Salza, magister ordinis Theutonicorum, qui tantam postea personam egit. Hunc quoque Constantiae reginae et regis pueri Henrici fuisse ductorem cum caeteris regni Siciliae magnatibus inter testes indicatis arbitramur.

solymitanis, et aliorum fratrum hospitalis ejusdem, de consueta munificentia nostra concedimus et donamus eidem sacre domui Theotonicorum in perpetuum [centum] quinquaginta uncias auri tarenorum bonorum Sicilie ad pondus Baroli, in proventibus sicle, doane et aliorum reddituum civitatis nostre Brundusii annis singulis percipiendas, in excambium cujusdam tenimenti quod ab hospitali ipso in Alamaniam recepimus; et ut hospitale ipsum donatione nostra possit plenius congaudere, statuimus et mandamus ut de primis proventibus et redditibus ejusdem civitatis quos curia nostra habere debet, eidem hospitali jamdicte centum quinquaginta uncie persolvantur, omni impedimento et contrarietate remota. Mandantes et firmiter precipientes ut quecumque persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostram concessionem et donationem infringere vel violare presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens inde privilegium fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt Sinfridus Maguntinus archiepiscopus, Berardus Panormitanus archiepiscopus, Raynaldus Gentilis Capuanus archiepiscopus, Eckibertus Babinbergensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Liupoldus dux Austrie et Styrie, Ludwicus dux Bawarie et palatinus comes Rheni, Otto dux Meranie, Bernhardus dux Karinthie, Willelmus marchio Montisferrati, Willelmus Porcus ammiratus regni (1), Hermannus

(1) Notandum nomen istius viri, quum inter regni Siciliae ammiratos nec a Vincentio nec a Tutinio memoretur, nec etiam apud caeteros Neapolitanos scriptores. Fortasse e familia Messanensi *Porco* vel *Porzio* dicta et sub Aragonibus inclyta oriundus erat, licet hunc Massiliensem crediderit Albericus Triumfontium, his verbis ad ann. 1212 : « Traditores horum infantium » dicuntur fuisse Hugo Ferreus et *Guillelmus Porcus,* mercatores Massiliensium, qui cum essent » navium rectores debebant, sicut eis promiserant, causa Dei absque pretio eos conducere » ultra mare. Et impleverunt ex eis septem naves magnas; cumque venissent ad duas dietas in » mari ad insulam sancti Petri ad rupem quae dicitur Reclusi, orta tempestate, duae naves » perierunt et omnes infantes de illis navibus submersi sunt. . . . Traditores autem reliquas » quinque naves usque Bugiam et Alexandriam perduxerunt, et ibi omnes infantes illos principibus Sarracenorum et mercatoribus vendiderunt. » Siculum vero fuisse et Januensium amicissimum comperimus ex annalibus Ogerii Panis ap. Muratori, *Script.,* t. VI, p. 391 et seqq.

marchio de Baden, Anselmus mariscalcus de Justingen, Waltherus pincerna de Scipha, Ulricus de Minzinberc, Philippus de Bollanden, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, magnifici Romanorum regis (*Monogramma*), semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, vice Siffridi Maguntine sedis archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexto decimo, mense decembris, V[e] indictionis, regnante domino nostro Frederico, Dei gratia Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania quinto et in Sicilia XVIIII°, feliciter. Amen.

Datum apud Nurinberc, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Nurimberg, decembri.

Fridericus, Romanorum rex, Berardo archiepiscopo Panormitano et ecclesiae ejus concedit et confirmat in perpetuum Perisium, Padhormum et Giracellum cum tota terra quam tenuit Rogerius Achmet, tam in tenimento Castri Johannis quam alibi, cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis.

(Edit. a Mongitore, *Bull. privil. et instr. Panormit. eccles.*, non ex originali tunc temporis deperdito, sed ex libro membran. in arca thes., f. 26. Unde mendae graves. praesertim in nominibus testium, quas correximus. Ex parte exhibetur a Pirro, in *Notit. eccles. Panorm.*, p. 146. Memoratur a Fazello, *Rer. Sic. dec.*,

---

Anno 1205, mense augusto, Guillelmus Porcus et Benvenutus, comitis Alemanni filius, classem Pisanam subvertunt. Eodem anno idem Guillelmus cum Henrico Maltae comite Syracusas a Pisanis obsessas liberat. Anno 1211 in ora maritima Hispaniae navis S. Johannis quam armaverat *Armiragius Porcus* duas naves Massiliensium capit, quas in Siciliam reducit. Abhinc hunc Guillelmum cum titulo admirati Siciliae reperimus usque in annum 1221. Nil mirum quod ratione officii sui regem juniorem in Germaniam fuerit comitatus.

I, lib. 8, p. 177, ab Inveges in *Panorm. nobil.*, p. 538, et a Baronio, *De majest. Panorm.*, lib. IV, 5, 39.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum deceat excellentiam regiam omnium devotorum servitia benigne respicere, locis maxime Deo dicatis et illis quos in conspectu ejus fides et servitia indefessa commendant, debet favorabilior apparere; ex quorum beneficiis et laudis in seculo titulum et eternum a Domino premium consequitur in futurum. Cum igitur Berardus venerabilis Panormitanus archiepiscopus, dilectus fidelis et familiaris noster, nobis tam extra regnum fideliter sequendo quam in regno devote et efficaciter serviendo, nobis in omnibus temptationibus nostris astiterit multaque rerum dampna et persone pericula sit perpessus, ipsaque Panormitana ecclesia que nostri sedes est regni, pro nobis et occasione nostra sit tam stabilibus quam mobilibus annullata, ad petitionem ipsius archiepiscopi concedimus et confirmamus sibi et successoribus suis in perpetuum Perisium et Padhormum et Giracellum, cum tota terra quam tenuit Rogerius Hamutus (1) tam in tenimento Castri Joannis quam alibi, cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis eorum; ita tamen quod uxor ipsius Rogerii Hamuti dodarium suum quod de jure debet habere in vita sua teneat, et post mortem ejus ad ipsum venerabilem archiepiscopum et successores suos sine alicujus impedimento revertatur; non obstante concessione aliqua si qua forte de supradictis vel eorum aliquo, aliquo tempore a curia nostra fuerit impetrata. Statuentes et presentis privilegii auctoritate mandantes ut nulla persona ecclesiastica vel secularis, alta vel humilis, hanc nostram concessionem et confirmationem infringere vel molestare presumat. Quod qui facere presumpserit, centum libras puri auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passo injuriam persolvatur. Ut autem hec nostra concessio ac confirmatio rata et firma permaneat, presens pri-

(1) Id est arabice *Achmet*. Rogerius Achmet tria casalia ecclesiae Panormitanae dederat ann. 1141; cujus donationem confirmavit Rogerius rex anno 1144, ut legitur ap. eumdem Mongitor., p. 22 et 28.

vilegium inde scribi et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujus rei testes sunt : E. Bambergensis (*a*) episcopus, S. (*b*) Augustensis episcopus, Otto dux Meranie et comes palatinus Burgundie, comes Lambertus, comes Ludovicus de Minnilibi (*c*), comes Hartmannus (*d*) de Quinbure, G. de Scip pincerna, J. marescalcus [de] Riperc (*e*), G. Porcus victoriosi stolii amiratus, B. (1) Gentilis comes Neritonii, Riccardus camerarius, et alli quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis semper augusti, et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexto decimo, mense decembris, V[e] indictionis, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani ipsius regni quinto et Sicilie nonodecimo, feliciter. Amen.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice Syfridi Maguntine ecclesie archiepiscopi et Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum apud Neurimberc, anno, mense et indictione pretitulatis.

(*a*) Ap. Mongitore *E. Neuburgensis*, male.

(*b*) Littera initialis male *A.*, dum recte fuerit *S.* (*Sifridus*).

(*c*) Nomen foede corruptum, credimus legendum *de Wirthenberg*.

(*d*) In impresso *Hti magnus*, pessime.

(*e*) Verisimiliter *de Rechberg*; sed hujus cognominis viri vocantur alias *Hildebrandus* sive *Ulricus*.

---

(1) Scilicet *Bernardus* seu potius *Berardus*, de quo supra, p. 211, not. 1. Anno 1213 patri suo Simoni in comitatu successerat. B. Tafuri, *Dell' origine di Nardo*, p. 382, inscriptionem de anno 1218 transcripsit in ecclesia monasterii S. Basilii asservatam, in qua Berardus idem memoratur.

ANNO 1217. — INDICTIONE 5.

Fridericus, Romanorum rex, Ulrico Pataviensi episcopo feudum vexilli, a Ludowico duce Bawariae resignatum, confert; quod deinceps dux Bawariae non ab imperio, sed ab ipso episcopo ejusque successoribus ratione feudi recipiat ac possideat. Apud Nuremberg, in solemni curia, 21 januarii.

(Edider. HUND, *Metrop. Salisb.*, tom. I. p. 382. — LÜNIG, *Spicileg. eccles.*, II Theil, p. 781.—HANSIZ, *German. sacr.*, t. I, p. 362.— TOLNER, *Hist. Palatina*, cod. diplom., p. 64. — CRUSIUS, *Annal. Suevici*, pars III. — *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 54-55, nº DCXXV. — Extractum etiam ab AVENTINO in *Excerpt. Passav.* ap. ŒFELE, *Rer. Boic.*, t. I, p. 713 *a*. — Bulla aurea periit, remanentibus tantum duobus foraminibus in membrana inferius complicata.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sycilie. Votis fidelium nostrorum, presertim que ad manifestos ecclesiarum usus cedere videntur, de consueta regie serenitatis munificentia pium semper favorem volentes impendere, presentis scripti certitudine ad notitiam presentis evi atque ad memoriam future posteritatis volumus venire quod ad instantiam et obnixas preces dilecti principis fidelis nostri Volrici Pattaviensis episcopi, quem in obsequiis imperii et nostris jam dudum non tantummodo invenimus devotum, verum etiam in sua fidelitatis fervore credimus, immo non dubitamus constantem in antea permansurum, ad recognitionem laudabilium meritorum suorum, quoddam feudum quod de concambio antiquitus inter imperium et cathedralem ecclesiam Pattaviensem de regali tunc coenobio sanctimonialium intemerate Virginis Dei Genitricis Marie facto tunc cessit imperio, quod feudum vexilli vulgo Vanlehen (*a*) appellatum illustris quondam O. dux Bawarie ab imperio dinoscitur assecutus, hoc idem feodum dilectus consanguineus et fidelis

(*a*) Hodierno idiomate *Fahnenlehen.*

noster Lodwicus illustris palatinus comes Reni et dux Bawarie ad preces nostras in manus regie celsitudinis voluntarie resignavit; nosque illud in continenti prelibato Ulrico Pattaviensi episcopo et sue ecclesie liberaliter dignati fuimus conferre et confirmare. Ipse autem episcopus solicite procurans ecclesie sue utilitatem, ipsum feodum statim titulo legalis successionis contulit prenominato duci Bawarie, ab ipso episcopo suisque successoribus, non ab imperio ratione feodi de cetero recipiendum et possidendum. Ut itaque hec apud posteros inconvulsa permaneant et perpetim firmitudine observentur, hoc privilegium ob dilectionis evidentia memorato episcopo sueque ecclesie indulsimus, sigillo aureo majestatis nostre roboratum.

Hujus etiam testes sunt : Sifridus Sancte Moguntine sedis archiepiscopus, Ekkebertus Babenbergensis, Sifridus Augustensis, Hainricus Basiliensis episcopi, Liupoldus dux Austrie et Styrie, Bernhardus dux Karinthie, Otto dux Meranie, Hainricus nobilis de Niffen, Anselmus de Justingen, marescalcus imperii, Waltherus de Sipf pincerna, Dieto camerarius, Philippus de Bonlandia, Hademarus de Wesint, Hainricus de Lonsdorf, Waltherus de Tannenberch, Otto de Morsbach, et alii plures.

Signum domini nostri Friderici invictissimi Romanorum regis et (*Monogramma*) semper augusti et gloriosi regis Sycilie.

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi, Moguntine sedis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo XVII, regnante domino Friderico secundo, divina favente clementia Romanorum rege et semper augusto et glorioso rege Sycilie, anno Romani regni ipsius quinto, Sicilie vero XVIII° (1).

Datum in sollempni curia apud Nuoremberch, anno pretaxato, XII kalendas februarii, quinte indictionis.

---

(1) Annus regni Siciliae unitate decurtatus est, cum tunc temporis nonusdecimus fuerit, nisi tanquam jam ante septem menses completus hic numeretur. Indictio et annus regni Romani currentes conveniunt anno Christi indicato 1217.

Fridericus, Romanorum rex, Ulrico Pataviensi episcopo et ecclesiae ejus comitatum praediorum hujus ecclesiae, per Ylsgowe (Ilsgau) loca sitorum, a duce Bawariae resignatum confert.

Apud Nuremberg, in solemni curia, 25 januarii.

(Editum ap. *Monum. Boica*, tom. XXX, p. 56-57, num. DCXXVI.— Extractum etiam ab AVENTINO in *Excerpt. Passav.* ap. ŒFELE, *Rer. Boic.*, t. I, p. 713 *a*; ac memoratum ab HUND in *Metrop. Salisb.*, t. I, p. 313, et ab HANSIZ in *Germ. sacr.*, t. I, p. 363. — Bulla aurea periit, remanentibus tantum duobus foraminibus in membrana inferius complicata.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sycilie. Votis fidelium nostrorum, presertim que ad manifestos ecclesiarum usus cedere videntur, de consueta regie serenitatis munificentia pium semper favorem volentes impendere, presentis scripti certitudine ad notitiam presentis evi atque ad memoriam future posteritatis venire volumus quod ad instantiam et obnixas preces dilecti principis fidelis nostri, Volrici Pattaviensis episcopi, quem in obsequiis imperii et nostris jam dudum non tantummodo invenimus devotum, verum etiam in sue fidelitatis fervore credimus, immo non dubitamus constantem in antea permansurum, ad recognitionem laudabilium meritorum suorum, comitatum prediorum ecclesie Pattaviensis sitorum per loca Ylsgowe nuncupata, quem comitatum dilectus fidelis et consanguineus noster Lodwicus, palatinus comes Reni et dux Bawarie, ex concessione divorum progenitorum nostrorum Romanorum regum et imperatorum jure hereditario tunc temporis quiete tenuit et possedit, de plano assensu et mera voluntate ejusdem ducis ab ipso duce in manus eminentie nostre resignatum, statim presente et petente eodem duce contulimus memorato episcopo Ulrico et sue ecclesie, ab ipso suisque successoribus Pataviensis ecclesie episcopis titulo legalis feudi perpetuo possidendum. Ad cujus rei evidentiam, robur atque per-

petuam memoriam, presens scriptum sepedicto episcopo et ecclesie Pattaviensi inde indulsimus, aurea bulla regie majestatis nostre communitum. Statuentes atque sub interminatione gratie nostre districte precipientes ne nulla umquam persona humilis vel alta, secularis sive ecclesiastica, hanc nostre concessionis et confirmationis gratiam infringere vel ei aliquo temmerario ausu presumat obviare.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Sancte Moguntine sedis archiepiscopus, Ekkebertus Babenbergensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Hainricus Basiliensis episcopus, Liupoldus dux Austrie et Styrie, Bernhardus dux Karinthie, Otto dux Meranie, comes Adolfus de Sowenburch (Schowenburch), Hainricus nobilis de Niffen, Anselmus de Justingen marescalcus imperii, Waltherus de Sipf pincerna et Chuonradus frater ejus, Dieto camerarius, Philippus de Bonlandia, Hademarus de Wisint, Hainricus de Lonsdorf, Waltherus de Tannenberch, Otto de Morsbach, et alii quamplures.

Signum domini Friderici invictissimi Romanorum regis (*Monogramma*) et semper augusti, et gloriosi regis Sycilie.

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi, Moguntini archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt autem hec anno Domini millesimo CC° XVII°, regnante domino Friderico secundo, divina favente clementia Romanorum rege et semper augusto, et rege Sicilie invictissimo, anno Romani regni ejus quinto, Sycilie vero XVIII° (1), feliciter.

Datum in sollempni curia apud Nuremberch celebrata, anno pretaxato, VIII° kalendas februarii, indictione V^a.

Laterani, 31 januarii.

Honorius tertius papa Waldemaro Danorum regi scribit se confirmare quidquid Fridericus rex Romanorum de assensu principum

---

(1) Vide p. 494, notam 1, in praecedente documento.

fecerit, scilicet additionem regno Daciae terminorum ultra Eldanam et Albiam et aliorum in Sclavia acquisitorum.

(Edit. ap. Suhm, *Hist. af Danm.*, t. IX, p. 747. Quem librum cum reperire non potuerimus, privilegium extrahimus ex regest. Honor. III, lib. I, epist. 220, in Biblioth. reg. Paris., et ex codice *ibidem*, n° 3934, fol. 85.)

Honorius, etc. Valdemaro regi Danorum illustri, etc. Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum igitur charissimus in Christo filius noster Fredericus rex Sicilie, in Romanorum imperatorem electus, de assensu principum, pro pace et concordia inter imperium et regnum Dacie inviolabiliter observanda et hostibus imperii coercendis, omnes terminos ultra Eldanam et Albiam imperium contingentes, quos inclite recordationis Kanutus rex frater tuus provocatus injuriis et tu cum eo pariter acquisistis, et quicquid in Sclavia idem frater tuus comparatum (*a*) paterno suoque labore tenuit, regno tuo addiderit, sicut per autenticum inde confectum evidenter apparet (1), nos tuis precibus inclinati, quod ab eodem rege de consilio principum et assensu pro bono pacis super iis provide factum fuit, ratum habentes, auctoritate apostolica confirmamus. . . . . . Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, II kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

Fridericus, Romanorum rex, hominibus Sancti Miniatis fidelibus suis concedit et donat in perpetuum burgum Sancti Genesii cum omnibus pertinentiis et rationibus ejus, statuitque ut iter stratae per terram Sancti Miniatis ire debeat. Apud Ulmam, februario.

(Edidit Lami, *Deliciae erudit.*, t. VI, p. 289, et apud *Eccles. Flor. monumenta*, t. I, p. 353.)

(*a*) In codicibus *compertum*, male.

(1) Vide supra privilegium Friderici, p. 346-347.

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regalis excellentie dignitas tunc vere laudis titulis sublimatur et eminenti decore prefulget, quum fidelium profectibus clemens exponitur et pie prosequitur desideria subjectorum. Inde est quod nos attendentes fidelitatem et grata plurimum et accepta servitia que homines Sancti Miniatis fideles nostri nobis et divis augustis predecessoribus nostris inclite recordationis exhibuerunt et in antea poterunt exhibere, de gratia nostra concedimus et donamus eis et eorum successoribus in perpetuum burgum Sancti Genesii (1) cum omnibus justis pertinentiis et rationibus suis et stratam; statuentes ut omnino iter strate ire debeat per ipsam terram Sancti Miniatis, mandantes et presentis privilegii auctoritate firmiter statuentes ut quecumque persona, ecclesiastica vel secularis, hanc nostram concessionem et donationem ausu temerario infringere aut violare presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas fisco imperiali, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut [autem] hec rata et firma permaneant, presens privilegium fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes fuerunt : Augustensis episcopus, Ratisponensis episcopus, abbas Sancti Galli, abbas Campidonensis, abbas Alwacensis, comes palatinus Tubingensis, marchio de Baden, marchio Montis Ferrati, Anselmus de Justingen marescalchus, Walterus de Sciph pincerna, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia Romanorum imperatoris [semper] augusti, et regis Sicilie.

Ego Corradus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule can-

---

(1) Scilicet *San Genesio*, in dextera parte vallis Arni situm et quasi medium inter Florentiam, Pisam et Luccam. Vid. Repetti, *Dizionar.* ad verb. « Populus S. Miniatis deinde illud burgum destruxit et habitatores in Sanctum Miniatem transtulit anno 1248, ut Villanius lib. VI, cap. 32, tradit. At idem, lib. V, cap. 27, jam dixerat populum S. Miniatis anno 1200 burgum S. Genesii dextruxisse et tandem anno 1240 iterum aedificasse, ut loco primum citato idem historiographus scribit. Quî igitur Fredericus II anno 1216 donare potuit oppidum quod jam deletum erat? Num moenia tantum Miniatenses everterant, domos et quosdam habitatores reliquerant? » Lami, *Monum. ibid.*, p. 354.

cellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sextodecimo, mense februarii (1), quinta indictione, regnante domino nostro Frederico, Dei gratia Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania quinto, et Sicilie nono decimo, feliciter. Amen.

Datum apud Hulmam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, abbati Sancti Galli, ministerialibus ejusdem ecclesiae et civibus de Wangen promittit quod advocatiam in Wangen ad manus suas perpetuo habebit, nec ullo unquam tempore ad manus alienas nisi regias illam transferri permittet. Ulmae, februario.

(Edidit T. L. Ulrich Jager, *Juristisch magazin für die Deutsch. Reichst.*, t. III, p. 161. Ulm, 1793.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Presentis scripti patrocinio ad memoriam future posteritatis volumus pervenire quod nos, ad preces dilecti principis nostri Ulrici abbatis Sancti Galli atque ad summam instantiam civium nostrorum de Wanga, de consilio quoque et assensu atque conscientia principum qui solempni curie nostre apud Ulmam interfuerunt, promisimus predicto abbati sueque ecclesie ministerialibus necnon civibus de Wanga quod nos advocatiam in Wanga ad manus regias perpetuo habebimus et tenebimus, nulli unquam persone seculari sive ecclesiastice alioquin alienandam; et si forte aliquo tempore quocumque ingenio a nobis seu a filio nostro Hainrico inclito rege Sicilie et duce

---

(1) Notatio mensis quae deest apud Lamium suppletur ex originali in archivo Florentiae, ut monet Boehmer, *Regest. Freder. II*, p. 89, nº 192.

Suevie sive ab aliquo heredum nostrorum fuerit alienari (*sic*), id irritum et cassum fore volumus et decernimus. Volumus quoque et perpetuo observandum statuimus ne nobis ipsis aut pretaxato filio nostro aut alicui heredum nostrorum liberum sit advocatiam illam ad manus alienas aliquo tempore transferre; sed semper in illius dominio maneat qui pro tempore ecclesie regalis Sancti Galli fuerit advocatus. Ad hujus rei majorem evidentiam, robur atque memoriam, hoc scriptum civibus de Wanga indulsimus et sigillo majestatis nostre communivimus.

Hujus rei sunt testes : Chunradus Ratisponensis, Sifridus Augustensis episcopi, Ulricus abbas Sancti Galli, Chuno [abbas] Elvangensis, Hartmannus et Ludwicus fratres comites de Wirtemberch, Burchardus de Bademe, Eberhardus dapifer de Tanne, Chunradus de Winterstetten, Dietericus de Ravensberch, et alii quamplures.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Datum Ulme in curia solempni, anno Domini millesimo CC. XVI, [mense] februarii, indictione quinta.

Ulmae, [februario].

Fridericus, Romanorum rex, quum fratres monasterii de Salem in praedio eorum Voltingen juxta lacum molendinum construere proponant, locum ipsum licentiat, concedit et sub speciali protectione sua confirmando recipit.

(Inedit. ex libr. privilegior. monast. Salemit. in archivo Karlsruhensi, vol. I, fol. 130-131.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Licet omnibus religiosis sub nostro imperio constitutis pie intendere semper firmum propositum habeamus, ipsos sub nostra protectione manutenendo et eisdem auxilia congrua impendendo, monasterium

tamen de Salem pro fratrum ibidem habitantium religione singulari dilectione amplectimur, atque ipsos et eorum res pro fidelitate quam experti sumus circa illos et abbatem suum, sub nostra regali protectione semper habere volumus et eisdem in omnibus necessitatibus suis devotum et efficax patrocinium exhibere. Verum quia propositum ipsorum est in predio suo Woltingen juxta lacum construere molendinum, locum eumdem monasterio ipsorum licentiamus et de certa scientia nostra concedimus, atque illum sub nostra speciali protectione recipientes auctoritate regia confirmamus. Nulli ergo hominum fas sit hanc nostre confirmationis paginam infringere aut ei ausu temerario contraire, cui nostri sigilli impressio perhenne tribuit firmamentum. Quod si quis presumpserit, majestatis Dei et nostram offensam se noverit graviter incursurum.

Datum Ulme, anno ab incarnatione Domini MCCXVII (*a*), indictione V.

Fridericus, Romanorum rex, omnibus scultetis Sueviae mandat ut in domibus conventus de Salem nihil exigere praesumant, cum ad opus suum per civitates et suburbia sua collectae fiunt.

(Inedit. ex libr. privilegior. monaster. Salemitani in archivo Karlsruhensi, vol. I, fol. 121.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis fidelibus suis omnibus scultetis Suevie gratiam suam et omne bonum. Fidelitati vestre notum facimus quod dilectis nostris abbati videlicet et conventui de Salem concessimus ut cum nobis precipientibus ad opus nostrum fit per civitates et suburbia nostra in quibus predicti fratres domos habent collecta, ut (*sic*) domus eorum a collectis hujuscemodi auctoritate regia sint immunes. Unde mandamus vobis atque preci-

(*a*) In codice *MCCXII;* alia manu inter lineas et in margine *MCCXVII.* — Notatio mensis quae deficit facile suppletur ex praecedentibus documentis.

pimus quatenus, sicut supradictum est, cum tales collecte fiant, in eorum domibus nullomodo exigere presumatis (1).

Spirae, 16 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, concessionem confirmat quam pater suus Henricus sextus abbatiae Uterinae vallis (Eussernthal) juxta Annweiler de pertinentiis ejusdem abbatiae fecit.

(Memorat. ap. Mone, *Anzeiger* ad ann. 1837, p. 138. Originale quod sigillo ornatum dicit, apud Karlsruhe frustrà requisivimus.)

Datum Spire, XVI februarii, indictione V.

Boppardiae, 10 martii.

Fridericus, Romanorum rex, coenobio Sanctae Mariae in Otterberg confirmat donationem a Bertholfo milite de Gerswilre eidem coenobio factam, de allodio ejus in Gerswilre integraliter et ab omni jurisdictione absolute collato.

(Edider. Frey et Remling, *Urkundenbuch des Klost. Otterberg*, p. 17, nº 19.—Versio hujus privilegii germanica, non tamen omnino recta, invenitur ap. *Monum. Boica*, t. XXXI, pars 1ª, p. 495, e libro copiali ann. 1601.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis regni sui fidelibus gratiam suam et omne bonum. Cum ad hec divina clementia nostre cure ac sollicitudini gubernacula commendaverit Romani regiminis ut ecclesiarum intendamus paci et tranquillitati, dignum duximus ea que sub nostris fiunt temporibus ad augmentum

---

(1) Quum omnino desiderentur chronologicae notae, sub forma appendicis ad praecedentem chartam hanc damus; Friderico secundo potius quam primo eamdem tribuentes.

cultus Dei promovere pro viribus et modis omnibus confirmare. Eapropter universitati vestre notum facimus quod Bertholfus miles de Gerswilre in nostra presentia constitutus allodium suum in Gerswilre integraliter tam in villa quam in agris, tam in nemore quam in pratis sive aquis, cum omni jure liberum et absolutum ab omni jurisdictione advocati sive comitis dedit et contulit per manus nostras cenobio sancte Dei Genitricis ac Virginis Marie in Otterburg, pro remedio anime sue et suorum antecessorum qui idem allodium usque ad hec tempora in quieta et plena semper possederant libertate. Quia igitur manifeste coram nobis atque legitime hec sunt acta, nos donationem istam eidem ecclesie confirmamus, auctoritate regie celsitudinis inhibentes ne quis hominum sublimis vel humilis prefatum cenobium tam in ista quam alia quacunque sua possessione perturbare presumat. Alioquin si quis spreverit in hac parte preceptum nostrum, indignationem se noverit regie celsitudinis incursurum.

Testes hujus rei sunt : H. comes Geminipontis, Symon comes Sarepontis, Fridericus comes de Liningen, Anselmus marscalcus noster de Justingen, Reinhardus scultetus de Lutra, et alii quamplures nostro tunc palatio assistentes.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XVII.

Datum Bopardie (1), VI idus martii, indictione V.

Honorius tertius papa respondet litteris quas Fridericus rex Romanorum de morte Innocentii tertii et ipsius promotione misit; notificans quod regales nuntios benigne recepit et ad eum legatum suum destinare disponit, cum exhortatione ut in devotione Ecclesiae Romanae firmiter perseveret. Laterani, 8 aprilis.

---

(1) Hoc anno Fridericus curiam habuit solemnem Bopardiae, ut nos monet Reinerius Leodiensis. Utrum vero fuerit celebrata mense martio an julio, nescimus.

(Inedit. e codice Bibl. reg. Parisiensis, n° 3934, fol. 211-212, circa XVII seculum exarato. RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1217, § XLI, fragmentum hujus tantum exhibuit e regest. Honor., lib. I, epist. 359.)

Honorius, etc., illustri regi Sicilie, in Romanorum imperatorem electo, etc. Litteris regie celsitudinis consueta benignitate receptis, ex tenore intelleximus earumdem quod licet felicis recordationis I. pape predecessoris nostri te obitus conturbarit, beneficia que per ejus ipsius sollicitudinem gratia tibi divina contulerat recolentem, nostra tamen promotio letitiam tibi attulit post merorem; firmam gerendo fiduciam quod gratiam quam in ejusdem predecessoris nostri oculis invenisti apud nos valeas invenire, cum omnem devotionem et reverentiam quam exhibuisti eidem, exhibere devotissime velis et nobis. Dilectos quoque filios abbatem Sancti Galli, nobilem virum W. marchionem Montisferrati, V. decanum Spirensis ecclesie et castellanum Sancti Miniatis nuntios tuos benigne recepimus, et ea que nobis ex parte tua proponenda duxere, una cum fratribus nostris clementer audivimus et advertimus diligenter. Nos ergo ad ea que Dei et Ecclesie Romane honorem et exaltationem tuam respiciant aspirantes, ad te legatum nostrum disponimus destinare, per quem tam super iis que ex parte tua nobis fuere proposita quam super Terre Sancte succursu, celsitudini regie, secundum quod expedire viderimus, curabimus respondere. Monemus igitur serenitatem tuam et exhortamur in Domino quatenus in devotione sancte Romane Ecclesie matris tue firmiter perseverans, te talem exhibere studeas erga ipsam quod ipsius erga te charitas desinere non debeat, sed de die in diem suscipere potius incrementum.

Datum Laterani, sexto idus aprilis (1), pontificatus nostri anno primo.

---

(1) In indice Parisiensi *quinto* idus aprilis (9 april.); et sub eodem die memorantur ibidem aliae litterae omnibus Germaniae principibus tam secularibus quam ecclesiasticis missae, ut in fidelitate eidem Friderico debita perseverent. Sed Raynaldus has *postridie* datas memorans ex regesto, *ibid.*, n° 360, nostrae notae consentit.

Fridericus, Romanorum rex, commutationem inter se et Petrum praepositum ecclesiae Sanctae Fidis in Schletstadt initam declarat, videlicet in civitate bannum vini, tabernas, opera quotidiana, medietatem thelonei, praesidentiae, justitiae et proscriptionem quas recepit, dum e converso contulerit ecclesiae omnia praedia et proprietates quae sibi pertinere videbantur in Schletstadt, Brunner et Konigsheim. Hagenowiae, 10 aprilis.

(Edid. WURDTWEIN, *Nov. subsid. diplom.*, t. X, p. 292, ex autographo in arch. episcop. Argent.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Ad notitiam omnium atque ad perpetem memoriam singulorum tam presentis evi quam future posteritatis patrocinio presentis scripti volumus pervenire quod cum regia circumspectio ad futuram imperii nostrorumque heredum utilitatem considerasset adaptationis convenientiam de civitate Sletstatensi non modicum expedire, nos de principum, baronum atque nobilium, fidelium atque ministerialium nostrorum plano consilio, ne ecclesie in honore Dei omnipotentis ejusque pie Genitricis perpetue Virginis Marie et omnium sanctorum et speciatim in nomine Sancte Fidis constructe necnon preposito et conventui ejusdem ecclesie in predicta civitate constitute pro nostra atque imperii utilitate in jure et proventibus suis quos ibidem annuatim percipiebant, prejudicium aliquod vel dampnum generari videretur, tale pactum inter nos et venerabilem fidelem nostrum Petrum prepositum ejusdem loci factum est pro ecclesia memorata. Ipse prepositus Petrus vice et nomine conventus et ecclesie sue nomine et titulo commutationis cum perpetua stabilitate contulit nobis in sepedicta civitate bannum vini, tabernas, opera cottidiana que

vulgo Tagewan appellantur necnon medietatem thelonei atque medietatem presidentie atque justitie faciende et proscriptionem; ita quod nos sive nuntius noster qui pro tempore fuerit, cum preposito sepedicte ecclesie qui pro tempore fuerit, pari dispositione ibi instituamus scultetum sive justiciarium atque thelonearium, et de utroque officio prepositus et ecclesia sua medietatem proventuum percipiat. E converso nos de plena regie serenitatis benivolentia et de pura conscientia nostra, nomine et titulo concambii perpetua stabilitate contulimus prefato preposito recipienti pro se et ecclesia sua atque successoribus suis omnia predia et omnes proprietates quas habere visi sumus in tribus locis, scilicet in Sletzstat et in Brunnario atque in pertinentia Cunegesheim, in hominibus utriusque sexus, in agris, in pratis cultis et incultis, in silvis, nemoribus, aquis, aqueductibus, in pascuis, piscationibus atque boscationibus et venationibus, cum omni jure et honore, sicut ad nos hactenus pertinere videbantur; hec et alia que eadem ecclesia a nostris progenitoribus et a nobis hucusque percepit, perpetua auctoritate confirmantes. Statuimus igitur atque sub pena Dei nostri regum regis nostreque gratie interminacione districte precipimus ne ulla omnino persona, humilis vel alta, secularis sive ecclesiastica, hujus commutationis et confirmationis formam mutare presumat vel infringere. Quod qui facere attemptaverit, iram Dei omnipotentis regiamque indignationem se noverit graviter incurrisse. Ad cujus rei evidentiam et perpetem memoriam, hoc scriptum inde fieri statuimus sigillo majestatis nostre roboratum.

Hujus quoque rei sunt testes : Lodowicus comes palatinus Rheni et dux Bavarie, Bertoldus dux Zaringie, Rudolphus comes palatinus de Tuwingen, Hermannus marcravius de Baden, Gerhardus de Diets, comes Sibertus et filius suus de Werda, Hainricus nobilis de Niffen, Wernherus et Philippus fratres de Bonlandia, Anselmus de Justingen marscalcus imperii, Fridericus de Sowenburch, et alii quamplures.

Ego Cunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo decimo septimo, regnante domino nostro Friderico illustrissimo Romanorum rege, semper

augusto et glorioso rege Sicilie, anno Romani regni ipsius quinto, Sicilie vero octavo decimo.

Datum Hagenowie, anno suprascripto, quarto idus aprilis, indictione quinta.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Sancti Quirici in dioecesi Reatina cum hominibus et possessionibus ejus sub speciali sua protectione recipit, et ordinem in quem Innocentius quondam papa ipsum monasterium commutavit ratum habet et confirmat. Haguenau, aprili.

(Edidit Hugo, *Sacr. antiquit. monumenta,* t. I, p. 30, n° 27; — et ap. *Annal. Praemonst.,* t. II, p. 401.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris quod nos divine pietatis intuitu et pro remedio animarum divorum augustorum patris et matris nostre felicis memorie, pro nostra quoque salute, de gratia et consueta benignitatis clementia monasterium Sancti Quirici in diocesi Reatina, abbatem ipsius et fratres cum hominibus et obedientiis, castellis, villis et omnibus possessionibus suis, tam mobilibus quam stabilibus, sub nostra speciali protectione ac defensione recepimus, ordinem quoque et habitum in quem olim dominus Innocentius papa ipsum monasterium commutavit (1) ratum habemus et ipsum presentis scripti robore perpetuo confirmamus; mandantes et firmiter statuentes ut nullus de cetero predictum monasterium de predictis omnibus que nunc habet et possidet

---

(1) Anno MCCXV in quo Lateranense concilium coiit, Gervasius Praemonstratensis abbas abbatiam Sancti Quirici, pulsis inde monachis patricidis, accepit ab Innocentio tertio. Licet vero ecclesiastica potestate in eam Praemonstratensium agmen immisisset Gervasius, voluit etiam saeculari imperatoris auctoritate in possessione adita confirmari, ita suadente Honorio pontifice. Quae omnia fusius describuntur in epistola ipsa a Gervasio Friderico II directa, in qua his verbis utitur : *monasterio Sancti Quirici in Trodoco* (de Introdoco). Vid. *Sacr. antiq. monum.*, t. I, p. 29, n° 26.

et de his que dante Domino poterit justis titulis adipisci, impedire aut molestare presumat. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens scriptum fieri curavimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo septimo decimo, mense aprilis, indictionis quinte, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia magnifico Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani ipsius regni in Germania quinto et in Sicilia nonodecimo, feliciter. Amen.

. . . . . . 17 aprilis. Fridericus, Romanorum rex, Philippo de Bolanden castrum Reichenstein se restituturum promittit, statim ut a Rheingravio Wolframmo illud redemerit.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 89, n° 198, ex Schott, *Geschichte der Rheingrafen*, MSS. penes Habel.)

Datum. . . . ., anno dominice incarnationis M. CC. XVII, XV kalendas maii, indictione quinta.

Apud Rotweil, 17 maii. Fridericus, Romanorum rex, monialibus de Rotamunster apud Rotweil donat et confirmat quasdam possessiones in Dirbheim, quas Bertoldus miles de Egisheim comiti Egenoni de Urach et filio ejus resignaverat, ut post eorum quoque resignationem ab ipso rege eidem monasterio donarentur.

(Inedit. ex copia vidimata ex claustro Rotenmünster in archivo Donaueschingen, nobis communicata a cl. viro Staelin. In altera copia, ut nos Kauslerus monuit, legitur data *XVII kal. maii* (15 *april.*), nostra sententia minus recte, praecipue ex nominibus testium, qui a testibus supra expressis, p. 506, omnino nunc differunt.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, universis imperii sui fidelibus gratiam suam secundum (*sic*) omne bonum. Ductus zelo pietatis Bertoldus miles de Egisheim quasdam possessiones in villa Dirbheim quas ipse a fidele nostro comite Egenone de Urach tenebat in feudo et comes predictus tenebat de manu nostra, easdem pro remedio anime sue absque (*a*) aliqua accepta pecunia dictus miles ad honorem Dei et sustentationem sanctimonialium apud Rotwile in loco qui Hohmuron (1) dicitur Deo famulantium, feudum supradictum resignavit comiti Egenoni et filio illius Egenoni, postulando devotissime ut auxilio eorumdem et interventu nos ad quos jure patrimonii pertinere dinoscuntur proprietates predictarum possessionum, ipsis comitibus ad preces suas nobis resignantibus easdem, dictis monialibus in loco antedicto Deo servientibus dare vellemus et confirmare. His itaque precibus predictorum fidelium nostrorum comitis et filii sui necnon et militis sepedicti benignum adhibentes assensum, dictas possessiones omni eo jure quo nobis ratione patrimonii adtinere dinoscuntur, dictis sanctimonialibus ad honorem Dei et sustentationem earum libere damus et confirmamus eisdem in perpetuum possidendas. Si qua autem persona alta aut humilis, spiritualis aut secularis, contra hanc nostram donationem aut confirmationem ausu temerario venire presumpserit et dictas moniales in eis indebite infestaverit, indignationem Dei omnipotentis et omnium sanctorum se noverit incurrisse atque ex hoc regiam excellentiam graviter offendisse. Ad hujus etiam donationis atque confirmationis nostre majorem certitudinem, presentem chartam ex mera conscientia nostra scriptam sigilli nostri impressione decrevimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Henricus venerabilis Augiensis abbas, Eberhardus abbas de Salem, Eberhardus comes de Helfenstein, Hermannus comes de Salza (*b*), Fridericus comes de Zolre, Burckardus comes de Hohen-

(*a*) In copia *atque*, male.

(*b*) Alias autem legitur *de Sulza*.

---

(1) Scilicet *Hochmauern* monasterium, brevi post fundationem in vicinum locum *Rotenmünster* translatum.

berg, Anselmus de Justingen regalis aule marscalcus, Dieto de Ravinspurg, Conradus et Bertoldus de Stoupha, Hertwicus magister coquine, et alii quamplures.

Datum apud Rotwile, anno dominice incarnationis M. CC. XVII, XVII die maii, indictione V.

Augustae, 25 maii.

Fridericus, Romanorum rex, domui Sanctae Mariae Theutonicorum pro mantellis et agninis pennis ad usus hiemales ducentas uncias auri de sicla et de caeteris proventibus regiis apud Messanam singulis annis solvendas donat.

(Edidit J.-H. Hennes, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theutonic.*, p. 31, n° 28, ex codice Berolinensi; coll. cum altera copia in arch. Stuttgart., ann. 1521 transumpta.)

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Facta humana et maxime rationabilia ne processu temporum casu quolibet in dubium seu in irritum valeant deduci, litterarum testimonio expedit roborari. Hac itaque subnixi ratione notum fieri volumus universis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus quod profectui et promotioni hospitalis Sancte Marie et domus Theotonicorum in Jerusalem summopere intendentes, pro salute tam nostra quam progenitorum nostrorum, de sicla et de ceteris proventibus regiis apud Messanam primo solvendis prefate domui ducentas uncias auri bonorum tarenorum ad pondus Baroli liberaliter donavimus singulis annis solvendas, ad usus hyemales pro mantellis et agninis pennis (*sic*) militie fratribus ceterisque pauperibus transmarinis in domo ipsa Deo et sancte sue Genitrici devote ac jugiter in perpetuum servituris. Ut autem majestatis nostre donatio circa sepedictam domum firma et inconvulsa semper consistere debeat, hanc ei paginam indulsimus aurea bulla regie serenitatis nostre firmatam; statuentes et sub interminatione gratie nostre

districte precipientes ut nulli hominum humili vel magno, seculari vel ecclesiastico, liceat hanc nostre indulgentie paginam pretextu quolibet infringere vel ei aliquo ausu temerario contraire. Quod si quis attemptaverit, iram Dei omnipotentis sancteque sue Genitricis Marie necnon regie majestatis indignationem se noverit incurrisse. In signum autem sue presumptionis, in quingentis libris examinati auri eum condempnamus, quarum una medietas fisco regio et altera medietas passis injuriam pro pena erit solvenda.

Hujus rei testes sunt : Eberardus Salzeburgensis archiepiscopus, Otto Frisingensis, Conradus Ratisponensis, Sifridus Augustensis episcopi, Ludewicus comes palatinus Reni et dux Bawarie, Liupoldus dux Austrie, Rapoto comes palatinus, Henricus frater ejus de Ortenberch, Bertoldus de Greifesbach, Egeno de Urach comites, Henricus nobilis de Nifc, Marquardus scriba, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi, Romanorum regis et semper augusti et gloriosi regis Sicilie.

Ego Chonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi ac totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno Domini nostri Jesu Christi M. CC. XVI (*a*), regnante invictissimo domino nostro Friderico secundo, divina favente clementia Romanorum rege, semper augusto et glorioso rege Sicilie, feliciter, anno Romani regni ejus quinto, Sicilie vero XVIII (1).

Datum Auguste per manus Henrici Constantiensis prepositi, regalis aule prothonotarii (2), VIII kalendas junii (3), indictione quinta.

(*a*) Legendum vero *M. CC. XVII*, ut indictionis numerus et ordo rerum satis aperte demonstrant.

---

(1) Annus Romani regni justus est. Annus vero regni Siciliae tunc vicesimus incipiebat.

(2) Henricus de Tanna vel Tanne (*Tanegg* juxta Bondorf in Nigra sylva, ut censuit Staelinus), hoc anno successit Bertholdo protonotario, qui ad sedem Brixinensem fuerat evectus.

(3) *Julii* in copia Stuttgartensi. At legitur apud Hennes *junii;* quod rectius videtur, quum iste hoc ediderit ex copiali libro ord. Teutonic. saec. XIII, in archivo Berolin. asservato.

Apud Ratisponam, 31 maii.

Fridericus, Romanorum rex, hospitale apud ecclesiam beati Johannis Ratisponae in suam protectionem recipiens, possessiones ejus in praediis, nominatim expressis, confirmat.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 58-59, nº DCXXVII.— Memoratum autem in Gemeiner, *Regensb. Stadtchronik*, t. I, p. 307-308. Sigillum in ora nonnihil laesum appendet ex filis sericis purpurei et flavi coloris. Hanc confirmationem regalem praecessit episcopalis eodem anno, scilicet 22 april., in Ried, *Cod. Ratisb. diplom.*, t. I, p. 320, nº 337, impressa, ubi accuratius nonnumquam locorum nomina propria leguntur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis Christi fidelibus quibus presens pagina videnda contigerit in perpetuum. Licet regie majestatis plurimum intersit sancte Dei ecclesie et religioni christiane augendi quippe et conservandi benignum exhibere favorem, nos pre certis (*a*) qui per eam promoti sumus pariter et exaltati, tenemur merito in universis suis partibus religionem ipsius sollicitudine speciali promovere. Hac igitur ducti racione, hospitale situm Ratispone apud ecclesiam beati Johannis, habundans pauperibus, tenue in redditibus, per quod Dominus clementer suis fidelibus providit ut videlicet ipsi suis elemosinis sustentando ibidem confluentes peccata sua deleant, una cum redditibus, hiis prediis scilicet Hoenburg, Houlingen, Wiaer et prediolo Reitenbuoch et predio Kanstein et una curia et una huoba et novem areis Alburg et huoba Trobelingen et una curia Sunchingen et huoba Oprechtoven et huoba Helinhoven et huoba Leichelingen et vinea una Wisent, vinea una et dimidia et orto Phaffenstein et curia Krappenstein, curia Seilenhoven, quatuor huobis et quinque areis Luog, curia Poucekoven, curia Holtzlitten, area Reinhousen domo et ejus area, item area apud Athkitten (Achkirchen),

(*a*) Sic, verisimiliter legendum *pre ceteris*.

orto in orientali parte et orto in occidentali parte Ratispone et cum omnibus aliis ejus attinentiis atque possessionibus juste jam possessis et in futurum juste possidendis, in nostram recipimus protectionem, omnia predicta auctoritate regia dicto hospitali confirmantes, illibata perpetuitate ex nunc et deinceps possidenda. Inhibentes usque quaque sub obtentu gracie nostre ne aliquis hominum in prefatis bonis sepedicti hospitalis deservientibus in aliquo penitus audeat molestare. Quod si quis attemptaverit, indignacionem nostram se noverit incursurum. Hec itaque presenti pagine commendata appensione sigilli nostri fecimus communiri, quatenus perhenni firmitate vivant inviolata.

Datum apud Ratisponam, anno Verbi incarnati M° CC° XVII°, pridie kalendas junii, indictione V, presentibus principibus nostris, Volrico episcopo Pataviensi, Sifrido episcopo Augustensi, Luodowico palatino Reni et duce Bawarie, Rapodone palatino de Wilingesbach, comite Henrico de Ortenberg, Guichardo comite de Herzberg, lantgraviis de Luckenberg, Guichardo et Tipoldo civibus Ratisponensibus, Henrico de Capella, Gocewino scoltheto, Ruodegero theloneario, Willelmo Vorporg, Karolo theloneario, Friderico Stolz, et aliis quampluribus.

Ego Cuonradus Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi tocius Germanie archicancellarii, recognovi. (*Monogramma.*)

Fridericus, Romanorum rex, monasterio de Burron (Benedictbeurn) mansum unum apud Schorrin confirmat, quem illi ministerialis suus, Tidericus de Kufringen, vendidit et donavit.

Apud Augustam, 8 junii.

(Edit. in Meichelbeck, *Chronicon Benedictobur.*, t. I, p. 109, et in *Monum. Boic.*, tom. VII, p. 112, num. 24, inter monum. Benedictobur. — Collat. cum originali unde sigillum nonnihil laesum, sed bene expressum appendet ex segmento membranaceo.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Notum facimus universis imperii fidelibus, tam presentibus

quam futuris, quod cum ministerialis noster Tidericus de Kufringen consentiente uxore sua mansum unum apud Schorrin situm de terra culta et inculta titulo venditionis monasterio de Burron ad radices montium donaverit, idem Tidericus una cum ejusdem loci preposito Friderico nobis attentius supplicavit ut donationem ipsam ratam vellemus habere et per manus nostras fieri permitteremus. Igitur pro salute nostra et ob remedium animarum omnium progenitorum nostrorum, donationem eandem per manus nostras legitime factam ratam habentes et gratam, prefato monasterio de Burron ipsum mansum cum omni jure suo perpetuo possidendum confirmamus; sub interminatione gratie nostre firmiter precipientes ne quis abbatem aut fratres deinceps in ipso manso et ejus proventibus molestare vel impedire presumat.

Datum apud Augustam, anno Domini M. CC. XVII, VI idus junii, indictione V.

Pataviae, 14 junii.

Fridericus, Romanorum rex, coenobio Cremsmonasteriensi confirmat Liupoldi ducis Austriae et Styriae privilegium, quo dux praefatus praedia et homines coenobii ejusdem ab omni seculari judicio exemit, judicem tantummodo ad postulationem abbatis et secundum formam quae ei placuerit constituturus.

(Edidit P. Sim. Rettenpacher, *Annal. monast. Cremifanensis*, lib. II, p. 176 (Salisburgi, 1677).)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Quod studio piorum geritur, pium est et condecens ut id tenore stabili roboretur. Hinc est quod nos considerantes devotionem dilecti consanguinei nostri Liupoldi ducis Austrie et Styrie, quam in cenobio Cremsmonasteriensi ostendit, ipsam in Domino commendamus. Prefatus enim dux omnia predia et homines

memorati cenobii a secularis potestatis judicio exemit omnimodis, usque adeo quod Ortolfus de Volchenstorf qui fuit judex provincie in prediis ejusdem monasterii, resignaret judicium illud in manus Ottonis Ratisponensis ecclesie advocati a quo tenebat in feodo, idemque advocatus resignaret illud manibus jam dicti ducis, itemque dux glorioso Christi martyri Agapito prefate ecclesie patrono auctoritate nostra assignaret. Adjecit etiam ut nec ipsemet nec aliquis successorum suorum idem judicium possit in posterum alicui infeodare, et si infeodatio aliqua, quod absit, de facto contigerit, censemus omnimodis irritandam. Preterea memoratus dux judicem dicto cenobio constituet quemcumque abbas cum fratribus sepedicti cenobii postulaverit : tali forma ut liceat ipsis quolibet anno mutare judicem vel etiam ante anni terminum, si sic ipsis visum fuerit expedire. Hec et alia que in privilegio (1) continentur quod antedictus dux ecclesie Chremsmonasteriensi exhibuit, ratahabentes et approbantes auctoritate regia confirmamus; et ut factum hujusmodi irritari nequeat, sed semper maneat inconvulsum, presentem paginam sigilli nostri impressione fecimus insigniri, testium nominibus qui interfuerunt subnotatis :

Otto Frisingensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Ludwicus dux Wawarie palatinus Rheni, Diepoldus comes de Hohenburch, Rapoto palatinus Wawarie, Heinricus comes de Ortenburch, Egeno comes de Urach, Chunradus hallegravius de Wazzerburch, Ulricus comes de Chlam, Heinricus nobilis de Niffen, Chunradus nobilis de Altach, Otto Ratisponensis ecclesie advocatus, Heinricus et Wernhardus fratres de Schowenberch, Otto decanus Pataviensis, Chalhohus Pataviensis canonicus, Walchunus Pataviensis canonicus, Chunradus Pataviensis canonicus, majoris ecclesie plebanus, Heinricus de Petempach archipresbyter, Hartimannus Ardacensis prepositus, Marquardus de Hintperch, Rudolphus de Potendorf, Heinricus de Zewingen, Hadmarus de Chunring, Chalhohus de Gnannendorf, Liupoldus de Molantsdorf, Heinricus de Triwanswinchel,

(1) Vide *ibidem*, p. 173-175, privilegium Liupoldi, datum in Admunt, idibus maii, ann. inc. Dom. 1217, indict. V.

Otto de Puchpach (Eichenpach), Heinricus de Puten, Hadmarus de Wesen, Liutoldus de Saverstetten, Heinricus de Lonstorf, et alii quamplures.

Datum Patavie, XVIII kalendas julii, anno dominice incarnationis M. CC. XVII, indictione V, anno regni nostri quinto.

Pataviae, 14 junii.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Campililiense (Lilienvelt) noviter a Liupoldo Austriae duce fundatum in suam et imperii protectionem recipit, eique omnia bona a quocumque collata confirmat, nec non judicium quod dicitur *Landgerichte* et compositiones et bannos et *marchfuter* et fodinas, quas monasterium idem jam habet aut habebit, per ratihabitionem confert.

(Edidit Chrysost. Hanthaler, *Fasti Campililienses,* tom. I, decas II, § III, p. 683-685, ex autographo in arch. monast. (Lintz, 1747).)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Sicilie, omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Bone rei date consultum ut presentis vite conferatur subsidium, ubi eterne remunerationis premium expectatur; et ideo ecclesiasticis personis, maxime religiosam vitam eligentibus, congrua oportet nos consideratione prospicere, ne cujusdam necessitatis occasio aut desides faciat aut, quod absit, robur sancte conversationis infringat. Nos ergo sanctam et laudabilem intentionem devotissimi principis nostri et consanguinei Liupoldi ducis Austrie et Stirie diligencius adtendentes, eo quod pro remedio anime sue et progenitorum suorum, ad ampliandum cultum Dei, novam quamdam fabricam in domum et ecclesiam Dei, in nomine sancte et individue Trinitatis et in honore beate et gloriose Virginis Marie, in Lilienvelt erexit de novo penitus et fundavit (1) et de rebus suis tam mobilibus quam immobilibus per

---

(1) Charta fundationis Liupoldi ducis in anno 1209, idibus aprilis, apud Niwenburch edita legitur *ibid.,* p. 591 et seqq.

Dei gratiam usque adeo ampliavit in expensis, quod in eadem domo non pauci inveniantur fratres Cisterciensis ordinis Domino jugiter et regulariter famulantes, factum suum in Domino commendamus. Religionem enim etsi in nobis forte prout vellemus non habemus, in aliis tamen habitam approbare volumus et fovere. Ne igitur propinquitati originis propter oblivionem hominum obsistat temporis longinquitas, prefatam domum cum omnibus suis attinentiis, possessionibus, familiis, villis, curiis, mansis, vineis, areis, pratis, pascuis, aquis, nemoribus, piscariis, cultis et incultis, et generaliter quecunque ex donatione prefati consanguinei nostri necnon omnium fidelium collatione predicte domui advenerunt, in nostre celsitudinis protectionem recipimus et pro reverentia beate Virginis Marie cui hec omnia sunt collata, autoritate regia confirmamus et presentis scripti munimine communimus. Volumus et[iam] ob amorem prefati consanguinei nostri quod si qua sunt que forte ad nostram spectant jurisdictionem, que tamen prefatus princeps donatione nostra et imperii tenuit ac tenet speciali, videlicet judicium quod dicitur Landgerichte et compositiones et bannos et Marchfuter et fodinas, si que jam habent vel sunt in posterum in possessionibus suis habituri, ut et nos orationum fratrum predicte domus esse participes mereamur, sicut ipse ea predicte domui rationabiliter contulit atque pie, ita et nos eidem domui ea per ratihabitionem regia auctoritate conferimus et inviolabiliter confirmamus. Statuentes ut si quis contra hanc donationem tam nostram quam dilecti consanguinei nostri ausu temerario venire presumpserit, indignationem nostram et legum censuram ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum debitam non evadat.

Hii sunt testes Otto Frisingensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Ludwicus palatinus Rheni et dux Bawarie, Dipoldus comes de Hohenburch, Rapoto palatinus Bawarie, Hainricus comes de Ortenberch, Egno comes de Ura[ch], Ulricus comes de Chlamme, Otto de Lengenpach Ratisponensis advocatus, Hainricus nobilis de Nifen, Chunradus nobilis de Alta, Marquardus de Himperch, Rudolfus de Potendorf, Leupoldus de Molansdorf, Hainricus de Zebingen, Hadmarus de Chunring, Chalchochus de Gnannendorf, Hainricus de Tribanswinchil, Hadmarus de

Wesen, Leutoldus de Saversteten, Otto de Eichenpach, et alii quamplures.

Datum Patavie, XVIII kalendas julii, anno Domini M. CC. XVII, indictione quinta.

Apud Pataviam, 15 junii.

Otto Bambergensis episcopus notam facit sententiam a rege Friderico secundo editam, qua ille capitulo majoris ecclesiae Salzburgensis, ad preces Alberti custodis ejusdem ecclesiae et praepositi de Wiarn, capituli nuntiorum, licentiam concedit ut in praedio quod habet capitulum in Lungov liceat ei forum construere.

(Memorat. ap. VON MEILLER, *Regest. zur Gesch. der Herzoge Oesterr.*, p. 121, n° 148, ex originali in archivo Vindobonensi, unde sigillum episcopi appendet.)

Acta sunt hec in presentia ipsius domini regis et nostri et aliorum qui subnotati sunt : Ludewici ducis Bawarie, Liupoldi ducis Austrie, Chunradi Ratisponensis episcopi, Ulrici Pataviensis episcopi, Rapotonis palatini comitis et fratris ejus Henrici comitis, Eginonis comitis de Ura, Bertholdi comitis de Graifesbach, Diepoldi marchionis de Voheburch, Kadelhohi comitis de Kirchperch, Chunradi comitis de Horbach, Gebehardi comitis de Hirzperch, Meinharti comitis de Rotenekke, Heinrici Tolnzenäre, Ottonis de Rore et fratris ejus, Ottonis de Werde, Chunradi de Werde, Heinrici de Steine, Heinrici de Niphe, Ulrici comitis de Velburch, Chunradi comitis de Wazzerburch.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. XVII°, XVII kalendas julii, apud Pataviam, indictione V.

In coenobio Kaisheim, [circa junium.]

Fridericus, Romanorum rex, procuratori suo in Werda interdicit, ne de domibus coenobii Keisheim, sitis in Werda, tributum seu alias exactiones, quas illi rex remisit, efflagitet.

(Editum ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 62-63, n° DCXXX, ex originali. Sigillum quod appendebat periit; remansit tamen pars filorum sericorum caerulei coloris disruptorum, membranae innexa.)

F., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, rex Sicilie, fideli procuratori suo in Werde (1) gratiam suam et omne bonum. Quia ad honorem Dei et sancte Genitricis sue, C. venerabili abbati et conventui in Keisheim tributum quod a domibus suis sitis in Werde hactenus exigebatur, regia clementia remisimus, idcirco fidelitati tue sub obtentu gratie nostre districte precipimus quatenus prenominatum tributum seu alias exactiones que de consuetudine civilis juris exigi solent, de cetero nullatenus exigas, ne regie majestatis offensam incurras.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XVIII°, indictione V^a (2), apud capellam sancti Johannis ewangeliste et sancti Nyckolai confessoris in cenobio Kaisheim.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam Beronensem (Bernmunster) in episcopatu Constantiensi sub speciali protectione sua recipit, decernitque ut bona ejus nullo modo possint ab imperio alienari. Apud Ezzelingen, julio.

(Edid. Hergott, *Genealog. Habsburg*, t. II, p. 226, n° CCLXXIV.)

Fridericus II, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris quod nos de solita gratia et consueta benignitatis nostre clementia

---

(1) Hic agitur de Werda super Danubium (*Donauwerth*).

(2) Cum in numero anni macula sit cum correctura, coaeva tamen, ut editores *Monum. Boic.* fatentur *ibid.*, not. *b*), indictio contra distinctissime sit scripta, indictioni majorem fidem adhibemus; et cum Fridericus rex mense junio hujus anni in Bawaria circa partes Werdae, ubi monasterium Keisheim sive Kaisersheim situm erat, moratus fuerit, mandatum ad id tempus duximus reponendum.

ecclesiam Beronensem sitam in episcopatu Constantiensi sub nostra speciali protectione et defensione recipimus, tam clerum quam ceteros homines suos nec non omnes possessiones et jura ad eamdem ecclesiam pertinentia. Confirmantes eidem omnes bonos usus et bonas consuetudines quibus olim, tempore imperatoris Friderici avi nostri et domini imperatoris Heinrici patris nostri felicis memorie et aliorum predecessorum nostrorum imperatorum et regum, uti consuevit. Insuper advocatiam predicte ecclesie ad manus nostras recipimus ut nulli de cetero nisi nobis teneatur de advocatia respondere; decernentes ut bona ejusdem ecclesie nulla necessitate cogente vel incumbente possint ab imperio ullo modo alienari. Mandamus igitur firmiter statuentes ut nullus amodo prefatum locum de predictis omnibus offendere vel molestare presumat. Ad cujus nostre protectionis et confirmationis memoriam et inviolabile firmamentum, presens scriptum fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Datum apud Ezzelingen, anno dominice incarnationis M. CC. XVII, mense julii, indictione V.

Apud Confluentiam, 17 julii.

Fridericus, Romanorum rex, abbati et conventui de Heisterbach licentiam indulget deducendi navem oneratam quoties voluerint apud Werdam, descendendo per alveum Reni et ascendendo, sine aliqua exactione thelonei vel impedimento.

(Edidit Lacomblet, *Urkundenbuch für die gesch. des Niederrheins*, zw. Band, p. 28, n° 50.)

Fr[idericus], Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, fidelibus suis castrensibus pro tempore apud Werdam constitutis et universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis quod nos dilectis fratribus nostris abbati et conventui de Heisterbach, pro salute nostra et remedio anime nostre, licentiam de-

dimus et indulsimus deducendi navem suam quociens voluerint oneratam cum vino suo proprio et aliis rebus ipsorum apud Werdam; ita quod de ipsa navi et omnibus rebus in ea positis ad vitam et necessitatem fratrum pertinentibus, descendendo per alveum Reni et ascendendo, nullum penitus ex parte nostra vel alterius alicujus persone theloneum requiratur, sed ab omni exactione et inpedimento libera sit et immunis. Quapropter mandamus sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nulli unquam hominum liceat eandem navim detinere vel apud predictum castrum nostrum alicujus thelonei seu etiam alterius servicii exactione molestare; quod qui fecerit iram et offensam regie eminentie se non dubitet graviter incursurum.

Datum apud Confluentiam, XVI kalendas augusti, indictione V (1).

Fridericus, Romanorum rex, ad conquestionem Werneri praepositi in Selbold, parrochialem ecclesiam in Grinda a Gisla comitissa ecclesiae Selboldensi collatam et postea distractam, consentiente nobili viro Gerlaco de Budingen, eidem ecclesiae restituit, donat et denuo confirmat. In Volda, 15 augusti.

(Edider. Wenck, *Hessische Landesgesch.*, urkundenb. II, 135. — Wurdtwein, *Dioec. Magunt. in archid. distincta*, t. III, p. 162, nº CXIII. Quum adsint duo hujus concessionis exemplaria, verbis sed non rebus dissimilia, copiam a Wenckio editam, integriorem prorsus et posterioris ut videtur formulae, nos quoque elegimus.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit salutem in Eo qui

---

(1) Nihil est unde aliquid dubii de notis chronologicis oriatur, licet Lacomblet hoc ad ann. 1215 reponat, sub hac tantum causa quod rex Fridericus apud Confluentiam mense julii anni 1217 versari non potuerit, et *verisimiliter* per Confluentiam transierit in 1215, cum Aquisgranum iret coronandus. Id autem nullo justo fundamento nititur.

est omnium Salvator. Quoniam propter defectum nostri temporis, malitia hominum faciente, ea que geruntur non solum in oblivionem veniunt, immo et contradictionem tanquam non gesta sentiunt, nisi scriptura fuerint memorie commendata; nos tam presentis quam future etatis hominibus presenti scripto duximus intimandum quod Wernerus prepositus in Selbold nobis conquirendo monstravit quia cum felicis memorie nobilis femina Gisla comitissa parochialem ecclesiam in Grinda in sua proprietate sitam conventuali ecclesie in Selbold ad supplementum stipendiorum fratrum ibidem famulantium, quantum in ipsa erat, libere ac solemniter contulisset, eamque ipsa conventualis ecclesia quiete ac pacifice longo tempore possedisset, tandem quod nostri predecessores nominatim expressi, in hereditatem memorate femine succedentes, dictam parrochialem ecclesiam in prejudicium conventualis ecclesie, forsitan circumventi, quibusdam clericis secularibus contulerunt; super quibus omnibus per testes omni exceptione majores idem prepositus sufficientes probationes exhibuit coram nobis. Nos ergo videntes ipsam ecclesiam per juris injuriam in hoc graviter lesam fuisse, consentiente dilecto nostro fideli Gerlaco de Budingen (1), qui se tertiam partem patronatus ejusdem parrochialis ecclesie in feudo a nobis approbat habere, memorate conventuali ecclesie jus suum, quo spoliata fuit injuste, recognovimus justitia

---

(1) Instrumentum a Gerlaco de Budingen de hac cessione confectum hic addimus, unde patet regem apud Gelnhausen antea fuisse moratum. « Gerlacus de Budingen universis ad quos hoc » scriptum pervenerit, cum salute dilectionem in Domino. Quoniam nihil mutabilius humano » animo intelligimus, ea que diutina memoria teneri cupimus, scripturarum testimonio posteris » propagare necessarium judicamus. Noverint ergo tam heredes nostri quam ministeriales et » universi Christi fideles quod, dum prepositus de Selbold coram rege apud Geilnhusen consti- » tuto exspoliationem suam pro eo quod ecclesia in Grinda irrationabiliter ab ecclesia Selbol- » densi alienata fuerat, per testimonium ministerialium regis et vicinie manifeste comprobaret, » idem dominus rex recognoscens justitiam prepositi, ecclesiam in Grinda eidem preposito et » sue ecclesie regia liberalitate redonavit. Nos quoque quidquid juris in prefata ecclesia habui- » mus, tertiam partem concessionis videlicet, divine remunerationis intuitu, ob salutem anime » nostre et uxoris nostre et heredum, Selboldensi ecclesie recognovimus et donationem do- » mini regis ratam habentes, prepositum cum sua ecclesia consilio pariter et auxilio pro posse » promovimus, etc. Anno MCCXVII. » Ap. Wurdtwein, *Dioeces. Mag. in archid. dist.*, t. III, p. 163, n° CXIV.

exigente; in possessionem quoque ipsius nostra authoritate eamdem induci fecimus, quatenus post obitum Wigandi, qui nunc in eadem ecclesia est institutus, libere in antea uti valeat jure suo, instituendo ibi canonicum de suo collegio vel alium (*a*) qui ipsi ecclesie preesse valeat et prodesse; proventibus ipsius ecclesie partim ipsi instituto, partim conventuali ecclesie, prout expediens fuerit, applicandis. In cujus rei evidentiam, presentem paginam conscribi et sigilli nostri impressione fecimus communiri.

Testes autem hi sunt : Ludovicus dux Bavarie, Adolfus comes de Scauenburg, Burcardus comes de Luterberg, Gerlacus de Budingen, Philippus de Bonlant, Conradus de Ysenbach, Sifridus miles de Selboldt, Henricus miles de Selboldt, Sigenandus centgravius, Henricus Dene, Ruekerus centgravius, Gozimus prior in Mirolda, Gerlacus plebanus in Geilnhusen, et frater Albertus (*b*) de Mirolda, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno incarnationis Domini M. CC. decimo septimo, indictione quinta, epacta XI, concurrente VI.

Data in Volda (1), XVIII kalendas septembris.

(*a*) *Praecipuum variantem locum ex altero privilegio nunc addimus :* Inde est quod ecclesie congregationis canonice in Selbold ab antecessoribus nostris regibus et imperatoribus fundate et confirmate curam gerentes, ecclesiam in Grunda quam Selboldensis ecclesie prepositus in presentia nostra a comitissa Gisla, cujus jus patronatus et fundationis fuerat, suam ecclesiam totaliter, id est cum jure fundationis et patronatus, recepisse et diu possedisse ostendit, et postmodum coram nobis injuste spoliatam idoneis testibus comprobavit, et quia ad quorumdam persuasionem regiam majestatem circumvenientium in prejudicium ipsorum alteri collata fuerat, memoratam ecclesiam, consentiente Gerlaco de Budingen nobili viro, qui tertiam partem concessionis a nobis se tenere profitetur, eidem preposito et sue ecclesie. . . . . . contulimus perpetuo, in augmentum prebendarum suarum possidendam, ut jure fundationis et patronatus habito sue congregationis canonicum sive alium sicut prius instituant, etc.

(*b*) Ap. Wurdtwein *Albero.*

---

(1) Scilicet *Fulda;* quod itineri Friderici de partibus Rheni ad Saxoniam vergentis apprime convenit.

In Saxoniam, [septembri, octobri.]

Fridericus, rex Romanorum, coadunato exercitu suo Saxoniam ingreditur. Ottonem (1) infra Brunswik arctatum claudit, terram devastat et incendit; principes et potentes ei reconciliantur, et sic in Alemanniam revertitur. Rein. Leodiens. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 385.

Apud Altenburg, 8 novembris.

Fridericus, Romanorum rex, ratam habet donationem ab Alberto burgravio in Altenburg fratribus Sanctae Mariae [Theutonicorum] ejusdem civitatis factam, de quatuor mansis et octo agris lignorum in villa quae Stenvitz dicitur.

(Edid. Schumacher, *Beitrag. zur Deutsch. Reichshist.*, n° 4, p. 86. — Memorat. ap. Schultes, *Direct. diplom.*, zw. Band, IV, 523.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Universalis ecclesie gratia nos efficacius adjuvari confidimus, si ipsam in membris ejus decenter extollimus et beneficiorum largitione ecclesiarum dotem adaugemus. Quapropter in notitiam tam future quam presentis etatis devenire cupimus quod fidelis noster Albertus burcgravius in Aldenburc quatuor mansos et octo agros lignorum in villa que Stenvitz dicitur ecclesie Sancte Marie in Aldenburc contulit, ut ejusdem loci prepositus et fratres inibi Deo noctu dieque deservientes perpetuo ad usus necessa-

(1) Hoc anno cum Bremenses Gerardum archiepiscopum a Sede Apostolica confirmatum in civitatem suam introduxissent, Otto imperator cum fratre suo Henrico duce Brunswicensi Bremensem provinciam diruit et incendit. Cui obviare properavit Fridericus. Cf. Alb. Stadens., *Chronic. ad ann.*, p. 204.

rios subleventur auxilio. Verum cum eadem donatio rata non potuerit haberi nisi accedente consensu nostro, ipsam largitionem ratam habemus et predictos quatuor mansos cum agris lignorum Virgini Beate Marie et fratribus Deo illic famulantibus in perpetuum pro salute nostra deservituros donamus. Et paginam presentem conscribi jussimus et bulla majestatis nostre corroboramus, statuentes et regio edicto firmiter precipientes ut nullus unquam donationem predictam temeritatis ausu presumat infringere. Si autem aliquis in bonis predictis prepositum vel aliquem fratrum predicte ecclesie Beate Marie molestaverit vel violentiam intulerit, in sue presumptionis penam sexaginta libras auri componat, quarum medietas fisco regali, reliqua vero pars passis injuriam persolvatur.

Hujus rei testes sunt : Albertus archiepiscopus Magdeburgensis, Otto episcopus Erbipolensis, Cunradus episcopus et monachus in Sichem (1), Otto major prepositus in Magdeburc, Ludewicus dux Bavarie et palatinus Reni, Theodoricus marchio Misnensis, Ludewicus landgravius Thuringie, marchio de Baden, Guntzelinus de Crozue, Richardus camerarius, marscalcus Anselmus de Justingen, Dito de Rabinburc camerarius, Sefridus de Haginowe marscalcus, Heinricus de Coldiz, duo fratres de Wida, Heinricus de Crimaschow judex, Fridericus de Groitz, Hermannus de Scovinburc, Bernhardus de Steinwitz, Hugo de Cirbes.

Datum apud Altenburc, anno Domini M. CC. XVII, sexto idus novembris, indictione VI.

Fridericus, Romanorum rex, decano et canonicis Misnensibus mandat ut magistrum Nicolaum, domini papae subdiaconum et canonicum ejusdem ecclesiae, quamdiu in servitiis suis fuerit absens, tanquam praesentem reputent.

Apud Altenburg, 17 novembris.

---

(1) Scilicet quondam episcopus Halberstadtensis, tunc in Sichem religiosam vitam agens.

(Edid. G. CHRIST. KREYSIG, *Beitrage zur Histor. derer chur und fürstlichen sächsischen Lande*, t. II, p. 5, nº III. — Altenburg, 1755, in-12.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, dilectis et fidelibus suis preposito, decano, aliisque canonicis Misnensibus gratiam suam et omne bonum. Devotionis et fidelitatis obsequia que dilectus noster magister Nicolaus, domini pape subdiaconus et vester canonicus, nostre serenitati exhibuit attendentes, ipsum in familiaritatem nostram plenarie recepimus et cum modis omnibus secundum ipsius honestatem intendimus honorare. Unde quia ipsum pro nostrorum promotione negotiorum plurimum habemus necessarium, rogamus dilectionem vestram ut cum quandiu fuerit nobiscum, ipsum absentem tanquam presentem reputetis, cum regalis sit juris unum de qualibet ecclesia cathedrali ad nostra obsequia posse assumere. Scituri quod ecclesiam vestram ipsius servicii et dilectionis intuitu efficaciter intendimus defendere et ad majora pro posse defendere.

Datum apud Aldinberc, XV kalendas decembris, indictione VI.

Apud Nuremberg, 23 decembris.

Fridericus, Romanorum rex, Bertholdo electo Brixinensi ejusque ecclesiae concedit omnes argentifodinas omnesque venas metallorum et salis, quae in ejus episcopatu poterunt reperiri.

(Editum in HUND, *Metropol. Salisb.*, t. I, p. 476. — LÜNIG, *Spicileg. eccles.*, II Theil, sive operis tom. XVII, 149, num. 9. — *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 61-62, num. DCXXIX, ex copia authentica.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regalis excellentie decet dignitatem et per hoc laudis titulo merito sublimatur, cum fidelium et subjectorum suorum devotionem attendit et eorum servicia dignis retributionibus reconpensat. Attendentes igitur tam devota quam fidelia que nobis dilectus fidelis et princeps noster Berhtoldus electus Brixinensis et nostris progenitoribus obsequia

exhibere semper curavit et in posterum de bono in melius poterit exhibere, volentes ipsius serviciis respondere pro meritis, de innata nobis liberalitatis gratia, sibi suisque successoribus in ecclesia Brixinensi concedimus et donamus in perpetuum omnes argentifodinas omnesque venas metallorum et salis que in suo sunt episcopatu et de cetero possunt reperiri, cum omnibus justiciis et pertinentiis suis possidendas et tenendas. Ad hujus autem nostre concessionis memoriam et perpetuam firmitatem, presentis pagine scriptum nostri sigilli munimine fecimus communiri; statuentes et sub interminatione gratie nostre precipientes ne aliqua unquam persona humilis vel alta hanc nostre concessionis gratiam aliquo modo audeat vel debeat infringere seu attemptare. Quicunque autem hujus nostre concessionis et donationis statutum et paginam infringere vel aliquo tempore attemptare presumpserit, noverit se majestatis nostre offensam graviter incurrisse.

Testes hujus rei sunt : Fridericus episcopus Tridentinus, Ludevicus dux Bawarie, Hermannus marchio de Baden, comes Eberhardus de Helfenstein, comes Egino de Vrach, Heinricus et Albertus fratres de Niffen, Albero et Berhtoldus fratres de Wange, Anshalmus de Justingin imperialis aule marschalcus, Eberhardus dapifer de Tanne, Dieto camerarius de Ravensberc, Jacko de Triwesheim.

Actum est hoc anno dominice incarnationis (1) millesimo CC. XVIII.

Datum apud Nuorenberc, IIII kalendas januarii, indictione VI.

Fridericus, Romanorum rex, Bertholdo electo Brixinensi ejusque ecclesiae donat medietatem puerorum Gebhardi de Starchenberg et omnes pueros Rudigeri de Materay. Apud Nuremberg, 29 decembris.

---

(1) Licet annus Incarnationis exprimatur, non dubitandum, praesertim ex indictionis graecae numero, quin in hoc instrumento anno Nativitatis in 25 decembris incipiente notarius imperialis usus fuerit.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 91, n° 213, ex copia sibi a Pertz communicata.)

Actum est hoc anno dominice incarnationis M. CC. XVIII.
Datum apud Nuoremberc, IIII kalendas januarii, indictione VI.

Apud Nuremberg, decembri.

Fridericus, Romanorum rex, coenobio Steingadensi ecclesiam in Schardis cum omnibus ad eamdem pertinentibus donat.

(Edit. ap. *Monum. Boica,* tom. VI, p. 508, n° 22; collat. cum originali unde sigillum nonnihil laesum appendet ex duplici funiculo, ex filis sericis rubri et albi coloris contexto.—Huic adjacent duae copiae antiquitus vidimatae inter annos 1251-1260 : prima ab Heinrico (IV) episcopo Curiensi, altera a Chunrado (I) praeposito de Raitenbuch et Cunrado milite de Swanegowe, deperditis tamen quae appendebant sigillis.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera caritatis opera que divine pietatis intuitu pia consideratione largimur, illud Deo credimus gratius residere quod ecclesiis et locis venerabilibus de mera liberalitate donamus. Hac itaque consideratione inducti, attendentes quoque religionem et honestatem prepositi et conventus monasterii Sancti Johannis in Staingaden, ut Deus nobis vitam augeat et salutem, necnon et pro remedio peccatorum felicium augustorum progenitorum nostrorum, de gratia munificentie nostre damus eidem monasterio et conventui Deo illic famulanti ecclesiam de Schardis, cum dote et mancipiis utriusque sexus et ad eandem ceteris omnibus pertinentibus. Abrenunciantes nos pro nobis et heredibus nostris omni juri et actioni que visi sumus hactenus in eadem ecclesia habuisse. Statuimus igitur et presentis scripti auctoritate sancimus ut nullus omnino hominum et heredum nostrorum a nobis descendentium in eadem ecclesia possit vel debeat advocatiam habere; mandantes firmiter ut nullus sit qui contra hanc concessionem et donationem nostram dictum mona-

sterium impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit, quinquaginta libras puri auri fisco regio componat et tantumdem dicto monasterio persolvat; insuper indignationem Dei omnipotentis et nostram se noverit incurrisse. Ut autem hec nostra donatio et concessio rata et inviolabilis perpetuo perseveret, presens privilegium inde fieri fecimus sigillo celsitudinis nostre roboratum.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Augustensis episcopus, Fridericus Tridentinus episcopus, Bertholdus Brixinensis electus, Lodvicus palatinus comes [Reni] dux Bawarie, Hermannus marchio de Baden, Rapoto palatinus de Ortenberc, Heinricus marchio de Burgov, Harmannus comes de Dilingen, Anshelmus imperii marescalcus, et alii quamplures.

Datum apud Nuremberc, anno dominice incarnationis millesimo [ducentesimo] octavo decimo, mense decembris, indictione sexta (1).

ANNO 1218. — INDICTIONE 6.

Fridericus, Romanorum rex, Hermanno et fratribus domus hospitalis Theutonicorum privilegium antea a seipso eis indultum renovat, scilicet de donatione CL unciarum auri in proventibus siclae, doanae et aliorum reddituum civitatis Brundusii singulis annis percipiendarum, in excambium cujusdam tenimenti quod ab hospitali ipso in Alemannia recepit. Wimpinae, 3 januarii.

---

(1) Licet in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 77, hoc documentum ad ann. 1218 reponatur, nil obstat quin ad ann. 1217 exeunte decembri ut praecedens collocemus; praesertim cum Bertholdus qui eodem anno 1217 Chunrado defuncto in sede Brixinensi successit, nunc sicut supra *electus* tantum dicatur, dum *episcopus* anno sequenti plane nominetur.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 91, n° 215, ex copia ipsi a Pertz communicata. — De verbo ad verbum renovatum videtur ex altero privilegio dato apud Nuremberg, decembri 1216, nisi quod notae chronologicae variae sunt et unum additur comma, ut sequitur):

. . . Concedimus et donamus, accedente consensu et bona voluntate charissime uxoris nostre regnique consortis Constantie ac dilectissimi filii nostri Henrici (1), etc.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Berardus Panormitanus archiepiscopus, Raynaldus Gentilis Capuanus archiepiscopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Ludewicus dux Bawarie et palatinus comes Rheni, Otto dux Meranie, Bernhardus dux Carinthie, Willelmus marchio Montisferrati, Willelmus Porcus ammiratus regni, Hermannus marchio de Baden, Anselmus marescalcus de Justingen, Waltherus pincerna de Schipf, Ulricus de Minzenberc, Philippus de Bolanden, Riccardus camerarius, et alii quamplures (2).

Signum, etc. *Ut in altero.*

Ego Conradus Metensis, etc.

Acta sunt hec anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo octavo decimo, regnante invictissimo domino nostro Friderico secundo, divina favente clementia Romanorum rege augusto et glorioso rege Sicilie, feliciter. Amen. Anno Romani regni ejus sexto, Sicilie vero nono decimo (*a*).

Datum Wimpine, III nonas januarii, indictione VI.

(*a*) Recte vero legendum *vicesimo* pro *nonodecimo.*

---

(1) Haec additur clausula, quia concessio ad regnum Siciliae pertineat. Attamen notandum est quod nec ibi nec infra Fridericus filium suum regem Siciliae sicut hactenus intitulet, licet multa papae promiserit de separandis imperio et regno. Vid. p. 470, not. 1.

(2) Testes iidem sunt qui supra p. 489, nisi quod desunt *Eckibertus Babinbergensis episcopus* et *Liupoldus dux Austriae*, dum contra addatur *Riccardus camerarius*. Episcopus enim et dux tunc temporis in Terra Sancta apud Accon agebant. Horum vero socius et comes Otto dux Meraniae inter testes nihilominus nominatur.

Fridericus, Romanorum rex, privilegium antea a seipso domui hospitalis Theutonicorum indultum renovat, scilicet de donatione ducentarum unciarum auri pro mantellis et agninis pennis ad usus hiemales. Wimpinae, 3 januarii.

(Inedit. ex copia authentica in archivo Stuttgartensi. Quod denuo exhibendum non duximus, quum de verbo ad verbum prius documentum referatur (vid. supra, p. 510), nisi quod notae chronologicae variae sunt et unum additur comma, ut sequitur :)

. . . . . Primo solvendis, accedente consensu et bona voluntate charissime uxoris nostre regnique consortis Constantie ac dilectissimi filii nostri Henrici, prefate, etc.

Hujus rei testes sunt : Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, etc. . . . . Marquardus scriba, et alii quamplures (1).

Signum, etc. *Ut in altero.*

Ego Conradus Metensis, etc.

Acta sunt hec anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo octavo decimo, regnante invictissimo domino nostro Friderico secundo, divina favente clementia Romanorum rege augusto et glorioso rege Sicilie, feliciter. Amen. Anno Romani regni ejus sexto, Sicilie vero nono decimo.

Datum Wimpine, III nonas januarii, indictione VI[a].

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Omnium Sanctorum situm in Nigra silva prope aquam quae dicitur Nortwasser, a duce Haguenau, januario.

---

(1) Notandum quod in isto testes sunt iidem ac in diplomate dato Augustae, 25 maii 1217. Cum autem in praecedente documento testes diversi appareant, arbitrari licet in uno et in altero notarium nomina testium in privilegiis prioribus expressorum rescripsisse, parum curantem utrum hi vel illi in curia regali tunc morati fuerint an non.

Welfone et uxore ejus Uda fundatum, in speciali protectione sua recipit, juraque, possessiones et exemptiones confirmat.

(Edider. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 332, n° CCCCV, ex autogr. Schauenburg. — HUGO, *Annal. Praemonstr.*, t. II, p. 279.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera charitatis opera que divine pietatis intuitu pia consideratione largimur, illud Deo gratius credimus residere quod ecclesiis Dei et locis venerabilibus de mera liberalitate donamus. Hac ergo ducti consideratione laudabili, diligenter attendentes honestatem et religionem fratris Waltheri venerabilis prepositi [monasterii] Omnium Sanctorum, quod est situm in Nigra silva prope aquam que dicitur Nortwasser, quod pie memorie dux Welfo et uxor ejus Uda fundavere et bonis propriis dotaverunt, monasterium ipsum, fratres, possessiones et omnia bona sua in speciali protectione et defensione nostra recipimus; corroborantes et in perpetuum confirmantes eidem jus patronatus in ecclesia Nutzbac cum mancipiis utriusque sexus et dote omnibusque aliis bonis pertinentibus ad eamdem et hospitale Sanctorum Jacobi et Johannis prope Urlufheim necnon et hospitale Sanctorum Simonis et Jude in loco Karnistrus cum omnibus justitiis et rationibus suis. De majori quoque abundantia munificentie nostre concedimus et in perpetuum indulgemus eidem monasterio quod nulla omnino persona nomine advocati vel sculteti aliquod munus vel obsequium ab eo vel hominibus suis exigat vel requirat, sed quicquid servitii aut beneficii fecerit pro Deo et caritative impendat. Insuper autem dicto monasterio confirmamus perpetuo omnia que nunc juste tenet et in antea justo titulo poterit adipisci, sicut ea omnia imperator Henricus felicis memorie pater noster et pie recordationis rex Philippus patruus noster dicto monasterio concessisse et confirmasse noscuntur. Ut autem hec rata et firma perpetuo maneant, presens privilegium inde fieri fecimus sigillo nostri culminis roboratum.

Hujus rei testes sunt : Hermannus marchio de Baden, comes Sibertus de Werda (1), Everardus de Eberstein, Anselmus marescalcus de Jus-

(1) Scilicet *Woerth-sur-Sauer* (*Bas-Rhin*).

tingen, Wernerus dapifer de Bonlandia et Philippus frater ejus, Henricus magister coquine de Rotenburg, et alii quamplures.

Datum apud Hagenau, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo octavo decimo, mense januario, indictione sexta.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio de Ponteregis (Konigsbruck) concedit et confirmat curiam de Rotbach, idemque pro ea ab omni decima vel servitio eximit. [Haguenau], januario.

(Edid. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 333, n° CCCCVI.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos, divine pietatis intuitu et de nostre munificentia majestatis, concedimus et confirmamus sacro monasterio de Ponteregis et monialibus ibidem Deo servientibus curiam de Rotbach cum nemoribus et omnibus aliis justis tenimentis et pertinentiis suis. De abundantiori quoque munificentia nostra et pro remedio animarum felicium augustorum parentum nostrorum recolende memorie et pro salute nostra, statuimus et presentis scripti auctoritate mandamus ut idem monasterium tam de animalibus suis quam de terris jam excultis vel in antea excolendis nullam decimam vel aliud servitium alicui tribuat vel exsolvat, sed sit jam dicta curia de omni decima et servitio libera et penitus absoluta. Mandamus igitur ut nullus sit qui predictum monasterium contra concessionem et confirmationem nostram impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostram cum rerum et persone periculo se noverit incursurum. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens scriptum fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt : H. marchio de Baden, Anselmus marscalcus de Justingen, Riccardus privatus camerarius, Heinricus magister coquine, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XVIII, mense januario, indictione sexta (1).

[Haguenau], februario.

Fridericus, Romanorum rex, fratres hospitalis apud Hagenowe a praedecessoribus suis fundati de ordine Praemonstratensi sub sua speciali protectione recipit, omniaque bona eorum tam a Friderico avo suo, Henrico patre suo, Philippo patruo suo quam a privatis collata, nominatim recenset et confirmat.

(Inedit. ex archivo praefectur. Strasburgensis, *Titres de l'hôpit. de Haguenau;* inclus. in diplom. originali regis Romanorum Alberti, dato ap. Selz, 18 kal. maii 1299, indict. XII.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sycilie. Etsi omnia caduca sint hominum et temporum diuturnitate labantur, sunt tamen ex hominibus aliqua perpetue stabilitati connexa, illa videlicet que divinis addita cultibus hereditatis Dei funiculum inter homines ampliant, tunc precipue cum loca venerabilia in quibus placens Deo militia militat regalis protectionis favore muniunt et eis monimenta que vetustas non diluit votive libertatis indulgent. Inde est itaque quod nos attendentes celebem vitam et pie religionis ordinem in quo per hospitalitatis ac divi cultus observantiam in hospitali nostro apud Hagenowe per progenitores nostros fundato per fratres loci ipsius cottidie militat (*sic*) Jhesu Christo, illius intuitu qui dat salutem regibus et qui regalis nobis culminis tribuit dyadema, pro remedio quoque animarum divorum augustorum parentum et aliorum regum progenitorum nostrorum, hospitale ipsum cum omnibus possessionibus, hominibus, mancipiis utriusque sexus et aliis bonis suis sub speciali protectione et defensione nostra re-

---

(1) Deest in isto et in sequenti notatio loci. Non vero dubitandum quin de Hagenowia agatur.

cipimus; decernentes ut prepositus et fratres ipsius hospitalis, tam clerici quam laici, sint de ordine Premonstratensi, sicut a primordio fundatum extitit et statutum, nec liceat alicui ipsius hospitalis statum et ordinem ad alium commutare. De habundantiori quoque munificentie nostre gratia conferimus et perpetuo confirmamus eidem hospitali nostro omnia que tam ab imperatore Friderico avo nostro et patre nostro Heinrico quam et rege Philippo patruo nostro felicis memorie tradita sunt et indulta, et omnia que nunc juste tenent et que in antea poterint juste acquisitionis titulo adipisci. In primis si quidem damus et in perpetuum confirmamus eidem hospitali ecclesiam in Baldebrunnen cum dote, decima et omnibus aliis appendiciis suis, sicut eam karissimus genitor noster imperator Heinricus ei noscitur concessisse, in restaurum et recompensationem decimarum illarum que eidem hospitali ex prima institutione sua tempore prememorati avi nostri solvi solebant; ita tamen ut prepositus et fratres jamdicti hospitalis in ipsa ecclesia Baldebrunnen unum sacerdotem de fratribus suis locent vel alium ydoneum, prout eis visum fuerit ipsi hospitali expedire, cui ipsi in competentibus expensis provideant. Reliqui vero proventus illius ecclesie ad utilitatem cedant prefati hospitalis. Prepositus autem hospitalis ejusdem curam animarum jamdicte ecclesie ab eo recipiet a quo ab antiquo recipi consuevit. Confirmamus insuper eidem hospitali, sicut ei concessum et distinctum fuit a supradicto avo nostro imperatore Friderico augusto, totam illam plebem de burgo nostro Hagenowe que est citra aquam que dicitur Madra, in qua parte ipsum hospitale situm est, sicut jam multo tempore noscitur possedisse. Confirmamus etiam eidem hospitali omnia bona illa que possidet : videlicet molendinum quod est sub castro Hagenowe, duo molendina que dicuntur Rodemul, molendinum Swechus, molendinum in Winegersheim et bona in Walhen, que ipsis contulit Wicrammus et uxor ejus Eufemia, cum alio manso in eadem villa, bona quoque in Carichesheim, in Rumersheim, in Azenheim, in Lutrichswiler, in Buron, in Schiltolfesdorf, in Zuzendorf, in Hochvelden, in Obernhoven, in Onolfesheim, in Wipurch, in Sulnheim, in Roppenheim, molendinum apud Roppenheim et predium in Onolfesheim. Statuimus igitur et presentis privilegii auctoritate man-

damus ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, jamdictum hospitale contra hanc donacionem nostram et confirmacionem impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit centum marcas auri puri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec rata et firma perpetuo maneant, presens privilegium inde fieri fecimus sigillo nostri culminis roboratum.

Hujus rei testes sunt : comes Sigebertus de Werda, comes Heinricus de Geminoponte, comes Rudolfus de Habspurch, Hermannus marchio de Baden, Gerlacus de Butingen, Anshelmus marscalcus de Justingen, Wernherus dapifer de Bolandia et Philippus frater ejus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Dei gratia illustrissimi (*Monogramma*) Romanorum regis, semper augusti, et regis Sicilie.

Ego Chunradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° octavo decimo, mense februarii, indictione sexta, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia serenissimo Romanorum rege semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania sexto, et in Sicilia nono decimo, feliciter. Amen.

Haguenau, februario.

Fridericus, Romanorum rex, Simonem Luxoviensem abbatem in gratia sua recipit, investit regalibus, omnesque jubet ei obedientiam et reverentiam exhibere.

(Inedit. ex cod. cui titulus *Chartulaire de Luxeuil,* in Biblioth. Vesont., n° 41. Extat quoque ibidem in libro MSS. D. Grappini *de abbatia Luxoviensi.* Coll. cum copia altera, in collectione Droziana, *Abbay. de Franchecomté,* ap. Biblioth. reg. Paris.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus fidelibus suis conventui Luxoviensi (1) et hominibus abbatie gratiam suam et omne bonum. Quia vero testimonio litterarum vestrarum per fidelem nostrum Simonem abbatem vestrum nobis presentatas asserentes (*a*) eumdem juste et canonice electum, litteris vestris non immerito credentes, ipsum benigne in nostre defensionis gratiam recepimus et ad petitionem vestram cum regalibus investivimus. Volentes igitur ut ipse libera et quieta abbatie sue gaudeat possessione, inde est quod vobis universis districte precipimus ut in omnibus sibi tanquam vero prelato vestro debitam obedientiam et reverentiam exhibeatis, et omnes justitias quas sibi persolvere debetis persolvatis; adjuvantes eum ad omnia promovenda et expedienda que ad ipsius ecclesie conducant utilitatem et honorem.

Datum apud Haguenowe, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, mense februario.

Fridericus, Romanorum rex, abbatiam Lutrensem in archiepiscopatu Bisuntino sub protectione sua suscipit, et consuetudines quibus uti consuevit ei confirmat. Apud Brisacum, 16 martii.

(Edider. WURDTWEIN, *Nov. subsid. diplomat.*, t. XIII, p. 229, ex autogr. in abb. Lutrensi. — LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XIX, p. 971, cum hac nota : *XVII kal. aprilis :* quam potiorem credimus quam istam *VII kal april.* (26 april.), quae legitur in Wurdtwein. Coll. cum copia in collectione Droziana, ap. Bibl. reg. Paris., *Abbayes de Franchecomté*, t. VIII, fol. 345 verso.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie.

(*a*) Locus mutilus, nisi forsitan quaedam desint.

(1) Celeberrima scilicet abbatia *de Luxeu* sive *Luxeuil*, a Sancto Columbano in comitatu Burgundiae fundata.

Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos de solita gratia et consueta benignitatis nostre clementia, ecclesiam Lutrensem (1) sitam in archiepiscopatu Bisuntino sub nostra speciali protectione et defensione recipimus, tam monachos quam ceteros homines nec non omnes possessiones et jura ad eamdem ecclesiam pertinentia; confirmantes eidem omnes bonos usus et bonas consuetudines quibus olim tempore Friderici avi nostri et domini Henrici patris nostri felicis memorie et aliorum regum uti consuevit. Mandantes et firmiter statuentes ut nullus amodo prefatam ecclesiam de predictis omnibus offendere vel molestare presumat.

Datum apud Brisacum, anno dominice incarnationis M. CC. XVIII, XVII kalendas aprilis, indictione VI[a].

Apud Brisacum, 16 martii.

Fridericus, Romanorum rex, ad preces Libaldi de Bafroimont consanguinei sui castrum ejus de Bafroimont cum vasallis et hominibus in protectione sua recipit, eique confirmat bonos usus quibus uti consuevit tempore Hugonis et Libaldi de Bafroimont praedecessorum ejus.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, tom. I, p. 333, n° CCCCVIII ex authentico.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris quod nos de solita gratia et consueta benignitatis nostre clementia et ad preces dilecti consanguinei nostri Libaldi de Baffroimont (2), castrum suum de Baffroimont sub nostra speciali protectione et defensione recepimus, tam vasallos quam ceteros homines suos necnon omnes pos-

(1) Scilicet *Lure* in comitatu Burgundiae (*Haute-Saône*).

(2) Libaldus hic, in abbatia Morimontii cum Isabella conjuge sepultus, filium habuit Petrum qui Agnetem de Vergy in matrimonium duxit. Cf. SCHOEPFL., *nota* d, *ibid.*

sessiones et jura ad idem castrum pertinentia; confirmantes eidem Libaldo omnes bonos usus et bonas consuetudines quibus olim tempore Hugonis et Libaldi de Baffroimont et aliorum predecessorum suorum uti consuevit; mandantes et firmiter statuentes ut nullus amodo prefatum castrum de predictis omnibus offendere et molestare presumat. Ad cujus nostre protectionis et confirmationis memoriam et inviolabile firmamentum, presens scriptum fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum (*a*).

Data apud Brisacum, anno dominice incarnationis M. CC. XVIII, XVII kalendas aprilis, indictione VI.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium et ecclesiam in Turego Constantiensis dioecesis sub sua speciali protectione suscipit, omnes bonos usus confirmat et advocatiam ejusdem ad manus suas recipit. Apud Brisacum, 17 martii.

(Edit. ap. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, tom. I, p. 333, n° CCCCVII, ex autogr. eccles. colleg. Turic. — Tschudi, *Chronic. Helvet.*, t. I.— Hisely, *Les Waldstetten*, p. 141.— *Geschichte der abtei Zurich*, Beilage n° 59. — Memoratum ap. Ger. Meyer, *Archiv fur Schweizer. Gesch.*, regest. I, 87.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris quod nos de solita gratia et consueta benignitatis nostre clementia, monasterium et ecclesiam in Turego Constantiensis diocesis sub nostra speciali protectione et defensione recepimus, tam clerum quam ceteros homines suos necnon et omnes possessiones et jura ad easdem ecclesias pertinentia; confirmantes eisdem omnes bonos usus et bonas consuetudines quibus olim tempore predecessorum nostrorum imperatorum et regum uti consuevissent. Insuper etiam advocatiam tam monasterii quam ecclesie predicte ad manus nostras recepimus, ut nulli de

(*a*) In impresso minus correcte *roborantes*.

cetero nisi nobis teneantur de advocatia respondere; decernentes ut bona sua nulla necessitate incumbente possint ab imperio ullo modo alienari. Mandamus quoque firmiter statuentes ut nullus a modo prefata loca super predictis omnibus offendere vel molestare presumat. Ad cujus nostre protectionis et confirmationis memoriam ac inviolabile firmamentum, presens scriptum fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Datum apud Brisacum, anno dominice incarnationis M. CC. XVIII, XVI kalendas aprilis, indictione VI.

Apud Moguntiam, 27 martii.

Fridericus, Romanorum rex, fratribus claustri de Eberbach, propter dilectionem quam pater suus erga eorum ecclesiam habebat, concedit ut cum navibus ipsorum et rebus super Rhenum tam apud Boppardiam quam in aliis locis ubi sunt pedagia imperii, omni pedagio liberi esse debeant.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 92, n° 223, ex originali in Idstein.)

Datum apud Moguntiam per manum Cunradi Metensis et Spirensis episcopi, imperialis aule cancellarii, anno dominice incarnationis M. CC. XVIII, VI kalendas aprilis (1).

Martio-aprili.

Mense martii comes Henricus de Malta Januam venit in galea una et ivit per terram in Alamanniam ad regem Federicum, et chartas retulit ab eo praeceptorias quod Januenses in toto regno

---

(1) Adest alterum originale, plane quoque authenticum, ubi legitur *VI idus aprilis* (8 aprilis). Utri fides potius adhibenda sit nescimus. Renovatio videtur et amplificatio privilegii superius expressi, p. 268.

Siciliae franchi essent et nullum drictum nullamque exactionem dare tenerentur. Mense aprilis fuit armata galea una pro communi, quae ipsum ad Romanam curiam portavit, et inde in suo comitatu. OGER. PANIS, *Annal. Gen.* ap. MURATORI, *Script.*, t. VI, p. 412.

Fridericus, Romanorum rex, burgenses de Berno in suam et imperii defensionem recipit, eos absolvit ab omni servitii exactione, nisi a duodecim denariis annuatim pro qualibet area certi spatii persolvendis, eisque concedit et confirmat libertates quibus Bertholdus dux Zaringiae quum burgum de Berno construxit, sicut et Conradus dux Zaringiae quum Friburgum in Brisgau construxit, eos donavit. Apud Francfurt, 15 aprilis.

(Edider. SCHOEPFLIN, *Hist. Zaringo Badensis,* cod. diplom., t. IV, p. 146-148. — SCHREIBER, *Urkundenb. von Freiburg,* t. I, p. 26-42. — Extat in Biblioth. civit. Francofurti, ut monet Boehmerus, quoddam splendidum hujus privilegii *fac-simile,* lapide delineatum, quod artifex Matile ibidem dono dedit.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, dilectis devotis sculteto, consulibus et universis burgensibus de Berno in Burgundia gratiam suam et omne bonum. Quum Berchtoldus dux Zeringie burgum de Berno construxit cum omni libertate qua Conradus Friburgum in Brisgau construxit ac libertate donavit secundum jus Coloniensis civitatis, Heinrico imperatore confirmante et cunctis principibus corone Romani imperii qui aderant consentientibus, notum fieri volumus vobis et universis presentem paginam usque in evum inspecturis quod nos, auctoritate regie celsitudinis, ipsum burgum de Berno et universos burgenses ibidem nunc commorantes et postmodum illuc transmeantes in nostrum et imperii Romani dominium recepimus et defensionem, in perpetuum vos liberos facientes et posteros vestros et absolventes ab omni servitii exactione qua oppressi fuistis, nisi tamen a

censu domorum et arearum vestrarum, videlicet de qualibet area centum pedes in longitudine et sexaginta in latitudine habente, duodecim denarios usualis monete singulis annis de fundo imperii persolvendos; per cujus census solutionem vos et posteros vestros liberos esse volumus ab omni alia servitii exactione a nobis et a cunctis successoribus nostris vel nostris vicariis, et hanc libertatem et immunitatem vobis et posteris vestris potestate regia confirmamus. Demum omnia suprascripta jura et libertates necnon et illa omnia per que et in quibus Cunradus dux Zeringie Friburgum in Briscaugia construxit et libertate donavit secundum jus Coloniensis civitatis, juramento prestito cum duodecim nominatissimis ministerialibus suis super sancta sanctorum et insuper manu dextra sua data in manu liberi viri nomine juramenti, quod ipse et posteri sui ipsis semper eadem jura inviolabiliter observarent nec ulla ratione infringerent, nec non et illa jura et libertates que Berctoldus dux quondam (1) dominus vester dedit et confirmavit, et insuper omnia jura et libertates que in rodalibus vestris communi et sano consilio decreveritis apponenda, vobis et cunctis posteris vestris auctoritate regia concedimus et confirmamus, presentibus et annuentibus corone nostre principibus, videlicet Dei gratia Metensi et Spirensi episcopo cancellario nostro, eadem gratia Bambergensi episcopo, Lodevico de Oetingen, Gotfrido de Hochenlou, Anselmo de Justingen consiliario curie nostre, magistro Cunrado de Ulma notario nostro, Eberhardo de Winterstetten pincerna, Cunrado de Walpurch dapifero, ... de Papenheim marescallo nostro, et aliis quam multis principibus et fidelibus nostris, laudantibus et assensum prebentibus universis. Ut autem hec a posteris nostris rata et firma permaneant et in perpetuum illibata, presens instrumentum vobis et posteris vestris conscribi et dari fecimus et sigillo aureo nostre regie celsitudinis communiri (2).

---

(1) « Moritur dux Zeringiae Bertoldus, de cujus interitu et dampnatione multa referebantur auditu horribilia. » Alber. Triumfont., ad ann. 1218. Decessit autem die februarii octavo decimo (cf. Staelin, *Wirtemb. Gesch.*, t. II, p. 337); cujus mors, dum haeredes non relinqueret, varios in partibus Helveticis motus suscitavit.

(2) Licet a forma apud imperialem curiam tunc temporis usitata, hoc documentum in pluribus abhorreat, nihil est tamen unde in dubium revocari possit quin plane sit authenticum.

Datum apud Franckenfurth, anno gratie M. CC. XVIII, septimo decimo kalendas maii, sexte indictionis.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam Sancti Sepulchri in Spira in suam regalem suscipit protectionem, statuitque ut si quid contra eamdem vel pro ea natum fuerit quaestionis, ad majorem praepositum Spirensem corrigendum referatur. [circa aprilem.]

(Inedit. ex libro copiali in arch. Stuttgartensi. Ex formula initiali prorsus insolita et notarum chronologicarum truncatione, aliquid dubii de sinceritate hujus privilegii superest.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus in Christo fidelibus in perpetuum da pacem, Domine, in diebus nostris. Quoniam quidem in hujus pacis communem gratiam et plerumque in pacem ecclesiarum quamplures pacis inimici usque ad tempora ista propter varias tumultuationes terre debachari presumpserunt, duximus in hoc intendi honorem imperialem et nostre salutis proventum si contra, sicut tenemur, clipeum posuerimus defensionis. Inde est quod ad notitiam omnium tam presentium quam futurorum volumus pervenire quod nos ob reverentiam Salvatoris nostri, qui nobis per crucem sanctam contulit salutem Redemptionis, ipsius ecclesiam in Spira que vocatur ad Sanctum Sepulcrum, propter malorum hominum insultus et varias conquasationes, cum rebus omnibus et personis ibidem Deo famulantibus in nostram regalem suscepimus protectionem; sub gratia nostra firmiter inhibentes ne de cetero aliqua prorsus vel layca vel ecclesiastica persona (*a*) in prefatam ecclesiam quidquam duxerit presumendum aut in aliquo molestare. Quod si quis fecerit, nec aliter a gratia nostra se sciat exclusum nec aliter puniendum quam si in nostras res proprias

(*a*) In codice *forma*, male.

vel personas manus extenderit violentas; et si quid a prefata ecclesia violenter fuerit ablatum, volumus et precipimus sub gratia nostra ut in integrum restituatur. Statuimus quoque majorem prepositum Spirensem vice nostra prefate ecclesie gubernantem ut si quid contra eandem vel pro ea natum fuerit questionis, ad ipsum referatur corrigenda (*sic*). Ad hujus rei firmamentum, presentem cedulam conscribi et sigillo regio jussimus communiri.

Acta sunt hec anno M° CC° XVIII, indictione VI^a (1).

---

16 maii. Otto, imperator, ordinato testamento suo factaque confessione cum perceptione sanctae communionis et sacrae unctionis, cum magna contritione cordis in castro quod dicitur Harzberg idus maii (2) moritur. Corpus Bruniswich translatum et imperialibus indumentis et ornamentis indutum, juxta patrem suum et matrem in ecclesia Sancti Blasii sepelitur. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 354.

[maio.] Dux de Nancei Friderico regi cognato suo, pravo ductus consilio, rebellat (3). Quem Fridericus rex, fretus auxilio suorum et maxime

---

(1) Quum desit notatio loci et mensis, hoc documentum non sine quodam dubio reponimus ad tempus quo Fridericus anno 1218 circa partes Spirae melius versari potuerit.

(2) Scilicet 15 maii. Sed mors Ottonis ad festum Sanctae Pudentianae (19 maii) recte referenda est, sicut comperimus ex *Narratione de testamento et morte Ott. IV imper.* ap. MARTENE, *Thes.*, III, 1373. Cf. SCHEID, *Orig. Guelf.*, III, 840. ALB. STADENS., *Chron.* ad ann. 1218, p. 204, 205, ita dicit: « XIV kal. junii obiit, a Sefrido Hildensemense episcopo absolutus. »

(3) Licet Reinerus rem ad ann. 1217 memoret, minime dubitandum est quin ad ann. 1218, mense maio, pertineat. Nos monet Richerius Senonensis, post mortem Friderici ducis Lotha-

H. comitis de Bar et comitissae Campaniae, fortiter impugnat et castra ejus capit, villas succendit et devastat, ad ultimum ad deditionem compellit et secum in Alemanniam ducit. REIN. LEOD. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 385.

Fridericus, Romanorum rex, notificat concordiam in praesentia sua factam inter Blancam comitissam Trecensem et filium ejus ex una parte et Theobaldum ducem Lotharingiae ex altera, cum forma emendae ab eodem duce faciendae, si quid mali per eum aut per homines ejus eidem comitissae eveniat. Apud Esmanciam, 1° junii.

(Edidit NOEL, *Mémoires pour servir à l'hist. de Lorr.*, n° 6, p. 59-60, ex collect. Colbert., *des cinq cents* dicta, vol. 437. — Coll. cum codice Bibl. reg. Paris., *anc. fonds,* 5993, *Chartul. de Champ.,* aut coaetaneo aut certe seculi decimi tertii, fol. 174 recto-verso. Argutis potius quam validis fultus rationibus, editor (*ibid.*, p. 63-66) hoc documentum tanquam omnino falsum in dubium revocat, etiamque negat Fridericum Esmanciae obsidioni adfuisse. Cum non sit ibi longae dissertationi locus, dicere tantum licet, testante praeterea coaetaneo Richerio, nihil ex rerum serie Friderici in Lotharingiam adventui obstare, et documentum doctissimo viro Boehmerio, sicut et nobis, plane authenticum visum fuisse.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis salutem et omne bonum. Noverit universitas vestra quod super discordia que erat inter dilectos et fideles nostros B. comitissam Trecensem et Theobaldum filium ejus ex una parte et Th. ducem Lotharingie ex altera, in nostra presentia talis

---

ringiae (anno 1213), Fridericum regem villam Rodesheim (Rosheim) quam in pignore ei dederat (vid. supra, p. 222) abstulisse. Unde Theobaldus, ducis Lotharingiae filius et successor, ira motus, Rosheim armis occupavit et alia vice cum magno exercitu Alsatiam vastavit. Cf. D'ACHERY, *Spicileg.*, t. II, p. 629.

pax et concordia intervenit : videlicet quod dux Lotharingie rediit ad fidelitatem quam debebat dictis comitisse et filio ejus, de servicio scilicet et justicia que predecessores ducis Lotharingie comitibus Campanie debuerunt; etiam concessit et juravit quod nec per ipsum nec per homines suos qui sunt homines sui ligii aut alios dominos suos malum veniet comitisse vel filio ejus aut terre eorum, nec Erardum de Brena vel Philippam uxorem ejus (1) aut adjutores eorum juvabunt contra predictos comitissam et filium ejus vel adjutores eorum; quod si forte fieret, dux Lotharingie teneretur emendare et ab hominibus suis facere emendari, ad laudem et arbitrium Odonis ducis Burgundie et Johannis de Arceiis (2), infra quadraginta dies postquam esset super hoc requisitus. Si vero dux Burgundie decederet vel interesse non posset, Andreas de Espoissa (3) loco ejus interesset; similiter si Johannes de Arceiis decederet vel interesse non posset, comitissa vel filius ejus alium poneret loco illius quemcumque vellet. Et si forte illi duo concordare non possent, episcopus Claremontensis constitutus est medius, cujus arbitrio staretur sine contradictione de predicta emenda facienda. Idem etiam episcopus alium poneret loco dicti Andree quemcumque vellet, si Andreas decederet vel interesse non posset. Pro hiis autem conventionibus sic tenendis, posuit dux Lotharingie in manu comitisse et filii sui feodum quod tenet de ipso comes Barriducis et feodum quod tenet de ipso dominus de la Fauche (4). Et insuper posuit in manu ducis Burgundie castrum de Chastenaio (5), tali modo quod si dux Lotharingie aliquo modo deficeret de emenda sicut dictum est facienda, comes Barriducis et dominus de la Fauche post quadraginta dies in quibus monerent ducem de emenda facienda, venirent ad comitissam et ad filium ejus

(1) Quum ista Henrici comitis Campaniae et Jerusalem regis filia esset, Erardus comitatum Campaniae, tanquam jure haereditario uxori suae devolutum, ex anno 1213 armis vendicabat.

(2) Verisimiliter *Arcis-sur-Aube* (*Aube*).

(3) Scilicet *Epoisses* (*Côte-d'Or*).

(4) Nominatur *Hugo* dominus de la Fauche, in litteris ducis Burgundiae, sub n° III memoratis. La Fauche Campaniae locus (*Haute-Marne*).

(5) Id est *Châtenois* (*Vosges*).

illis quadraginta diebus completis, cum feodis que tenent de duce Lotharingie, et eos de feodis illis juvarent contra ducem Lotharingie, donec dux sicut dictum est emendasset. Dux vero Burgundie redderet comitisse et filio suo predictum castrum de Chastenaio infra quadraginta dies, postquam super hoc requisitus fuisset, et comitissa vel filius ejus illud teneret, donec dux Lotharingie de emenda plenius satisfecisset. Que ut nota permaneant et firma teneantur, presentem cartam conscribi jussimus et sigilli nostri munimine confirmari.

Actum apud Esmanciam (1), anno gratie millesimo ducentesimo octavo decimo, kalendis junii, indictione sexta.

Sequuntur vero quatuor documenta ad rem eamdem pertinentia :

I.

Notificatio ejusdem pacti iisdem fere verbis a Conrado Metensi et Spirensi episcopo, aulae imperialis cancellario, in praesentia regis Romanorum facta.

(Inedit. in cod. supra laudato 5993, fol. 174 verso.)

II.

Theobaldus, dux Lotharingiae, jura comitissae Campaniae et filii ejus recognoscit et ad emendam faciendam se obligat. Apud Esmanciam, 1° junii.

(Ediderunt Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 334, ex cartul. MS. camerae

---

(1) Hodie *Amance,* oppidum tribus leucis Nanceio distans, tunc arx munitissima ubi dux Lotharingiae Theobaldus se inclusisse dicitur, quum regem Romanorum contra se properantem audiverit. Obsessus vero a Germano simul et Campano exercitu et mox ad deditionem adductus, pactum inire cum rege et comitissa Campaniae coactus est; cf. D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, t. II, et *Hist. de Metz par les religieux Bénédictins*, t. II. Richerius vero Senonensis ducem ipsum, apud Amanciam obsessum fuisse non dicit, sed hunc timentem ne rex totam Lotharingiam sibi auferret, ad pedes ejus venisse testatur.

comput. reg. Par., cui titulus *Liber principum.* — VIGNIER, *Burgund. rer.*, p. 136, ex cartul. Campan. — DUMONT, *Corps univers. diplom.*, t. I, p. 159. — D. CALMET, *Hist. de Lorr.*, 2ª edit., t. III, *preuves*, p. 126, tanquam ex chron. S. Mihiel. extract., omissis vero his verbis : « *Sed ipsos juvabimus contra predictum Erardum et Ph. uxorem ejus*, etc. — NOEL, *Mémoires*, nº 6, p. 57, 58. — Coll. cum codic. Bibl. reg. Paris. 9592, fol. 267, et 5993, fol. 174-175.)

Ego Theobaldus dux Lotharingie marchio, comes Metensis et Dauburgensis (1), notum facio universis presentes litteras inspecturis quod super discordia que erat inter me ex una parte et dominam Blancam comitissam Trecensem et filium ejus ex altera, in presentia domini regis Romanorum et domini Treverensis archiepiscopi et plurium aliorum, talis pax et concordia intervenit : videlicet quod ego, etc. (*ut supra usque ad* terre eorum), occasione guerre quam movet Erardus de Brena contra predictos comitissam et Th. filium ejus, sed ipsos juvabimus contra predictum Erardum et Ph. uxorem ejus et contra heredes Henrici quondam comitis Campanie et coadjutores eorum. Si vero, quod absit, malum eis eveniret per me vel per homines meos sicut dictum est, ego tenerer emendare et ab hominibus meis facere emendari, ad laudem et arbitrium karissimi avunculi mei Odonis, etc. (*ut supra usque ad* de emenda satisfecissem). Durabit itaque conventio ostagiorum et castri depositio in manu ducis Burgundie, sicut superius est expressum, usque ab hoc festo Pentecostes in quinque annos completos, sed ad fidelitatem ipsi comitisse et filio ejus observandam et ad ipsos juvandos bona fide contra Erardum et heredes H. quondam comitis Campanie, tenebor in perpetuum obligatus. Ut autem hec omnia nota permaneant et rata teneantur, litteris annotata sigilli mei munimine roboravi, et karissimos dominos meos Fridericum regem Romanorum illustrem, Theodoricum Treverensem archiepiscopum, C. Methensem et Spirensem episcopum, rogavi ut eadem per suas litteras confirmarent.

Actum apud Esmanciam, anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, mense junio in kalendis ejusdem mensis.

---

(1) Id est *d'Asbourg*, quum filiam unicam Alberti comitis hujus loci in uxorem accepisset. Vid. supra, p. 345.

III.

Notificatio ejusdem pacti sub eisdem verbis ab Odone duce Burgundiae in praesentia regis Romanorum et archiepiscopi Treverensis facta.

(Edidit NOEL, *Mémoires*, n° 6, p. 60-62, ex collect. Colbert., vol. 437. — Extat quoque in cod. 5993 supra laudato fol. 175 verso.—Hoc documentum sicut et illud Friderici secundi falsum aut rescriptum censuit editor, praesertim quia dux Burgundiae, ut scriptores burgundici referunt, mense maio 1218 Divione ad Terram Sanctam profectus et Lugduni sexto die julii morte interceptus, mense junio Esmanciae morari non potuerit. At major fides documento caeterum authentico quam testibus non coaetaneis adhibenda est, quum videamus etiam, *Ibidem*, f. 32 recto, alterum instrumentum, quo dux Odo profitetur se comitissae et filio ejus castrum de Chastenaio restituturum, si dux Lotharingiae conventiones non observasset : actum ap. Esmance, ann. Dom. MCCXVIII, mense junio.)

IV.

Theobaldus, dux Lotharingiae, quitat omnes conventiones quas homines comitissae Trecensis et filii ejus habebant erga se, et homagia quae propter hoc sibi fecerant quitaturum pollicetur. Apud Esmance, 1° junii.

(Edidit D. CALMET, *Hist. de Lorr.*, 1ª edit., t. II, *preuves*, p. 428, non indicato fonte. — Coll. vero cum codicib. Bibl. reg. Paris., 5992, fol. 268 recto, et 5993, fol. 177 recto.)

Ego Theobaldus, dux Lotharingie, marchio, comes Metensis et Dauburgensis, notum facio universis presentes litteras inspecturis quod omnes conventiones quas habebant erga me homines domine Blanche comitisse Trecensis palatine et Theobaldi comitis Campanie filii sui, occasione guerre quam movebat Erardus de Brena et coadjutores sui contra predictos comitissam et filium ejus et eorum coadjutores, in presentia domini regis Alemanie quitavi, et homagia que propter hoc mihi fecerunt si voluerunt quitabo, et si de predictis conventionibus vel homagiis aliquas litteras mihi fecerunt, reddam eis infra quindecim dies, postquam

inde fuero requisitus. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri volui sigilli mei appensione munitas.

Datum apud Esmance, anno Domini M. CC. octavo decimo, mense junio, die veneris ante Penthecosten (1).

Apud Wirceburg (!), 20 junii.

Fridericus, Romanorum rex, terram in oppido Tremoniae adjacentem ad constructionem officinarum monasterii Sanctae Catharinae donat, claustrum ipsum cum omnibus bonis ejus in sua speciali protectione suscipit et advocatiam sibi et successoribus suis reservat.

(Memorat. et extract. ap. *Beilage zum archiv. fur kunde österr. Gesch.*, notizenbl., n° 1, 1852, p. 2; ex transumpto authentico anni 1627. Partes privilegii abbreviati quas ex germanico idiomate transcripsimus, uncis includimus.)

[Fridericus, Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. . . . . . . pro salute nostra et patris nostri imperatoris Henrici] terram curie nostre et imperii in oppido Tremonie adjacentem ad constructionem officinarum monasterii, quod ibidem ad honorem sanctissime virginis et martyris Catharine est constructum, [donamus, et prenominatum claustrum cum omnibus suis possessionibus tam presentibus quam futuris in nostra speciali protectione suscipimus. Damus insuper omnibus ministerialibus imperii utriusque sexus facultatem immobilia quocumque modo bona que ab imperio sub pensione possident ad predictum claustrum convertendi], ita tamen ne curia nostra debita pensione privetur. Predium vero Chunigstain in vulgari nuncupatum quod pater noster sepedicte ecclesie contulit, collatum clementer annuimus. [Recipimus quoque pro nobis et successoribus nostris immediate advocatiam de predicto claustro

---

(1) Scilicet 1° junii, cum hoc anno Pentecostes in tertium diem hujus mensis inciderit. (Vid. *Art de vérif. les dates, calendr. sol. perpétuel.*)

et possessionibus ejus, et preterea eidem etiam conferimus] ligna quatuor hubarum in regio nemore. . . . .

Hujus rei testes sunt Conradus Spirensis et Mettensis episcopus, imperialis aule cancellarius; Cuno Vuldensis abbas et Elwacensis, Ludovicus dux Bavarie palatinus comes Rheni, Theobaldus dux Lotharingie, comes Ludovicus de Zigenhagen, Ulricus de Mincenbergh, Wernerus de Bonlandia regalis aule dapifer, Philippus frater ejus, Conradus comes de Tremonia, Henricus de Scharfenberc, et alii quamplures.

Datum apud Urechenberc (*a*), anno dominice incarnationis M°CC°XVIII°, XII kalendas julii, indictione sexta.

Fridericus, Romanorum rex, confirmationem renovat donationis a patruo suo rege Philippo domui Sanctae Mariae Theutonicorum factam, de medietate patronatus ecclesiae de Morle ac de medietate patronatus ecclesiae de Holzburc (Holzberg). Apud Wirceburc, 12 julii.

(Edidit J. H. HENNES, *Cod. diplom. ordin. S. Mariae Theutonic.*, p. 34, n° 31, ex originali in arch. Darmstad. — Quod cum alterum documentum jam supra, p. 280, transcriptum eisdem fere verbis referat, additiones et lectiones varias cum testibus et notis chronologicis tantum hic exhibemus.)

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Ea que ab inclitorum principum Romanorum regum et imperatorum largitate, etc., medietatem patronatus ecclesie de Morle ac medietatem similiter patronatus ecclesie de Holzburc pro diviso, sicut eas receperant ex liberali donatione incliti patrui nostri pie memorie regis Philippi, prelibate domui et fratribus, etc., donationem, ut supra dictum est, medietatis patronatus ecclesie de Morle ac medietatis patronatus ecclesie de Holzburc pro diviso, sicut per donationem prelibati patrui nostri sunt in plena et justa possessione, etc., regia auctori-

(*a*) Sic per corruptelam, ut arbitramur, pro *Virceburc.*

tate stabilientes. Ad majoris quoque roboris ac firmitatis munimen et ut securitati predicte domus ac fratrum nichil videatur deesse, nos donationem ipsam renovantes, manu propria eis predictarum porreximus medietatem. Statuimus etiam, etc., nostre sublimitatis confirmationem pariter et innovationem aliquo unquam tempore infringere aut alia unquam persona ausu temerario eis aliquando attemptet contraire. Preterea ad majorem premissarum donationum atque confirmationis evidentiam, etc., cum testium subscriptione roboratum.

Hii sunt testes Albertus venerabilis Magdeburgensis archiepiscopus, apostolice Sedis legatus, Otto Wirzeburgensis episcopus, Engelhardus Niwenburgensis episcopus, Heinricus abbas Augensis, Ottakarus rex Boemorum (1), Hainricus marchio Missinensis, Hermannus lantgravius Thuringie, comes Albertus de Eberstein, Hainricus de Chalandina marscalcus imperii, Chunradus de Sipf pincerna imperii, Hermannus et Hainricus camerarii imperii, Albero de Podeme, et alii quamplures (2).

Acta sunt hec anno incarnationis Domini nostri Jhesu Christi millesimo ducentesimo octavo decimo, indictione VI, regnante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia Romanorum rege, semper augusto et glorioso rege Sicilie, anno regni ejus Romani V, Sicilie vero XX, feliciter. Amen.

Datum Wirceburc, IIII idus julii.

Apud Wimpinam, 22 julii.

Fridericus, Romanorum rex, promulgat sententiam principum et magnatum imperii, latam super jurisdictione fori annualis vel septimanalis, in aliquo loco per chirothecam a se concessi.

---

(1) In hoc *et frater suus*, quae verba extant in altero, desunt. Legendum vero hic et illic *et frater suus Hainricus marchio Moravensis*, dum agatur de fratre Ottakari et marchio Missinensis tunc *Theodericus* vocaretur.

(2) In hoc documento eosdem qui in altero testes, licet ambo tam longo tempore distent, parum consulte notarius rescripsit, quum exempli causa Hermannus Thuringiae landgravius anno 1215 jam vita fuisset functus, cui filius Ludovicus successerat. Cf. supra, p. 531, not. 1.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XI, p. 185, num. 53; coll. cum autographo in archivo Passav. ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, nº 631. — FISCHER, *Litter. des Germ. Rechts*, p. 239. — PERTZ, *Hist. Germ. monum.*, t. IV, p. 229.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis talem in presentia nostra per principes et magnates imperii latam esse sententiam, quod si forte alicui per cyrotecam nostram contulimus forum annuale vel septimaniale in quocumque loco, quod comes aut alius judex aliquis illius provincie non debeat illic habere jurisdictionem vel aliquam potestatem puniendi maleficia; sed si forte latro vel fur et alius maleficus fuerit condempnatus, comiti sive judici provinciali de loco illo erit presentandus ad sententie in eum late executionem.

Datum apud Wimpinam, XI kalendas augusti, indictione VI.

Fridericus, Romanorum rex, ratam habet donationem de abbatia Sanctae Mariae Pataviae (Nidernburg) a praedecessoribus suis et ab Heinrico VI patre suo ecclesiae cathedrali Pataviensi factam, recepto in concambium praedio Maerdingen. Wimpinae, 1º augusti.

(Editum ap. HUND, *Metrop. Salisb.*, t. I, p. 383. — CRUSIUS, *Annal. Suev.*, III pars, lib. I, p. 7. — TOLNER, *Addit. ad histor. Palat.*, p. 101. — LUNIG, *Spicileg. eccles.*, II Theil, p. 782. — HANSIZ, *German. sacr.*, t. I, p. 363. — *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 65-67, nº DCXXXIII, ex originali cujus sigillum periit. Bullam auream ex funiculo serico rubri coloris appendisse testatur copia manu recentiori circa ann. 1750 exarata. Extat alterum quoque instrumentum super eadem re, datum eodem anno ac die, discrepans forma potius quam sensu, nisi quod de praedio Maerdingen mentio non fit; monogrammate carens, munitum autem sigillo aureo. Hoc describunt et exhibent editores *Monum. Boic.*, loco citato, p. 64, nº DCXXXII.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente

clementia Romanorum rex secundus, semper augustus, et rex Sicilie. Ea que a largitione sive commutatione divorum progenitorum nostrorum, inclitorum Romanorum regum et imperatorum, ad commoda ecclesiarum sive principum imperii devenisse noscuntur, subsequenter confirmationem debitam a munificentia nostra recipere promerentur. Quo circa hujus certitudine scripti ad noticiam presentium et memoriam futurorum volumus pervenire quod nos, exemplo progenitorum nostrorum, benevolentiam nostram in ecclesias et principes imperii effundere cupientes, ob dilectionis habundantiam quam gerimus circa dilectam nobis Pataviensem ecclesiam et familiarem principem nostrum ejusdem ecclesie episcopum Ulricum nobis et imperio devotum, confirmamus omnimodis et ratam habemus donationem et confirmationem de abbatia monasterii Sancte Marie Virginis in Pataviensi civitate siti et de universis ejus pertinentiis factam ipsi Pataviensi ecclesie kathedrali per manus illustres predecessorum nostrorum divorum imperatorum, scilicet Ottonis primi, Ottonis secundi, Ottonis tercii, Frederici avi nostri atque patris nostri Heinrici qui et ab ipsa Pataviensi kathedrali ecclesia pro abbatia predicta recepit in concambio predium situm in Merdingen cum suis appendiciis, ut videlicet talis ratione concambii eadem donatio inconvulsa permaneat et in perpetuum tenatiori memorie commendetur. In cujus etiam regie confirmationis nostre testimonium, presentem paginam nostri impressione sigilli signatam sepedicte Pataviensi ecclesie curavimus exhibere.

Hujus rei testes sunt : Theodericus Treverorum archiepiscopus, Theobaldus dux Lothoringie, Rudolfus comes palatinus de Tuwingen, comes Sibertus et Heinricus filius suus de Werda, Hermannus marchio de Baden, Anshelmus marscalcus de Justingen, Hartmannus et Lodewicus fratres, comites de Wirtenberch, Hadmarus de Chuneringen, Kadoldus de Veldesperch dapifer ducis Austrie, et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi Romanorum regis, semper augusti et (*Monogramma*) regis Sicilie.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntine sedis archiepiscopi, tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XVIII, regnante domino nostro Frederico secundo Romanorum rege, semper augusto et glorioso rege Sicilie.

Datum Wimpine, anno pretaxato, kalendis augusti, indictione VI, feliciter.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Faucense sub speciali sua et imperii protectione recipiens, confirmat et restituit illi provinciam Aschowe et quinque curtes nominatas, salvo sibi omni servitio, quod progenitoribus suis erat exhibendum. Apud Ulmam, 10 septembris.

(Editum ap. *Monum. Boic.,* t. XXX, p. 67-68, n° DCXXXIV, ex originali in archivo episcop. August. Sigillum nonnihil laesum, sed optime expressum, appendet ex filis sericis rubri coloris, quorum tamen pars maxima modo disrupta est.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sycilie. Deo creatori gratum prestare non ambigimus obsequium, si ecclesias et loca divino cultui mancipata ampliare studuerimus et circa ipsorum commodum et profectum operam impenderimus diligentem. Qua propter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus declarandum quod ad supplicationem dilecti fidelis nostri Chonradi, venerabilis abbatis Faucensis, attendentes quoque honestam conversationem fratrum in eodem monasterio Deo famulantium, recepimus ipsum monasterium cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus et mancipiis utriusque sexus sub speciali nostra et imperii protectione; confirmantes et restituentes pro remedio anime nostre et salute nostra, una cum dilecto filio nostro Henrico inclito duce Swevorum, memorato Faucensi monasterio, abbati quoque et fratribus ipsius in perpetuum possidendam et tenendam provinciam Aschowe cum omni honore suo et cum universis utilitatibus ad eandem provinciam pertinentibus, a curia Muosowe usque Hornbach terminos suos habentem; ita quod nullus in ipsa

provincia quicquam sibi juris vindicet vel obsequii, nisi prefati loci abbas, salvo servitio quod nos et heredes nostri ibidem habere debemus, sicut dux Welfo, Kunradus dux Swevorum et rex Philippus patrui nostri inclite recordationis habere consueverunt. Insuper ex certa scientia restituimus eidem abbati Faucensi et monasterio suo curtem in Gisinriet cum appendiciis suis, curtem Aitranc cum suis appendiciis, curtem Sahsenriet cum suis appendiciis, curtem Hohinfurhc cum suis appendiciis, curtem Richelingin cum suis appendiciis, salvo quoque omni servicio quod [ab] ipsis curtibus nobis sicut progenitoribus nostris erit exhibendum. Statuimus igitur et regio edicto districte precipimus ut nulla omnino persona cujuscumque fuerit condicionis sepefatum monasterium in antedictis curtibus seu in aliis prediis ipsius magnis vel parvis molestare presumat aut dampnum ei irrogare. Quod qui fecerit iram tremendi judicis et nostre majestatis gravem offensam se noverit incursurum.

Datum apud Ulmam, anno dominice incarnationis M° CC° XVIIII°, IIII idus septembris, indictione VI (1).

Apud Ulmam, 11 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Sanctae Crucis in Werda concedit et confirmat molendinum unum cum fundo suo, quod abbas et fratres de expensis suis de novo construxerant in flumine Zusma vocato.

(Edidit. Konigsdorfer, *Gesch. des Klost. zum heil. Kreutz in Donauwörth*, t. I, p. 409, n° 8, ex origin. in arch. monasterii.

---

(1) Utitur notarius indictione usque ad vicesimum quartum diem septembris durante. At cum ex fide diplomatum aliorum Fridericus II anno 1219 saltem a 6 usque in 18 septembris Hagenowiae fuerit, et circà 10 septembris ac certe 13-14 septembris 1218 Ulmae substiterit, patet annum indicatum per oscitantiam scriptoris abundare unitate; nisi notatus fuerit ex calculo Pisano qui a 25 martii incipiens novem mensibus praecessit communem computandi modum. Vid. supra, p. 97, not. 1.

Fredericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera karitatis opera que divine pietatis intuitu pia consideratione largimur, illud Deo gratius credimus residere quod ecclesiis Dei et locis venerabilibus de mera liberalitate donamus. Inde est itaque quod nos attendentes honestatem et religionem fratris ac venerabilis abbatis Sancte Crucis in Werda et confratrum suorum ibidem Domino famulantium, pro remedio felicium augustorum parentum nostrorum et salute nostra, concedimus et confirmamus eidem abbati [et] confratribus suis in monasterio Sancte Crucis in perpetuum molendinum unum cum fundo suo, quod dictus abbas et fratres sui de expensis suis de novo construxerunt in flumine quod vocatur Zusma (1) per quemdam aqueductum per terram et predium ipsius monasterii derivatum, et pro auctoritate regia legitimum facimus ipsi monasterio et fratribus perpetuo fruiturum. Statuimus igitur et presentis privilegii auctoritate sancimus ut nulla potentia alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hanc confirmationem et concessionem nostram dictum abbatem, fratres ejus vel monasterium nominatum de eodem molendino impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero pars ad monasterium persolvatur. Ut autem [hec] tuta et firma perpetuo maneant, presens privilegium inde scribi et sigillo majestatis nostre fecimus communiri.

Datum apud Ulmam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, tertio idus septembris, sexte indictionis (2).

Fridericus, Romanorum rex, sententiam archiepiscopi Treverorum a curia sua confirmatam approbat, qua deciditur se nec posse — Ulmae, 13 septembris.

---

(1) Hodie molendinum *Schwaderling* vel *Schwadermühle* vocatur, et aquarum decursus dicitur *Zusum*.

(2) De notis chronologicis, vide notam ad calcem praecedentis documenti.

nec debere in civitate Basiliensi consilium instituere sine episcopi ejusdem civitatis assensu, privilegium suum quod inde habebant Basilienses omnino cassans et revocans.

(Edider. Herrgott, *Genealog. Habsburg*, t. II, p. 226.— Ochs, *Gesch. von Basel*, t. I, p. 285. — Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 229.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia, Romanorum rex, semper augustus et rex Sycilie. Ea que ad libertatem ecclesiarum necnon ad commoda et honorem seu debitam principum atque fidelium nostrorum quietem, coram eminentia regia justo ordinis processu de consilio et consensu principum imperii terminantur, perpetuam a nobis merentur recipere firmitudinem. Constitutus coram regia celsitudine et coram multis imperii principibus, baronibus atque nobilibus dilectus princeps noster Heinricus Basiliensis episcopus cum multa instantia postulavit per sententiam requiri si vel nos vel alius aliquis possemus vel deberemus in civitate cui ipse episcopus preest, consilium civitatis instituere sine ipsius episcopi voluntate et assensu. Ad cujus non modicam instantiam cum predilectus princeps noster Theodericus venerabilis Trevirorum archiepiscopus fuisset super hoc a nobis requisitus, ipse cum deliberatione sententiam indixit nos nec posse nec debere in civitate predicti principis Basiliensis dare vel instituere consilium citra ejusdem episcopi assensum et voluntatem atque suorum in eodem principatu successorum. Facta igitur secundum juris ordinem inquisitione per singulos qui aderant, tam a principibus quam nobilibus et baronibus singulisque qui aderant sententia archiepiscopi fuit per subsecutionem proclamata et confirmata. Nos etiam tanquam justus judex de innata nobis regia circumspectione eamdem approbantes sententiam justamque decernentes, consilium quod usquemodo quocumquemodo Basilee fuit revocamus, deponimus ac totaliter infringimus, atque privilegium nostrum quod inde habent Basilienses cassamus omnino nec eo ipsos de cetero uti volumus. Ad majorem autem gratie ac dilectionis nostre circa memoratum episcopum evidentiam, nolumus, immo sub plena gratie nostre interminatione omnino inhibemus ne Basilienses de

cetero consilium vel aliquam institutionem novam, quocumque nomine possit appellari, faciant aut instituant sine episcopi sui assensu et voluntate. Decernimus igitur et perpetuo observandum judicamus ne aliqua persona humilis vel alta, secularis sive ecclesiastica, huic sententie nostreque confirmationi et inhibitioni aliquo unquam tempore se audeat opponere vel aliqua temeritate que prescripta sunt infringere. Quod qui facere attemptaverit, indignationem gratie nostre se noverit cum debita pena incurrisse. Ad cujus rei evidentiam, robur atque memoriam, hoc scriptum inde fieri jussimus aureo majestatis nostre sigillo communitum.

Hii sunt testes : Volricus Pataviensis episcopus, Bertoldus Lausanensis, Volricus abbas Sancti Galli, Hugo abbas Morbacensis, Heinricus major prepositus Constantiensis, regalis aule prothonotarius, Theobaldus dux Lotharingie, Lodwicus dux Bawarie comes palatinus Reni, comes Ulricus de Quiburch, comes Volricus de Niwemburch, Hermannus marchio de Baden, comes Burchardus de Mannesvelt, comes Hermannus de Harzburch, Hainricus nobilis de Niffe, Anshelmus de Justingen marescalcus imperii, Volricus de Minzenberch camerarius imperii, Eberhardus dapifer de Tanna, Chunradus de Wintersteten, et alii quamplures.

Signum domini Friderici invictissimi Romanorum regis (*Monogramma*), semper augusti et gloriosi regis Sycilie.

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Sancte Moguntine sedis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. XVIII, regnante felicissimo domino nostro Friderico secundo, Romanorum rege, semper augusto, et glorioso rege Sycilie, anno Romani regni ipsius sexto, Sycilie vero octavo decimo (*a*), feliciter.

Datum Ulme, anno Domini prenotato, idibus septembris, indictione septima.

(*a*) Sic; recte tamen legendum *vicesimo primo*, sicut et infra, p. 563.

Ulmae, 13 septembris. Fridericus, Romanorum rex, Henrico Basiliensi episcopo indulget ut omni jure et consuetudine quibus olim praedecessores ejus usi sunt, de caetero tam in civitate Basilea quam in oppido Brisaco fruatur.

(Edidit Mart. Gerbertus, *Cod. epist. Rudolfi I*, auctar. diplom. append. n° 1, p. 220.)

F., Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sycilie, dilecto principi suo H. Basiliensi episcopo gratiam suam et omne bonum. Ex innata nobis regia benivolentia, ad merita tue fidelitatis quam in nostris et imperii promotionibus tam devote quam laudabiliter nobis expertus es exhibere, non solum tuo honori, sed quieti pio affectu providere omnimodis intendentes, in omni jure, honore sive consuetudine atque communitate te de cetero esse volumus, sicut olim tui extiterunt predecessores venerandi Basilienses episcopi sub inclito patre nostro felicis memorie Heinrico illustri Romanorum imperatore et rege Sycilie. Et ne aliqua persona humilis vel alta, secularis sive ecclesiastica, tibi omnino sit vel esse attemptet contraria quin tibi tam in civitate Basilea quam in oppido Brisacensi hec gratie nostre valeat et firma sit indulgentia, hoc scriptum tibi indulsimus sigillo regie majestatis communitum.

Datum Ulme, anno M. CC. XVIII, idus septembris (*a*).

Apud Ulmam, 14 septembris. Fridericus, Romanorum rex, ad preces Garini abbatis et monachorum Sancti Apri Tullensis, idem monasterium cum possessionibus et juribus ejus ibidem expressis in sua speciali protectione

(*a*) Ita, non expressa indictionis nota.

recipit, juraque advocatorum in curiis monasterii describit et decernit.

(Edit. ap. D. Calmet, *Histoire de Lorraine*, 1ª edit., t. IV, preuves, p. 426. Aurea bulla, licet hic non exprimatur, appendebat; quam descripsit Mabillon, *De re diplomat.*, lib. II, cap. 16, nº 16, p. 141.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, dilectis filiis Garino abbati et monachis Sancti Apri Tullensis, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, salutem et suam gratiam. Piis petentium desideriis gratum nos decet assensum impertiri, et vota que a tramite rationis non discordant sub majestatis nostre protectione suscipi et sigilli nostri munimine communiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam vestram in suburbio civitatis sitam, cum ejus banno et possessionibus quas idem monasterium in presentiarum juste possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum et oblatione fidelium seu aliis dictis modis, prestante Domino, poteritis adipisci, in regiam suscipimus protectionem, vobisque et vestris successoribus firme libereque maneant et illibate. In quibus hec propriis duximus exscribenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum ejus banno libero et possessionibus eidem banno pertinentibus; preterea nemus cum terris et pratis dicto banno vestro contiguis, cum decem solidis Tullensium in villa de Brureio a Petro milite de Borlemont in redditibus suis in festo Sancti Martini annuatim reddendis, necnon et quamdam partem redditus in telonio Tullensis civitatis a Friderico duce Lotharingie vobis collatam, et allodium de Monces cum hominibus, molendinis, terris, pratis et sylvis ab Hugone milite concessis, et quidquid in Vico habetis tam in pratis quam vineis ac terris, cum tribus sessis ad sal conficiendum vestre confirmamus devotioni. Confirmamus etiam vobis et successoribus vestris quamdam portionem decime tam in grossis quam minutis decimis de Ramerevilla ex dono Bencelini militis habitis et duas partes grosse et minute decime de Cholois ex donatione Hugonis militis de Bazange; mo-

lendinum etiam de Saussais cum arariis de Mauvage ex donatione Alardi domini de Sorceio vobis collatis, et quidquid habetis in villa de Cheseilles ex donatione Radulphi monachi tam in vineis et terris et manso uno; ex donatione etiam Gerardi et uxoris sue vineas quas habetis apud Sye. Et quidquid habetis in mandalis, terris, pratis, molendino et redditibus aliis et sex solidos Metensium vel tria modia vini quos debet vobis Arnulphus miles Siche pro vineis de monte de Hocchese, vobis reddendos in festo Sancti Remigii annuatim. Sub defensione etiam majestatis nostre suscipimus vobisque confirmamus villam Baronis ville cum integritate, hominibus, prato, vineis, terris, sylvis et piscatoribus, medietatem etiam Lieboldis ville cum hominibus, pratis et sylvis. Jura insuper advocatorum qui in curiis vestris sunt, sicut in carta bone memorie Mathei ducis Lotharingie continetur, hec sunt : in his villis, videlicet villa Stephani, Crupeium cum Silini curte, Mannonis curte, Molonis villa, Alona et Columbario, in festo Sancti Martini quarterium avene, gallinam unam cum denario uno et pane uno per singulas domos quibus possibilitas dandi fuerit, exceptis illis qui sunt de familia abbatis, ministris et feodatis; in villa de Saxuriis quelibet domus quarterium avene, obolum unum et panem unum, illi de Martiniaco quartarium avene et panem et denarium, Dumbrot quartarium unum, gallinam unam et panem unum. Item si forte advocati causa proprii negotii aut placitandi aut transitorie in villis venerint memoratis, in domo propria abbatis descendent, nisi forte abbas fuerit presens aut venerit descensurus ibi, vivent propriis redditibus sive justitiis; ministri tamen usque ad quinque solidos accredent et ministrabunt eis super portione tertie partis justitiarum que ad eos pertinent, nihil ultra. Item de furto aut banno fracto si abbas vel ipsi placitaverint de duabus et tertia parte vivent, de reliquo duas partes abbas habebit, advocatus tertiam. Si vero villicus loco abbatis pro se pro minori facto vel redditibus vel pro censu capitis aliquid placitaverit, nihil accipient advocati. Si vero aliquis a villico superbus et arrogans recesserit et si se imbannire permiserit, de emenda abbas duas partes habebit et tertiam advocatus. Et in arbitrio abbatis ejus vel ministrorum suorum, quid vel quantum accipere debeant. Et si forte contigerit aliquem advo-

catorum contra hoc ire, quam cito querimonia abbatis ad aures ducis Lotharingensis a quo advocatiam habent pervenerit, nisi per ducem emendaverint, sicut in carta Mathei ducis continetur memorati, ab advocatiis privabuntur. Ad majorem etiam gratie nostre circa vos et cenobium vestrum evidentiam, statuimus et sub plena gratie nostre interminatione decernimus et precipimus ne ulla omnino persona humilis vel alta, secularis sive ecclesiastica, hanc nostre protectionis et confirmationis formam infringere vel ausu temerario aliquo unquam modo et tempore presumat contravenire. Quod si facere attentaverit, anathema Jesu Christi sit, regiamque indignationem cum debita pena se noverit perpetuo incurrisse. Ad cujus rei evidentiam, robur et memoriam, hoc scriptum vobis indulsimus sigillo regie majestatis nostre communitum.

Hujus rei sunt testes : Theodericus Treverensis archiepiscopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Cuonradus Constantiensis episcopus, Bertholdus Lausaniensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus, clerici; abbates vero, Ulricus Sancti Galli abbas, Heinricus abbas de Ouva (Augia), . . . abbas de Morbach; laici quoque, Ludovicus dux Bavarie et palatinus comes Rheni, Theobaldus dux Lotharingie, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Romanorum regis, semper augusti, et incliti regis [Sicilie].

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Sancte Moguntine sedis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, regnante domino Friderico II, divina favente clementia Romanorum rege, semper augusto, et glorioso rege Sicilie, anno Romani regni ejus sexto, Sicilie vero decimo octavo, feliciter.

Datum Ulme, decimo octavo kalendas octobris, indictione septima.

Fridericus, Romanorum rex, advocatiae Campidonensis monasterii renunciat, pro annuo censu L marcarum argenti; cassat au- Apud Ulmam, 18 septembris.

tem monetam Campidonensem, quam monasterio compensabit, relaxando de dicto tributo, secundum quod nominati duo arbitri relaxandum duxerint.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 69-71, num. DCXXXV, ex originali quod tamen aliquid suspicionis in praesenti forma praebet (vid. not. *a, ibid.*). At concordat cum concessione Heinrici VII regis, data apud Wimpinam, ann. 1224, tertio non. aprilis (3 april.); cujus certissimum habetur originale, excepto quod hic omissa sit de moneta Friderici II constitutio. Registrum quoque archivi Campidonensis ann. 1697, fol. 64 *b*, originalibus idipsum annumerat.)

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Laudabile satis in principe genus humanitatis habetur, sed tunc laudabilius industria regnantis exercere genus pietatis agnoscitur, cum ecclesiis Dei et locis venerabilibus bona temporalia largiendo, caduca pro eternis, pro celestibus eterna provida liberalitate mercatur. Hac igitur ducti consideratione laudabili, diligencius attendentes fidem et devocionem tuam, H. venerabilis abbas Campidonensis fidelis noster, necnon religionem et honestatem sacri cenobii Campidonensis et fratrum ibidem Deo serviencium, pro animabus divorum augustorum parentum nostrorum recolende memorie et salute nostra, necnon et de nostre munificentia majestatis damus, concedimus et in perpetuum confirmamus tibi, Henrice, venerabili abbati, successoribus tuis et monasterio supradicto advocatiam Campidonensis monasterii quam predecessores nostri et nos hucusque tenuimus, et una cum karissimo filio nostro Henrico illustri Suevorum duce ipsi advocacie abrenunciamus omnino. Concedentes vobis de cetero et monasterio sepedicto liberam potestatem de advocacia ipsa quicquid volueritis ad honorem et utilitatem monasterii faciendi; ita tamen quod tam tu quam successores tui et monasterium ipsum, uno quoque anno in festo beati Andree quinquaginta marcas purissimi et examinati argenti camere nostre dabitis, omni difficultate remota. Tenemini etiam tam tu, H. venerabilis abbas Campidonensis, quam successores tui et monasterium ipsum nobis quod nullam monetam de cetero in monasterio ipso vel juridictione sua facietis vel

cudi permiseritis, moneta ista que modo est et consuevit esse cassata penitus et deleta. Nos autem pro recompensatione utilitatis et commodi, quod habere de moneta ipsa idem monasterium consuevit, providebimus tibi abbati, successoribus tuis et monasterio ipsi de predictis quinquaginta marcis, que annuatim camere nostre debentur, relaxando vobis vel tribuendo de ipsis, secundum quod C. venerabilis Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, et Everardus dapifer de Tanne providendum duxerint et arbitrandum. Statuimus igitur et presentis privilegii auctoritate mandamus ut nullus sit qui predictum abbatem, vel successores suos aut monasterium ipsum contra hanc concessionem nostram impedire vel molestare presumat. Quod si aliquis ausu temerario presumserit, centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ad hujus autem rei memoriam et perpetuum firmamentum, presentem paginam inde scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Tidericus archiepiscopus Treverensis, Ulricus episcopus Pactaviensis, Conradus episcopus Constanciensis, Ulricus abbas Sancti Galli, Heinricus abbas Augensis, Teobaldus dux Lothoringie, Hermannus marchio de Baden, Rudulfus palatinus comes de Tuyngen, Hugo comes de Monteforti, Anselmus marescalcus de Justingen, Henricus de Niffen, Henricus de Rotenberch, Bertoldus de Truhcburc, Hermannus de Sulzberc, Henricus et Ulricus filii ejusdem, Henricus de Rans, Hermannus de Sulzberc (*sic bis*), Bertoldus de Rans, Henricus et Bertoldus fratres de Richolfisriet, et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi, Dei gratia illustrissimi Romanorum et Sicilie regis, semper augusti (*Monogramma*).

Ego Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi, et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum apud Ulmam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo (1), quarto decimo kalendas octobris, indictione septima.

---

(1) Vide supra p. 556, notam 1. Indictio ut Cesarea recta est.

Apud Ulmam, [septembri].

Donatio Hugonis, comitis de Monteforti, hospitali Sancti Johannis ultra mare de ecclesia in civitate sua Feldkirch.

(Memorat. ap. EICHHORN, *Episcopat. Curiens.*, cod. probat., p. 79, ex urbario S. Joannis in Feldkirch, tom. I, p. 212.)

Anno dominice incarnationis M. CC. XVIII (1), indictione VII, sub papa Honorio, apud Ulmas, coram rege et cum rege Frederico, Hugo comes de Monteforti tradidit hospitali Sancti Johannis ultra mare ecclesiam in civitate sua Veldkirch et feudum juxta ecclesiam, et agros extra civitatem quos ibidem habere videbatur, et molendinum apud civitatem, etc.

Hujus autem rei testes sunt : T. dux Lotharingie (*a*), et Heinricus margravius de Baden, Eberhardus de Eberstain, Burchardus de Juningen, Fridericus de Zwirkenberg, K. de Ringenberg, Artolfus de Bartenstein, etc. (*Sequuntur testium nomina omnino incognita.*)

Apud Augustam, 27 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, subcantori capellae regiae Panormi mandat ut Johanni de Pantarca provideat de tareno illo quem habere debet de mense in mensem.

(Edit. ap. *Tabular. reg. ac imper. capellae divi Petri*, p. 43, n° 23, ex MSS. Anton. Amici. — Mendose vero ad ann. 1204 reponitur.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, succentori cappelle regie Panormi fideli suo gratiam et bonam vo-

(*a*) In impresso *K. dux Lutrige*, male.

(1) *M. CC. XXVIII*, male. Deest notatio mensis; non autem dubitandum quin ad mensem septembrem donatio referenda sit.

luntatem. Mandamus tibi firmiter precipiendo quatinus Johannem de Pantarca fidelem nostrum de tareno illo quem debet habere de mense in mensem, nullatenus molestes aut facias molestari, imo integre dictum tarenum eidem percipere dimittas.

Datum apud Augustam, XXVII septembris, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, super contractu donationis, quo Chunradus comes de Wazzerburch castrum Vichtenstein cum ejus pertinentiis Ulrico Pataviensi episcopo ejusque ecclesiae pro mille marcis, titulo pignoris et sub aliis conditionibus speciatim expressis, donavit, duplex instrumentum conscribi procurat. Apud Nuremberg, 22 octobris.

(Editum ap. *Monum. Boica,* tom. XXX, p. 72-74, num. DCXXXVI, ex originali cujus descriptio inferius exhibetur. — Extractum quoque ap. OEFELE, *Rer. Boic.*, t. II, p. 713, inter Aventini excerpt. Patav.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Salutiferum in Domino nobis esse credentes si manum regie majestatis nostre ad confirmationem illorum extendimus que promotionem ecclesiarum evidentius operari noscuntur, universorum memorie presentem paginam intuentium commendamus quod Chunradus nobilis comes de Wazzerburch, sancte crucis signo signatus, castrum suum Vihtensteine proprietati sue adtinens cum omnibus pertinentiis, ministerialibus videlicet et aliis hominibus, villis, agris, pascuis, nemoribus, terris cultis et incultis atque aliis rebus omnibus ad idem castrum pertinentibus, pro anime sue salute, Pataviensi ecclesie tali lege donavit ut si ipse sine herede decesserit, idem castrum cum predictis suis pertinentiis ipsi cedat ecclesie possidendum perpetualiter, cum omni eo jure quo ipse comes illud dinoscitur possedisse. Preterea venerabilis ipsius Pataviensis ecclesie episcopus Ulricus, noster princeps familiaris et dilectus, idem castrum cum prefatis suis

pertinentiis in possessionem ac ditionem suam pleno jure ab eodem comite titulo pignoris jam recepit, ipsi comiti mille marcas mutuans cum quibus expleat votum crucis. Et utique ipsi comiti a crucis expeditione reverso non licet idem castrum redimere, nisi simpliciter de propriis suis rebus. Sed et si fuerit sic redemptum, non debet alienorum, sed sui solius usibus subservire, ne per occupationem seu violentiam alienorum ecclesia memorata donatione possit hujusmodi defraudari. Nec pretermittendum duximus quod ipsi comiti cum peregrinationis votum compleverit, idem episcopus debet in feodo concedere reddituum annualium ad XXX talenta, quorum ipse comes XX ad manus annuatim percipiat, reliqua decem sint infeodata; cujus etiam feodi situs ipsi antequam iter peregrinationis incipiat, ab episcopo ostendetur. Insuper feodum condecens et honestum quantocius vacaverit, ipse episcopus comiti conferet sepedicto. Ne autem hujus donationis tractatum ulla possit calumpnia in posterum perturbare, duplici pagine nostro sigillo signate (1) ipsum cum testium nominibus qui ei interfuerunt annotari fecimus, quarum alteram episcopo, alteram vero comiti curavimus firmioris cautele gratia exhibere.

Hii sunt testes : Theodericus Treverensis archiepiscopus, Eberhardus Salzeburgensis archiepiscopus, Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, Otto Erbipolensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Ludewicus palatinus Rheni et dux Bawarie, Theobaldus dux Lothoringie, Rapoto palatinus Bawarie, Heinricus comes de Ortenberch, Burchardus comes de Mannesvelde, Hermannus comes de Hartesburch, et alii quamplures.

Datum apud Nurenberch, XI kalendas novembris, anno Domini M° CC° XVIII°, indictione VII^a.

---

(1) Adest utrumque exemplar originale in ipso instrumento memoratum, studio autem uni eidemque membranae inscriptum; dimidiatis nimirum litteris oblongioribus quibus scripta est invocatio divini nominis, ita ut earum media pars inferior in uno exemplari primum locum occupet, cum pars illarum superior, inversa tamen, in altero exemplari titulum regis excipiat. Utrique exemplari appensum erat sigillum ex filis sericis rubri et albi coloris; appendet autem etiam nunc in altero exemplari hic non exhibito, bene expressum, etsi in ora inferiori laesum : in primo namque massa tantum cerae concava dependet cujus imago periit.—Not. *a*, *ibid.*, p 74.

Fridericus, Romanorum rex, sententiam in praesentia sua per principes imperii pro capitulo majoris ecclesiae Salzburgensis latam confirmat : scilicet quod judex secularis victualia religiosorum in strata publica ad querimoniam alicujus detinere ratione judicii non debeat, nisi prius probatum fuerit ab episcopo loci justitiam denegatam esse.

Apud Nuremberg, 22 octobris.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 94, n° 237, ex Lichnowsky, *Regest.* I, p. 178.)

Hujus rei testes sunt : Treverensis et Salzburgensis archiepiscopi, Ratisponensis, Herbipolensis et Pataviensis episcopi, L. dux Bavarie. . . . . Datum apud Nurenberch, XI kalendas novembris, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, cathedralibus ecclesiis, videlicet Chiemensi et Seccoviensi, quas Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus construxit et dotavit, jura episcopalia confirmat, scilicet de regalibus, de ministerialibus, et de pontificalibus cathedris deferendis.

Apud Nuremberg, 26 octobris.

(Edit. ap. Pusch et Froelich, *Diplom. sacra duc. Styriae*, pars 1ª, p. 194 et 305, ex cod. canon. Seccov.)

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, dilecto principi suo Eberhardo Salzburgensi archiepiscopo in perpetuum. Religiose ac pie intentionis tue propositum auguste liberalitatis nostre gratia adjuvantes, honeste petitioni tue aurem benevolam inclinamus; de majestatis regie tibi munificentia concedentes ut due ca-

thedrales ecclesie, videlicet Chiemensis et Seccoviensis, quas de Romane Sedis licentia et regie benignitatis applausu necnon et de principum nostrorum assensu de ecclesie tue construxisti et dotasti redditibus, et de exfalcatis a tua diocesi certis distrinxisti limitibus, apud majestatem imperii honorem contineant, et si quis procedente tempore vel castra vel ministeriales, monetas et thelonea, vectigalia vel quascunque publicas functiones pro salute anime sue vel quocunque titulo eis conferre voluerit, hec omnia eis liceat nomine regalium possidere, et episcopi earum a te et a successoribus tuis qui a tempore fuerint, more vassalorum ea recipiant, et cum juramento fidelitatis prestent hominium et in juramento fidelitatis nullum penitus excipiant vel excludant. Ministeriales vero earumdem ecclesiarum juramentum fidelitatis suis prestent episcopis, et in juramento illo nullum excipiant preter solum archiepiscopum Salzburgensem, et ipsi omnia jura ministerialium obtineant, que ministeriales ecclesiarum Alemannie obtinere hactenus consueverunt. Volumus etiam ut eisdem vacantibus sedibus, regalia ad solum archiepiscopum respectum habeant, donec ipse vacanti ecclesie in pastore provideat, qui regalia de manu ipsius in forma accipiat supradicta. Adjicimus etiam quod si prefatos episcopos curiam regiam frequentare contigerit, licentiam habeant pontificales sedes (1) deferendi.

Hujus rei testes sunt : Theodoricus Trevirensis archiepiscopus, Otto Herbipolensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Chunradus Ratisponensis episcopus, Chuno Fuldensis et Elwacensis abbas, Ludwicus comes palatinus Rheni dux Bavarie, Henricus comes de Ortenburg, Theowaldus dux Lotharingie, Rapoto comes palatinus Bavarie, Burchardus comes de Mansveld, Hermannus comes de Hirsinberch (*a*), Eberhardus comes de Dornberch (?), Anselmus de Justingen marschalcus, Wernherus de Wollant dapifer, Ulricus de Minzenberch (*b*) camerarius, et alii quamplures.

(*a*) Verisimiliter legendum *de Hartesburch.*

(*b*) In chartulario *de Minzendorff,* minus recte.

---

(1) Sicut supra cathedras sedentes saepius in sigillis suis episcopi se exhibent.

Signum domini Friderici regis Romanorum, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XVIII, regnante domino nostro Friderico secundo Romanorum rege, semper augusto, et glorioso principe Sicilie, anno regni ejus sexto (*a*).

Datum apud Nuernberch, VII kalendas novembris, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, inferiori monasterio Ratisponae (Niedermünster) decem libras pecuniae, ad cameram regiam annuatim hucusque solvendas, remittit.

Apud Nuremberg, 30 octobris.

(Editum ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 74-75, num. DCXXXVII, ex originali unde sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis flavi ac fusci coloris, nunc tantum parti cuidam filorum flavorum adhaerens.)

Fr(idericus), Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Decet imperatoriam majestatem ecclesiarum Dei et locorum venerabilium utilitatibus providere, et illius intuitu per quem reges regnant et principes dominantur, eisdem munificentie sue dexteram inpertiri. Inde est igitur quod notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod nos pro salute nostra et pro remedio animarum divorum augustorum progenitorum nostrorum, remisimus et presentis scripti auctoritate condonavimus abbatisse inferioris monasterii Ratisponensis et ejus successoribus in perpetuum decem libras pecunie Ratispone, quas libras dictum monasterium imperatoribus et regibus Romanis ac nobis et camere nostre hucusque persolvit et annuatim solvere tenebatur; volentes quod dicta abbatissa et ei succedentes hanc nostram condonationem et

(*a*) In altero exemplari *regni ejus XII*, male.

remissionem de predictis decem libris semper habeant et pro firmo teneant, et nulli nostrorum successorum de eis respondere aut intendere teneantur, immo libere inde semper maneant et quiete. Statuimus igitur et presentis scripti auctoritate sancimus ut quecunque persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hanc remissionem et condonationem nostram ire presumpserit, in sue presumptionis vindictam iram omnipotentis Dei et nostre regie majestatis offensam se noverit incurrisse. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum inde fieri fecimus et sigillo nostre majestatis jussimus robborari.

Hujus rei testes sunt : Th. Treverensis archiepiscopus, O. Wirciburgensis episcopus, Lodowicus dux Bavarie palatinus comes Reni, Th. dux Lotheringie, comes Burcardus de Mannisfelt, Hermannus et Heinricus comites de Hartisburc, Everardus et Ulricus comites de Helfeistein (Helfenstein), Anselmus marescalcus de Justingen, H. de Niffen, Riccardus camerarius, et quamplures alii.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum apud Nuorinberc, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo octavo decimo, tercio kalendas novembris, indictione septima.

Apud Nurimberg, [octobri.]

Fridericus, Romanorum rex, judici suo in Egrensi provincia significat gratiam monasterio de Waltsassen a se concessam, ut ipse judex, non exspectato provinciali judicio, praedictae ecclesiae judicium et justitiam de ablatis faciat.

(Editum ap. *Monum. Boic.,* tom. XXX, p. 76, num. DCXXXVIII, ex originali cujus sigillum periit, cum filis seu segmento membranaceo unde pendebat.)

F., Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sycilie, fidelibus suis judici et ministerialibus presentibus et futuris in Egerensi

provincia constitutis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre significamus abbati et conventui de Waltsas pro remedio anime nostre illam nos gratiam indulsisse, videlicet quocienscumque eos ab aliquo spoliari contigerit, sive alta sit persona illa vel humilis, non exspectato provinciali judicio, statim judex provincie nostra plenaria usus potestate predicte ecclesie judicium et justitiam cogat fieri de ablatis. Quod si quis facere neglexerit vel contempserit, post XIIII dierum datas inducias, sciat se gratie nostre privatione dampnatum, talemque proscriptione publica a judice provincie puniri atque denunciari precipimus et modis omnibus ad restituenda cogi ablata, nobis nichilominus debite satisfacturus. Hac autem forma judicii super ablatis predictos fratres perpetua donatione munimus, factumque presentis sigilli nostri impressione confirmamus.

Datum apud Nurimberg, anno dominice incarnationis M° CC° XVIII° (1).

Fridericus, Romanorum rex, duo concambia monasterio Waltsassen confirmat : primum quo Cuono et Henricus de Libenstein partem villae Conradsruoth pro curia in Crapitz tradunt; alterum quo Fridericus de Waltuorn praedium in Sconvelt et in Triebindorf pro sex praediis aliis tradit. Apud Nurimberg, [octobri.]

(Edit. ap. *Monum. Boica,* t. XXXI, pars 1ª, p. 496, e libro copiali antiquiss.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. Noverit universitas vestra quod ministeriales nostri Cuono et Henricus de Libenstein ex parte sua et cognatorum suorum Ulrici et Rudgeri, accepta ab ipsis po-

---

(1) Indictio non est expressa; similiter desunt dies ac mensis. Ex loco tamen Nurimberg desumitur hoc instrumentum pertinere ad finem mensis octobris, quo tempore hujus anni rex illic morabatur.

testate, resignaverunt nobis quamdam partem ville in Cunratsruoth, postulantes eam per manus nostras offerri ecclesie Waltsassensi, sicut et fecimus, recepta similiter [ab] abbate ejusdem loci H. (*a*) curia una in Crapitz, et eam predictis viris in concambium illius predii feudi jure concessimus. Hanc autem curiam antecessor prefati abbatis tempore felicis memorie Philippi patrui mei (*sic*) ab Arnoldo Angil receperat, et ipse abbas conscio eodem A. istud nostra auctoritate cum predictis viris fecit concambium. Eodem quoque die Fridericus de Waltuorn predium in Sconvelt et in Triebindorf per manus nostras prefato abbati confirmavit cum omni jure advocatie, sicut et ipse in concambium ejusdem libera ab advocatis ab abbate accepit predia in Pirch, in Lasan, in Ruoth, in Luotsow, in Horwe et in Eppinruth.

Actum apud Nurnberch, anno dominice incarnationis M. CC. XVIII (1).

[Circa novembrem.]

Rex Fridericus Hervordiae celebrata curia (2) in imperio confirmatur. ALBERT. STADENS., *Chronic. ad ann.*, p. 204 verso.

Malberg, 23 novembris.

Fridericus, Romanorum rex, abbati et conventui de Tennebach praedium in Vilingen quod Wernerus de Rocginbach cum curte et molendinis eisdem donavit, auctoritate sua confirmat.

(*a*) Scilicet *Hermanno.*

---

(1) De epocha, vide supra, p. 573, not. 1.

(2) Non dubitandum quin agatur de curia quadam ubi principes et nobiles Saxoniae qui usque adhuc Othoni adhaeserant, Fridericum regem tandem acceptaverunt. Quum haec unica notitia sit et chartae omnino sileant, libentius crediderim Alberti locum in hunc sensum adaptandum esse, quod curia celebrata fuerit, Fridericus vero personaliter non adstiterit.

(Edit. ap. *Schriften der Geschichtvereine zu Baden und Donaueschingen*, p. 196 (Karlsruhe, 1848), ex originali unde sigillum pendet filis sericis rubri et viridis coloris.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie, in perpetuum. In eminenti Romani imperii culmine constituti, omnibus quidem regimini nostro commissis, specialius tamen ecclesiasticis personis, que sub regularis observantia discipline divinis mancipate sunt servitiis, prompto condescendere tenemur affectu et justis earum postulationibus plurimum prebere assensum, ut et regie majestatis excellentia orationibus ipsarum prosperetur et incolumis perseveret, et e vicino ipsius regni providentia pax ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum. Hinc est quod ad petitionem dilecti nostri abbatis et fratrum suorum de Tennibach, predium in Vilingin quod eis pie recordationis Wernherus de Rocginbach fidelis noster, consentiente filia sua, pro remedio anime sue contulit et curtim quamdam in Risolvingin (1), insuper duo molendina in supradicta villa nostra Vilingin, auctoritate regie majestatis nostre confirmamus cum omnibus attinentiis eorumdem prediorum, id est pratis, pascuis, aquis et aquarum decursibus, silvis, agris cultis et incultis, et cum omnibus omnino pertinentiis que vel jam sciuntur vel in posterum scientur ad predia supradicta spectare, que idem Wernherus jure proprietatis in supradictis locis possederat, et eamdem donationem ratam et gratam approbamus. Statuentes ut quicumque eosdem fratres in eisdem prediis ledere presumpserit aut quoquomodo molestare adtemptaverit, gratie se nostre privatione noverit esse plectendum et animadversione condigna ad satisfaciendum predictis fratribus districte cogendum. Ut autem hujus concessionis nostre munificentia fratribus eisdem rata sit et efficax et inviolabiliter perseveret, paginam hanc conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari precepimus.

Testes hujus nostre confirmationis sunt : Theobaldus dux Lothoringie, Sifridus comes de Vienna, Ebirhardus comes de Helfinstein, Ruodolfus de Vosinberg, Henricus de Geroldisecge, Cuono de Tuiffin, Rainaldus dux

---

(1) Videlicet *Reiselfingen*, juxta Löffingen.

Spoleti (1); ministeriales Cunradus de Malberc, Albertus et Heinricus de Shopfheim, Burchardus et Heinricus de Rodirn, Fridericus Cap. de Stoufſinberc, et alii quamplures.

Datum Malberc (2), anno ab incarnatione Domini M. CC. XVIII, IX kalendas decembris, indictione VII.

Apud Fuldam, in solemni curia, decembri.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem Hermanni magistri praeceptoris domorum hospitalis Sanctae Mariae in Teutonia, eidem domui concedit et confirmat omnes concessiones et donationes a se ipso aut a quibuscumque aliis collatas; confirmans insuper eidem nominatim curiam Detern, sicut comes Adolfus eam dinoscitur concessisse.

(Edidit Hennes, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theutonic.*, n° 32, ex originali in archivo Vindobonae.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera que divine pietatis intuitu conferuntur, ea credimus apud Deum locum potissimum optinere que ecclesiis Dei et locis venerabilibus pia contemplatione donantur. Hac igitur ducti consideratione laudabili, diligentius attendentes religionem et honestatem fratrum sacre domus hospitalis Sancte Marie Teutonicorum, ad supplicationem quoque fratris Hermanni magistri preceptoris domorum ejusdem hospitalis in Teutonia, de solita gratia et innata liberalitatis nostre munificentia, concedimus et perpetuo confirmamus omnes concessiones et donationes quas eidem hospitali per privilegia nostra concessisse videremur, sicut in eisdem privilegiis continetur. Concedimus etiam ut quicumque

---

(1) Prima nunc vice occurrit Rainaldus de Urslingen, filius Conradi ducis, cum titulo *ducis Spoleti*. De querelis papae, cf. epistolas Friderici, 10 maii et 6 septemb. 1219.

(2) Verisimiliter *Malberg*, in provincia Treverensi, duobus leucis a Bittburgo distans.

de bonis et concessionibus suis quas ab imperio sive in feodis sive alio jure proprietatis possident, eidem hospitali conferre voluerint, liceat eis libere ac sine aliqua contradictione conferre. De habundanti quoque gratia nostra confirmamus hospitali predicto curiam Detern cum omnibus appenditiis et pertinentiis suis, sicut eam comes Adolfus sibi dinoscitur concessisse et in ejus privilegio plenius continetur. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, prefatam domum hospitalis contra hanc nostram concessionem et confirmationem impedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens privilegium fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Gerardus Bremensis archiepiscopus, Fridericus Halverstadensis episcopus, Sifridus Hildensheimensis episcopus, Cuno Vuldensis et Elewacensis abbas, Ludewicus dux Bavarie et comes palatinus Reni, Ludewicus lantgravius Thuringie, Hermannus comes de Orlamunde, comes Heinricus de Swarzburc et frater suus, comes Guntherus de Keveremberc, comes Hermannus de Harcesburc et frater suus comes Henricus, comes Adolfus de Schowenburc, Wernherus de Bonlanden imperialis aule dapifer et Philippus frater ipsius, Anshalmus de Justingen marscalcus imperii, Ulricus de Mincemberc camerarius imperii, Richardus camerarius, Marquardus notarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia Romanorum regis augusti et gloriosi regis Sicilie (*Monogramma*).

Ego Cunradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt [hec] anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo nonodecimo (1), mense decembri, indictione septima, regnante domino

---

(1) Ex ordine rerum clare tamen liquet documentum anno 1218 adscribendum esse. Nil autem

nostro Friderico secundo, Dei gratia gloriosissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania septimo et in Sicilia vicesimo (1), feliciter. Amen.

Datum apud Fuldam in sollempni curia (2), anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Fuldam, in solemni curia, decembri.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem Hermanni magistri praeceptoris domorum hospitalis Sanctae Mariae in Teutonia, eidem domui concedit et confirmat omnes concessiones et donationes a se ipso aut a quibuscumque aliis collatas; confirmans insuper eidem nominatim patronatum ecclesiae Sanctae Mariae inter Judaeos in Maguntia, quem Wernherus de Bonlanden dapifer et Philippus frater ejus in suis manibus resignarunt.

(Edit. in GUDEN., *Cod. diplomat.*, t. III, p. 1086, — et in HENNES, *Cod. ord. S. Mariae Theutonic.*, n° 33, p. 36.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera que divine pietatis, etc. (*Sequitur ut in praecedenti privilegio usque ad*) liceat eis libere et absque aliqua contradictione conferre. De habundanti quoque gratia nostra patronatum ecclesie Sancte Marie inter Judeos in Maguntia, quem olim Wernherus de Bolanden dapifer et Philippus frater ejus a nobis tenentes in feodo in nostris manibus resignarunt, predicto duximus concedendum. Statuentes et presentis privilegii auctoritate, etc. (*Ut in praecedenti usque ad*) domum hospitalis

---

obstat quin in festo Natali (25 decemb.) datum fuerit; unde notarius licet annum incarnationis verbo expresserit, nativitatis annum in animo habuisse potuerit.

(1) Annus regni Siciliae male notatur, cum tunc temporis vicesimus primus fuerit.

(2) Hujus curiae nulla alia nisi in istis chartis memoria invenitur. Ex litteris Friderici Honorio papae scriptis, 12 januar. 1219, comperimus in hac curia Fuldensi alteram solemniorem apud Magdeburg in quartum decimum martii diem indictam fuisse.

contra hanc nostram concessionem impedire aut molestare presumat, seu etiam confirmationem suprascriptam atque concessiones infringere vel eis quolibet ausu temerario contraire. Quod qui presumpserit, etc.

Hujus rei testes sunt : Sifridus, etc., Cuno Fuldensis et Elewacensis abbas, Ludewicus abbas Hersfeldensis, Ludewicus dux Bawarie, etc. *Sicut in altero.*

Acta sunt hec anno incarnationis dominice M. CC. XIX (1), mense decembri, indictione VII, etc.

Datum apud Fuldam in sollempni curia, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, collationem a praeposito Aquensi et Trajectensi capitulo Sancti Servatii factam de parochia Sancti Johannis in Trajecto confirmat. Apud Francfort, 26 decembris.

(Inedit. e chartul. manuscr. Sancti Servatii, sec. XVI et XVII, ap. Bibl. reg. Paris., tom. II, f. 69 recto, t. III, f. 107 recto.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus ad quos presens littera pervenerit in perpetuum. Quia quicquid ad consolationem et remedium ecclesiarum Dei, presertim que nobis subjecte sunt, novimus rationabiliter conducere, intendimus animo benigno promovere et promota perpetualiter roborare, purum factum clerici nostri prepositi Aquensis et Trajectensis, quod de parochia Sancti Johannis in Trajecto quam capitulo Sancti Servatii ad usus eorum deputavit conferendo, proinde ordinavit (2), ratum per omnia habemus et firmum; ipsam collationem regia confirmantes auctoritate; sub pena quoque nostre in-

---

(1) Vide supra, p. 577, not. 1.

(2) Collatio autem Ottonis praepositi Aquensis et Trajectensis capitulo Sancti Servatii facta est, hoc anno 1218, mense julio.

dignationis inhibentes firmiter ne aliquis hominum predicte ordinationi temere presumat contraire. Quod si aliquis attemptaverit, sciat se gratie nostre offensam graviter incursurum.

Datum apud Francofurtum, septimo kalendas januarii, anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, indictione VII[a].

Apud Frankenfurt, 27 decembris.

Fridericus, Romanorum rex, notam facit et confirmat sententiam in curia sua latam, videlicet quod Henricus dux Brabantiae de universis bonis quae de ejus ducatu moventur, de jure tutor omnium haeredum habeatur.

(Edider. Butkens, *Trophées du Brab.,* t. I, p. 66. — Senckenberg, *Corp. jur. feud.*, p. 756. — Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 230.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Universis ad quos presens littera pervenerit notum facimus quod nobis existentibus apud Francofurt, in presentia nostra talis fuit lata sententia pro dilecto nostro principe Henrico duce Brabantie et a principibus approbata quod de universis bonis que de ducatu suo moventur, omnium heredum mortuis parentibus de jure tutor habeatur; et quia sententie rationabiliter late debeamus regium prestare firmamentum, ipsam regali confirmamus auctoritate, inhibendo et sub obtentu gratie nostre precipiendo ne aliquis hominum confirmationi nostre contraire presumat. Si quis contra attentaverit, sciat se penam gratie nostre graviter incursurum.

Datum apud Francofurt, sexto kalendas januarii, indictione septima, anno M. CC. XIX.

ANNO 1219. — INDICTIONE 7.

Fridericus, Romanorum rex, privilegium monasterio Waltsassen concessum renovans, sicut officiatum suum a consuetis judiciis in villis ejusdem monasterii suspendit, ita in omnibus advocatiis ejus hoc faciendum praecipit; simul etiam domum in Egra a Philippo rege ei concessam liberam esse declarat, et beneficia a fidelibus suis oblata memoratae ecclesiae corroborat.

Apud Trevirem, 3 januarii.

(Editum ap. *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars 1ª, p. 492, e libro cop. membran. seculi XIII finientis.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, fidelibus suis H. judici ceterisque ministerialibus de Egra gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre presentibus litteris duximus significandum quod nos pro remedio anime nostre de bona voluntate abbatem et conventum de Waltsassen privilegii apud Egram dati (1) confirmatione semper gaudere statuimus, tum quia predicta abbatia specialiter nobis attinet, tum quia Cisterciensis ordinis jura decernunt ut bona ipsorum sine respectu terrene utilitatis divino intuitu protegamus. Sicut ergo nos a consuetis judiciis in villis eorum propter pacem prefate ecclesie officiatum nostrum suspendimus (2), ita universitati vestre in omnibus advocatiis ipsorum faciendum districte precipimus, quia inconsequens videretur et esset ut ecclesia quam sine respectu alicujus nostre utilitatis libertate donavimus, a vobis vel a vestris villicis in servitutem redigeretur. Preterea predictis fratribus domum suam in Egra, sicut

(1) Scilicet 10 junii 1214, p. 302.
(2) Cf. insuper documentum datum ap. Nuremberg, octobri 1218, p. 572.

bone memorie patruus noster Philippus rex concessit, liberam esse concedimus, nec non et beneficia a vobis vel a parentibus vestris oblata secundum antiqua et nostra privilegia memorate ecclesie perpetua stabilitate firmamus.

Datum apud Trevirem, III nonas januarii (1), per manum C. Metensis et Spirensis episcopi et imperialis aule cancellarii.

Hagenowae, 11 januarii.

Fridericus, Romanorum rex, civibus Argentinensibus omnem quem contra eos conceperat rancorem remittit, conceditque ut quamdiu fideles sibi fuerint, non extra formam juris molestentur nec ullam superimpositionem dare cogantur, sed in omni jure quo temporibus praedecessorum suorum fruebantur consistant.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 335, nº CCCCXI, e cod. civit. Argent., sec. XIV.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis consilio et universis civibus Argentinensibus gratiam suam et bonam voluntatem. Considerata puritate devotionis vestre quam nostre eminentie honesti nuntii vestri tam sagaciter quam fideliter exposuerunt, ut de cetero de preteritis excessibus emendati ad obsequia imperii et ad fidelitatis circa regiam nostram majestatem observantiam animo sitis ferventiores, omnem rancorem quem non immerito contra vos conceperamus ex innata nobis benevolentia pure remittimus, tam vestre universitati quam singulis imperii fidelibus presentis

---

(1) Annus Christi et indictio desunt. Cum autem Fridericus Francofurto Hagenoam rediens apud Trevirem morari potuerit, ad hunc ann. 1219 documentum referimus. Boehmerus tamen (*Regest.*, *Uneinreihb. stücke,* p. LXXXIII) ann. 1215 notavit, quo apud Metios non procul a Treveris, rex ineunte januario versabatur. Ex praesentia vero Conradi cancellarii et ex documento de judicibus praecedente anno pro Waldsassen expresso, anno potius 1219 sistendum credimus.

scripti patrocinio innotescentes tam personas quam res vestras in regia esse constitutas protectione; sub interminatione gratie nostre districtius precipientes ut quamdiu in firmitudine fidelitatis erga nos et imperium permanseritis, nullo unquam in loco Romani imperii ab aliqua persona sive ecclesiastica sive seculari aliquis vestrum extra formam juris impediatur aut molestetur vel in judicium trahatur. Ad majorem quoque gratie nostre erga vos evidentiam, volumus vos consistere in omni jure et honore atque constitutione, sicut a divis progenitoribus nostris avo, patre atque patruo nostro, inclitis Romanorum regibus et imperatoribus, eorum sublimati fuistis temporibus. Nullam quoque petitionem seu exactionem aut superimpositionem per totum imperium dare vos volumus, nisi talem qualem temporibus serenissimorum nostrorum progenitorum usque ad hec tempora dare consuevistis. Ut itaque hec largitatis nostre concessio vobis quamdiu fideles nobis inventi fueritis firma permaneat, hoc scriptum vobis indulsimus, sigillo regie majestatis nostre communitum.

Interfuerunt testes Cunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, Ludowicus comes palatinus Rheni et dux Bawarie, Wernherus de Bonlant dapifer et Anshelmus de Justingen marescalcus imperii, Philippus de Bonlant, Hainricus de Sarffenecke, et alii plures.

Datum Hagenowe, anno Domini M. CC. XVIIII, tertio idus januarii, indictione septima.

Fridericus, Romanorum rex, praeposito, decano et capitulo ecclesiae Sanctorum Martyrum Felicis et Regulae apud Thuregum notum facit quod cum compererit servitium Dei in ecclesia Thuregensi deperire, propter quod quidam canonici extera beneficia possideant, se ad preces burgensium, ex consilio cancellarii sui, consentientibus consanguineo suo palatino Rheni, duce Bavariae et caeteris, statuisse ut nemo ibi praebendam habeat, nisi ad eamdem ecclesiam pertineat aut civitate sit oriundus. Hagenowiae, 11 januarii.

(Memorat. a Meyer von Knonau, *Regest.* ap. *Archiv für Schweiz. geschichte*, t. I, p. 87.)

Datum Hagenowie, anno Domini M. CC. XVIIII, III idus januarii, VII indictionis.

Apud Hagenowe, 12 januarii.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae scribit se propter difficilem exercitus Christiani in Terra Sancta statum, pia sollicitudine motum, omnibus crucesignatis terminum indixisse et in Fuldensi curia solemnem aliam curiam de hac re apud Magdeburg in media quadragesima convocasse; hortatur papam ad excommunicationem intentandam eis qui ad festum Sancti Johannis Baptistae iter non arripuerint. Petit insuper ut per coercitionem Henricum ducem de Brunswick ad assignanda sibi insignia imperialia inducere velit.

(Memorat. et extr. ap. Raynald., *Annal. ecclesiast.*, t. I, ad ann. 1219, § V, e regest. Honor., lib. III, epist. 272, et ap. Raumer, *Gesch. der Hohenst.*, edit. 2ª, t. III, p. 174.)

Sanctissimo patri et domino Honorio, Dei gratia sacrosancte Romane sedis summo pontifici, Fridericus eadem gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, commendationem et reverentiam tam debitam quam devotam. Receptis devotione debita litteris apostolice sanctitatis et intellectis Terre Sancte rumoribus, per easdem et gavisi plurimum fuimus et vehementius contristati : gavisi si quidem quod, sicut nobis et universis Christi fidelibus per certa datur indicia cognoscendum, vult omnipotens Deus terram illam de manibus hostium liberare; contristati quod, nisi succurratur exercitui Christiano tam celeriter quam potenter, imminet vincendi desperatio manifesta. Nos autem his et aliis subtiliter indagatis, cognoscentes ad oculum quod major nunc instat necessitas quam unquam institerit ut Terre Sancte necessitatibus succurratur, et

maxime Christiano exercitui, qui pro Christi nomine in magno discrimine constitutus aut nullo medio necesse habeat vincere aut perire (1) : quod si exigentibus peccatis nostris accideret, ille dispendiosissimus labor qui pro Terre Sancte recuperatione assumptus totum orbem christianum concussit, non sine perpetui doloris memoria, quod Deus avertat, irritus redderetur; considerantes etiam, immo ad animum et cor nostrum plenius reducentes quod et quantum pro nobis operata sit divine dextera pietatis, que dum essemus omni solatio destituti, ad avitum (*a*) nos regnum et imperium non nostris meritis, sed sola misericordia sublimavit, firmum propositum de succursu Terre Sancte cordi nostro diutius reservatum, avide (*sic*) necessitatis instantia intellecta, firmius roborantes, edictum omnibus crucesignatis indiximus ut ad preparationem ipsorum sic omni studio elaborent, ut in termino quem eis dabimus subsequentem parati sint cessante contradictione transire. Demum ut demonstretur in opere quod de subsidio Terre Sancte diu gessimus in affectu, in presentia multorum principum qui ad mandatum nostrum in Fuldensi curia fuerant congregati, solemnem immo generalem curiam apud Magdeburch in media quadragesima duximus indicendam, omnibus principibus presentibus et absentibus injungentes ut ad curiam conveniant nominatam. Quia per Dei gratiam posse nobis adjacet ut quicquid voluntatis et propositi nostri sit, presertim de commodo et honore imperii, tam principibus quam aliis precipere libere valeamus, tanquam qui per Dei gratiam et Romane Ecclesie imperium et jura imperii, sopitis erroribus et discordiis universis, potenter et viriliter possidemus, per sententiam principum duximus inviolabiliter statuendum ut quicumque de princi-

(*a*) Ap. Raynaldum *victum*, male.

(1) 27 maii 1218, Christianus exercitus ad oras AEgypti appulerat, et 24 augusti turrem Nili, fortissimum Damiatae praesidium, expugnaverat. Sed mox per inertiam, desertionem et continuas Soldani aggressiones debilior factus, in summo discrimine positus est. « Dispositum » fuerat in concilio generali ut eo anno in kalendis julii crucesignati iter arriperent. Multi de » partibus Alemanniae proficiscuntur. Ast ne pergant in civitatibus Apuliae impediuntur. » *Conr. Ursperg.*, ad ann. Quam prohibitionem etiam exprobrat papa in litteris sub nomine Thomasii de Capua editis. Unde non sine justa causa de fide Friderici diffidendum videtur.

pibus totius imperii curie non intererit supradicte, terra privari debeat et honore, nisi persone manifesta lesione vel magna infirmitate gravatus (*a*). [Rogat insuper papam ut in omnes principes, nobiles et crucesignatos qui ad festum Sancti Johannis Baptistae iter non arripuerint, excommunicationem intentet; imperium et imperii jura per patentes litteras in sua protectione suscipiat; omnes principes sub poena anathematis ad obediendum ei quem ipse rex vicarium instituerit inducat, et contra omnes qui jura imperii usurpant vel injuste detinent excommunicationem denuntiet. Pergit petens ut comitem Heinricum de Brunswick pro eo quod coronam, lanceam et alia insignia sibi non resignaverit, per episcopos Halberstadensem et Hildensemensem excommunicari et civitatem Brunsvicensem pro eo quod sibi non intendat, interdicto supponi faciat; denique nullum crucesignatum retro morari patiatur, nisi illum qui de sua et principum voluntate suum in imperio locum obtinebit. De successu vero expeditionis sacre in Germania superest amodo ut papae omnimodis imputetur, si ex ejus neglectu depereat quod utilitas universitatis expectat. Unde litteras de hac re citius expediri convenit, ad quas publice legendas principes quum illas receperint induci debeant.]

Datum apud Hagenowe, II idus januarii, indictione VII.

Apud Haguenau, februario.

Fridericus, Romanorum rex, hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Hierusalem casale Miserellae in tenimentis Cephalae perpetuo concedit, et specialiter domui Theutonicorum Sanctae Trinitatis de Panormo omnes villanos Politii, terram Artilgidiae, aliaque casalia ibidem expressa, cum confirmatione jurium et immunitatum in regno Siciliae.

(Ediderunt Mongitore, *Mansionis S. Trinit. monum. Histor.*, p. 20, ap. Graevium, *Thes. antiq. Sicil.*, t. XIV. — Hennes, *Cod. diplom. ord. Theutonic.*, p. 38, n° 36.)

(*a*) Haec omnia, a verbis *Quia per Dei*, addimus ex Boehmero (*Regest.*, p. 95 et n° 249), qui plura ex copiis sibi a Pertz communicatis supplevit.

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Dignitas regia tunc multimodis preconiis ampliatur et rutilat, cum ecclesiarum et locorum venerabilium utilitatibus clementer invigilat et ea suis intendit beneficiis ampliare. Hac igitur consideratione inducti, attendentes honestatem et religionem sancti hospitalis beate Marie Teutonicorum in Hierusalem, pro animabus felicium parentum nostrorum domini imperatoris et domine quondam imperatricis bone memorie, de gratia et consueta munificentia nostra, sicut olim concessimus (1), ita de novo ipsi hospitali perpetuo concedimus casale Miserelle in tenimentis Cephale cum molendino et omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis. Concedimus etiam domui Sancte Trinitatis de Panormo que est dicti hospitalis Hierusalem, omnes villanos casalis Politii ubicumque sunt, et terram que est prope domum Sancte Trinitatis que dicitur Artilgidie, et terram in qua fuit massaria que est inter jardinum Sancte Trinitatis predicte et murum civitatis nostre Panormi in loco qui dicitur Alcza. Insuper concedimus et confirmamus predicto hospitali Sancte Marie casale quod dicitur Sancta Maria de Gerardo in tenimento Raguse, inter Modicam et Ragusiam, cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis; quod casale Ansaldus filius Goffridi de Juntaquez, jure patrimonii sibi pertinens, gratuita et bona voluntate sua pro remedio anime sue et parentum suorum eidem hospitali obtulit et concessit. Preterea eidem ecclesie Sancte Trinitatis in perpetuum confirmamus quecumque dominus imperator, domina imperatrix, divi parentes nostri bone memorie, ipsi hospitali et omnibus suis domibus que sunt in regno nostro [concesserunt]. Concedimus ut liceat ipsis de cetero sine aliqua datione vel plateatico vel portulatico intromittere vel introducere tam per mare quam per terras et portas quecumque voluerint, vendere vel emere seu alienare tam in civitate Panormi quam per totum regnum pro negotiis et servitiis ipsius hospitalis et domorum ejus, que sunt in regno nostro, et ut liceat fratribus ipsius hospitalis et domorum ejus de regno libere et sine datione, plateatico et portulatico extrahere per mare vel

(1) Vid. supra documentum, decemb. 1202, p. 96.

per terram per totum regnum quecumque voluerint, et mittere ultra mare ad predictum hospitale Sancte Marie Theutonicorum Hierusalem. Ad cujus rei memoriam presens scriptum inde scribi et sigillo nostri characteris jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Moguntinus archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Eberardus Salzburgensis archiepiscopus, Henricus Wormatiensis episcopus, Jacobus Taurinensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie et palatinus comes Reni, Albertus dux Saxonie, Henricus dux Brabantie, Gulielmus marchio Montisferrati, Hermannus marchio de Baden, Philippus et Wernerus fratres de Bonlandia, Anselmus (*a*), et alii quamplures.

Signum domini Friderici imperatoris Romanorum, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Sancte Moguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense februarii, indictione septima, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus (*b*) in Germania septimo, in Sicilia vero vigesimo, feliciter. Amen.

Datum apud Hagenoe, anno, mense et indictione suprascriptis.

Apud Haguenau, februario.

Fridericus, Romanorum rex, domui et ecclesiae Sanctae Trinitatis apud Panormum renovat privilegium quondam a se ipso eidem concessum, de barca una ad usum piscandi in mari et in portu Panormi libere et sine aliquo jure vel datione.

(*a*) In impressis *Anshanlz*, male.

(*b*) In impressis *regiminis*, minus recte.

(Edid. Mongitore, *Mans. S. Trinit. monum. Histor.*, p. 19, ex autographo.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Quod sacrosanctis ecclesiis et venerabilibus locis Deo inspirante largimur, in nostris laudabiliter erariis congregamus, quia nihil in proprietatem alicujus redigitur sicut id quod humiliter et devote omnium conferimus largitori. Ea propter nos attendentes celebrem cultum religionis et ordinis fratrum Sancte Marie videlicet domus hospitalis Theutonicorum Hierosolimitani, sicut olim (1) intuitu devotionis fratris Gerardi magistri domus Sancte Trinitatis constructe infra civitatem nostram Panormi, predicti hospitalis ordini a divis augustis parentibus nostris bone memorie laudabiliter concesse, pro salute nostra necnon et pro remedio animarum ipsorum parentum et aliorum felicium regum predecessorum nostrorum, de solita munificentie nostre gratia concessimus, ita de novo concedimus ipsi domui et ecclesie Sancte Trinitatis de Panormo, donavimus et in perpetuum donamus barcam unam ad usum piscandi in mare et in portu civitatis nostre Panormi libere et sine aliquo jure seu datione, tam ad opus fratrum et confratrum et hominum ipsius ecclesie quam ad aliam utilitatem exinde faciendam. Statuentes et firmiter mandantes ut amodo nullus secretus, portulanus, cabellotus seu quilibet alius ipsi ecclesie, magistro vel confratribus in ea manentibus vel hominibus aut marinariis qui in barca ipsa fuerint ad piscandum statuti, molestiam vel violentiam occasione juris dohane nostre piscium inferat vel per dationem aliquam fatigare presumat; sed tam barcam ipsam quam et omnem capturam piscium, retia etiam et omnes apparatus barce in mare et in terra intrando et exeundo predicta ecclesia cum omni jure quod exinde ad doanam nostram pertinere posset, libere et in pace possideat et habeat, et omni tempore sine cujuslibet contradictione voluntatem suam exinde facere possit. Ad cujus rei memoriam presens scriptum inde scribi et sigilli nostri caractere jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Sigifridus Moguntinus, etc. (*Sicut in altero usque*

---

(1) Vid. supra documentum, septemb. 1206, p. 121.

ad :), Ansehalmus marescalcus de Justingen, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici, etc. *Ut in altero.*

Ego Conradus, Dei gratia Metensis, etc.

Acta sunt hec, etc.

Datum apud Hagenoe, etc.

Apud Haguenau, februario.

Fridericus, Romanorum rex, domui Sanctae Trinitatis apud Panormum hospitale Sancti Johannis infirmorum committit, et praedicti hospitalis bonos usus et consuetudines confirmat.

(Edid. Mongitore, *Mans. S. Trinit. monum. Histor.*, p. 21, ex autographo.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum ad nostre cumulum respiciat majestatis circa omnium ecclesiarum utilitates intendere, tanto benignius indempnitati hospitalis Sancti Joannis infirmorum invigilare tenemur, quo magis opus et factura manuum predecessorum nostrorum recolende memorie dignoscitur extitisse. Hinc est igitur quod cum ex vastitate inimicorum crucis hospitale ipsum Sancti Joannis molestiis plurimis transactis temporibus videremus oppressum, fratri Gerardo magistro domus Sancte Trinitatis in Panormo, qui nobis et parentibus nostris felicis recordationis tam fideliter quam devote servitia grata exhibuit, ipsum hospitale cum tenimentis et pertinentiis suis et casalia que semper tenere et possidere videbatur, commisimus tenendum, colendum, conservandum atque ampliandum, ita ut infirmi leprosi undique venientes ibidem more solito custodiantur et degant. Quapropter de innata nobis benignitate ipsi hospitali concessiones, possessiones atque donationes que ei a predictis predecessoribus nostris facte fuerunt, perpetuo confirmamus necnon et omnes bonos usus et consuetudines quas infirmi ibi degentes habere consueverunt. Preterea magister qui [ad] administrationem ipsius hospitalis

necessarius fuerit, legitime et de mandato magistri hospitalis Alemannorum quod est in ultramarinis partibus, in ipsum hospitale substituetur, dummodo talis sit quod nostre complaceat majestati et ad custodiam ipsorum infirmorum idoneus sit, et similiter ex nostra concessione ipsum hospitale teneat, colat et amplificet, et ibidem, ut predictum est, infirmi leprosi undique venientes more solito recipiantur et degant. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum inde scribi et sigilli nostri charactere jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Moguntinus, etc. (*Sicut in altero et praecedenti.*)

Signum domini Friderici, etc. *Ut in altero.*

Ego Conradus, Dei gratia Metensis, etc.

Acta sunt hec, etc.

Datum apud Agenove, etc.

Honorius papa Friderico Romanorum regi nuntiat se ad eum priorem Sanctae Mariae Novae de Urbe mittere, qui Henricum Saxoniae ducem commonefaciat ad resignanda insignia imperialia; hunc si mandata respuerit anathemate feriendum decernens. Laterani, 8 februarii.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1219, § XXIII, e regest. Honor., lib. III, epist. 273.)

Honorius, etc., Friderico, etc. Cum tam litteris quam nunciis tuis nobis intimare curasti quod nobilis vir H. dux Saxonie insignia imperialia detinet et tibi resignare contemnit, nos tuis aspirantes profectibus et honori, dilectum filium priorem Sancte Marie Nove de Urbe, virum utique magni consilii et honestate perspicuum, ad te duximus destinandum ut ipsum commonefaciat vice nostra et eo mediante ipsa regie serenitati resignet; ad quod illum monere ac hortari nostris curavimus litteris diligenter, etc. [Monet Fridericum uti ducem in gratiam recipiat

si monitis pontificiis paruerit. Si vero respuerit jussa, certiorem facit datam Halberstadensi et Hildesemensi episcopis provinciam ut ipsum anathemate percellant ac Brunswicum ecclesiastico interdicto subjiciant.]

Datum Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno III.

Laterani, 11 februarii.

Honorius papa Fridericum Romanorum regem et imperium in sua protectione suscipit, et quem Fridericus loco sui in imperio vicarium instituerit confirmat.

(Memorat. ap. Raumer, *Gesch. der Hohenst.*, t. III, edit. 2[a], p. 175, et in *Indice litter. Honor.*, ap. coll. Laporte du Theil, lib. III, epist. 278.)

Datum Laterani, III idus februarii, anno III.

Laterani, 11 februarii.

Honorius papa Friderico Romanorum regi et caeteris cum eo crucesignatis excommunicationem intentat, nisi ad proximum Sancti Johannis Baptistae festum iter versus Damiatam arripiant.

(Memorat. ap. Raynaldi, *Annal. eccles.*, ad ann., § VII, ex regest. Honor., lib. III, epist. 279.)

Datum Laterani, III idus februarii, anno III.

Apud Spiram, 10 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, pro gratis civium Astensium servitiis, per totum districtum civitatis plenariam jurisdictionem eis concedit et confirmat, simulque universas consuetudines quibus uti consueverunt et omnia jura imperio attinentia.

(Edid. J. Durandi, *Saggio sulla lega Lombarda*, p. 74, ap. *Memor. della Accademia di Torino*, t. XL. — In copia seculi XVII quam Bethmannus ap. Taurinum transcripsit, februarius mensis exhibetur sine notatione diei. — Memorat. ap. Molina, *Notiz. stor. della citta d'Asti*, t. II, p. 151.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Consuevit regalis munificentia suos quosque fideles beneficiis ditare et honoribus ac muneribus ampliare. Inde est quod notum fieri volumus omnibus ad quorum evidentiam presens privilegium pervenerit, quod nos attendentes puram fidem et sinceram devotionem quam fideles nostri Astenses et ipsum commune Astense nostris progenitoribus divis augustis domino Friderico avo et domino Henrico patri nostro ac etiam regi Philippo patruo nostro felicis memorie, nobis quoque in necessitatis articulo et nostre promotionis initio in omnibus et per omnia fideliter exibuerunt et in posterum sese exibituros non dubitamus, ipsis Astensibus et communi Astensi dilectis fidelibus nostris ob retributionem sui benemeriti donamus, concedimus et confirmamus in perpetuum plenariam jurisdictionem tam in civilibus quam in criminalibus causis aliisque omnibus que ad jurisdictionem pertinere videntur in civitate Astensi et extra, per totum districtum ejusdem civitatis, in hominibus et possessionibus quos et quas ipse commune detinet vel alius pro eo possidet seu quasi possidet vel de cetero justo titulo poterunt adipisci; confirmantes eidem communi seu civitati universas consuetudines quas hactenus ipsum commune habuit seu (*a*) quibus uti consuevit, et specialiter in maleficiis puniendis, sententiis dandis, munitionibus constituendis et destruendis, aliisque omnibus que ad utilitatem et regimen, tuitionem et munimen civitatis pertinent tam in civitate quam extra, secundum morem aliarum nobilium civitatum Lombardie, et omnia privilegia dicte civitati pertinentia similiter confirmamus, excepto castro Noni cum pertinentiis suis. Concedentes insuper eidem communi et civitati omnia jura imperio et nobis nomine imperii pertinentia, in rebus tam mobilibus quam immobilibus et possessionibus et hominibus quos vel quas prefatum com-

(*a*) In impresso *que*, minus recte.

mune seu civitas possidet vel detinet vel alius pro eis; ita ut de cetero predicta civitas Astensis vel predictum commune perpetuo predictis omnibus utatur et fruatur et omnia ista habeant et libere teneant absque nostra nostrorumque successorum contradictione, et Deo volente predictis Astensibus fidelibus nostris multo majora largiemur. Statuimus igitur et regali edicto sancimus ut nullus episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, civitas vel commune, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, huic nostre concessioni et confirmationi obviare presumat. Quod si facere attentaverit, in ultionem et penam sue temeritatis mille libras auri puri componat, quarum medietas camere nostre, reliqua vero patientibus injuriam persolvatur. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, presens privilegium conscribi et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Magdeburgensis archiepiscopus, Warmatiensis episcopus, abbas Sancti Galli, Taurinensis episcopus Italie vicarius (1), Novariensis episcopus, Hyporegiensis episcopus, dux Bavarie et comes palatinus Rheni, dux Saxonie, dux Brabantie, Guilielmus marchio Montisferrati, dux Spoleti, Varnerius de Bollanda dapifer, Philippus frater ejus, Anselmus de Justing marescalcus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici II, Romanorum regis, semper augusti, et regis Sicilie.

Ego Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, vice domini Sifredi Moguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XIX, X mensis fe-

---

(1) In compromisso inter episcopum et commune de Novaria, sub die 25 octobris 1219, legitur: «Cum commisissent se arbitrio domini Jacobi Taurinensis episcopi, *domini regis vicarii.*» Antea vero scilicet 7 maii, dum idem Jacobus cum Guilielmo marchione Montisferrati Italiam remeasset pro negotiis imperii expediendis, Henrico potestati Bononiensi mandavit ut populum Imolensem molestare cessaret. Potestate vero ipsum tanquam *regium vicarium* super ista petitione recognoscere renuente, episcopus ira commotus Bononiam banno imperiali supposuit. Cf. Durandi, *loco citato*, p. 74; Sigonio, *Regn. d'Ital.*, lib. XVI, p. 909, in edit. Murat., et praesertim Savioli, *Annal. Bologn.*, t. II, pars II, p. 405, nº 467.

bruarii, indictione VII, regnante domino nostro Friderico II, Dei gratia excellentissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania VII, et in Sicilia XXII (*a*), feliciter. Amen.

Datum apud Spiram per manus Henrici imperialis aule prothonotarii, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, Roffino filio quondam comitis Roffini et Henrico filio quondam comitis Guidonis, comitibus palatinis, omnia jura et privilegia quae a praedecessoribus suis habuerunt confirmat, eos per ensem investit, concessionesque in eorum praejudicium cuicumque personae et maxime Gallino de Aliate Mediolanensi ab Ottone quondam imperatore indultas, omnino cassat et revocat. Apud Spiram, 19 februarii.

(Edidit Robolini, *Notiz. storich. di Pavia,* t. IV, 1ª pars, p. 375, ex *Allegat. civit. Papiae reintegrandae,* fol. 107. Suppletur notitia diei ex copia authentica anni 1640 ap. Papiam, ut monet Boehmerus, qui nescimus qua causa suspectum hoc documentum habet.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Si justa fidelium petitio benignum assequitur benivoli de favore regnantis assensum, et in eis ex fide debitus serviendi crescit affectus et per eorum obsequia regalis solii titulus exaltatur. Inde est igitur quod per presentem paginam universis nostri imperii fidelibus notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod Roffinus filius quondam comitis Roffini et Henricus quondam comitis Guidonis, comites palatini (1), dilecti fideles nostri, ad nostram presentiam accedentes tam pro

(*a*) Recte tamen *XXI.* Quod in sequentibus quoque corrigendum.

---

(1) Ii sunt *comites de Lomello*, Papienses, ut monet Robolini.

se quam pro aliis comitibus de domo eorum nobis humiliter supplicarunt quatenus sue devotionis intuitu, quam omni tempore erga divos augustos progenitores nostros et nos etiam habuerunt, omnia privilegia et jura sua que a memoratis predecessoribus et maxime ab avo et patre nostro divis augustis recolende memorie dictorum comitum predecessores usi sunt, prout in privilegiis suis manifeste continetur, ac omnia que juste et rationabiliter sunt adepti (*a*). . . . .

. . . .

Insuper de mera liberalitate nostra, de eorum comitatu cum justitiis et dignitatibus suis per ensem juxta consuetudinem, tam pro se quam pro aliis comitibus de domo sua, ipsos investivimus. De abundantiore quoque munificentia nostra, confirmamus et ratam habemus sententiam latam a legatis quondam divi Federici imperatoris avi nostri recolende memorie et ipsam postmodum in Lombardia confirmatam, videlicet quod predicti comites palatini, cum imperator fuerit in Lombardia, ante ipsum debent de suo comitatus jure ensem portare. Cassamus etiam et inrita esse decernimus concessiones, privilegia et dona facta ab Ottone quondam dicto imperatore alicui persone in prejudicium memoratorum comitum et dignitatum suarum, et maxime Gallino de Aliate vel alicui persone de domo sua civi Mediolanensi, de licentia sibi indulta super notariis ordinandis, non obstante aliqua temporis prescriptione que ipsis comitibus posset prejudicium irrogare. Mandantes et presentis privilegii auctoritate firmiter statuentes ut quecumque persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hanc confirmationem, investituram et cassationem nostram ausu temerario venire presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas fisco imperiali, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut [autem] hec auctoritatem, robur et firmitatem obtineant perpetuo valitura, presens privilegium inde scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Taurinensis episcopus Italie legatus, Nova–

(*a*) Hujus periodi finis et regiae confirmationis notatio desunt, verisimiliter ex prioris amanuensis negligentia; sensus vero facile suppletur.

riensis episcopus, Yporegiensis episcopus, marchio Montisferrati (*a*), et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XIX, XIX mensis februarii, septima indictione, regnante domino Federico, Dei gratia Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno vero regni Romanorum ipsius in Germania septimo, et in Sicilia vicesimo, feliciter. Amen.

Datum apud Spiram per manum Henrici regalis aule prothonotarii, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, nullam declarat alienationem communi Cariensi factam ab ecclesia Taurinensi de castello Montosoli sine consensu imperii, a quo illud in feudum tenebat episcopus.

Apud Spiram, 21 februarii.

(Edit. curante Dom. Promis, ap. *Hist. Patr. monum.*, chart., t. I, col. 1256; ex origin. in archivo archiep. Taurin., categ. I, mazzo 1, nº 14. — Ediderat quoque CIBRARIO, *Storie di Chieri*, t. II, docum. p. 73, cum nota chronologica *VIIII kal. marcii;* quam isti *IIII kal. marcii* in monum. Taurin. admissae anteponimus.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis imperii fidelibus ad quos littere iste pervenerint gratiam suam et bonam voluntatem. Quia ecclesia Taurinensis castellatam de Montoxolo tenebat in feudum ab imperio, alienationem ipsius factam in homines Carienses (1) absque nostra vel predecessorum nostrorum conscientia vel consensu auctoritate regia penitus et omnino cassamus, restituentes in omnibus pristinum jus ecclesie Taurinensis.

(*a*) Ex caeteris hujus temporis documentis patet amanuensem, forsan abbreviandi causa, ex originali privilegio tantummodo testes italicos desumpsisse.

---

(1) Alienatio autem facta fuerat, ut Cibrarius docet, ex pacis foedere in anno 1200, decimo die februarii, composito.

Datum apud Spiram, M. CC. XVIII (1), VIIII kalendas marcii, indictione VII.

Apud Spiram, 21 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, Jacobo Taurinensi episcopo, vicario et familiari suo, facultatem concedit pecuniaria banna imponendi pro juribus et libertatibus ecclesiae suae tuendis.

(Edit. curante Dom. Promis, ap. *Hist. Patr. monum.*, chart., t. I, col. 1258, ex originali in archivo archiep. Taurin., categ. I, mazzo 1, n° 20, de quo pendet sigillum.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis imperii fidelibus ad quos littere iste pervenerint gratiam suam et bonam voluntatem. Quia spiritualis gladius (*a*) materiali debet presidio adjuvari, Jacobo venerabili episcopo Taurinensi, dilecto vicario et familiari nostro, et ejus catholicis successoribus benignius indulgemus ut auctoritate nostra et imperii per banna pecuniaria, quorum medietas nostre et imperii camere applicetur, residua parti lese, et libertatem ecclesie ac jura ecclesiastica tueantur per totam diocesim Taurinensem.

Datum apud Spiram, M. CC. XVIIII, VIIII kalendas marcii (2), indictione VII.

Apud Spiram, 21 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, Guillelmo marchioni Montisferrati,

(*a*) In impresso, sed sine dubio per typographi mendam, legitur *gaudius*.

(1) Licet nulla anni mentio fiat, nil dubium est quin annus incarnationis intelligendus sit.

(2) Hae litterae, licet ad mensem martium editor retulerit, in februario reponendae videntur; quum lacuna per verbum *kalendas* compleri debeat, addito numero eodem quod in documento praecedenti legitur, sicut ex copia a Bethmanno transumpta exhibetur.

consanguineo et fideli suo, per investituram concedit castrum Paciliani, castrum Torcelli, duo castra in ripa Padi quae vocantur Cuniolia, cum burgo Paciliani et territoriis dictorum castrorum, juribus eorumque pertinentiis.

(Edider. Benven. de S. Georg. ap. Murator., *Script. rer. Ital.,* t. XXIII, p. 375. — Guichenon, *Bibl. Sebus.,* p. 166.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, dilecto consanguineo et fideli suo Guilielmo marchioni Montisferrati et ejus heredibus in perpetuum. Decet regalem majestatem justas fidelium suorum postulationes clementer admittere et eas congruis honoribus et beneficiis benignissime decorare ac suis muneribus ampliare. Propterea regia liberalitate concedimus, largimur, investimus et donamus, de consensu et voluntate principum nostrorum, tibi dilecto consanguineo nostro Guilielmo marchioni Montisferrati et tuis heredibus, ob tuum insigne obsequium et antecessorum tuorum, castrum Paciliani et castrum Torcelli et duo castra que sunt in ripa Padi que vocantur Cuniolia, cum burgo Paciliani et villis et curtibus et territoriis dictorum castrorum, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, cortilibus et districtibus; conferentes in te et heredes tuos quicquid imperium habet vel visum est habere in dictis castris et pertinentiis dictorum castrorum, in fidelitatibus, exercitibus, angariis, aquis, pascuis et piscationibus, venationibus, placitis, bannis, successionibus, pratis, paludibus, cultis et incultis, molendinis, pontibus et pontium munitionibus et specialiter pontis Cuniolii, cum aquis Padi et alveo et utraque ripa (*a*), sicut pretenduntur curtes predictorum castrorum et generaliter in omnibus aliis, ut tantum valeat hec clausula generalis ac si omnia essent specialiter nominata. Predictorum autem omnium tibi et heredibus tuis liceat possessionem vel quasi possessionem de mandato et auctoritate nostra propria auctoritate apprehendere per te vel proprium nuntium. Concedentes tibi et heredibus tuis dominium

(*a*) Ap. Guichenon *ex utraque parte cum ripa.*

vel quasi omnium predictorum, etiam si possessionem vel quasi possessionem non apprehenderis, ac si essent per te apprehensa. Nulli igitur persone parve vel magne, ecclesiastice vel seculari, vel communi civitatum seu locorum liceat hanc paginam violare vel modo aliquo contraire. Si quis autem contra hec venire tentaverit, decem millia marcharum auri penam incurrat, quarum medietas nostre camere inferetur, reliqua vero passo injuriam persolvatur.

Hujus rei testes fuerunt : archiepiscopus Maguntinus, archiepiscopus Magdeburgensis, episcopus Vormaciensis, Jacobus episcopus Taurinensis et imperialis aule vicarius, . . . Ipporegiensis episcopus, Novariensis episcopus, abbas Sancti Galli, dux Bavarie, Albertus dux Saxonie, dux Brabantie, Philippus et Vernerius de Bollanda fratres, Anselmus de Justingen imperialis aule marescalcus, Ricardus privatus (*a*) domini regis camerarius.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vidi et recognovi.

Datum apud Spiram, anno M. CC. XIX, nono kalendas martii, indictione septima, feliciter.

Apud Spiram, 21 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, renovat commutationem ab avo suo Friderico factam cum conventu de Eberbach, scilicet insulam in Gimmensheim (Ginsheim) pro praedio quod idem conventus habuit in Durencheim.

(Edid. Wenck, *Hessische Landesgesch.*, 2ª pars, urkundenb., p. 139, nº C. Lectorem vero ad confirmationem Henrici sexti datam 1º februarii 1190, nº XC, remittit; unde nos verbis competenter mutatis ad hunc locum transtulimus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina

(*a*) In impressis *Puratus* et *Peratto*, male et pejus. Nomen gentilitium hujus Riccardi, caeterum ut credimus Siculi, nusquam certo modo deprehensimus.

favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera que majestati nostre occurrunt, ad eterni regni premium et temporalis vite incrementum apud Regem regum nobis potissimum speramus proficere quod eis que ad promotionem ecclesiarum Dei et religiosorum locorum conducunt, pio animo libenter intendamus. Notum igitur facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris quod intuitu sinceri affectus quem erga ordinem Cisterciensem gerimus, loca fratrum ejusdem professionis promovere cupientes, ratum habemus quod serenissimus avus noster Fridericus [Romanorum] imperator et semper augustus insulam in Gimmensheim que dicitur Varewerd, excepta aqua piscaria in eadem insula, dilectis nobis fratribus in Eberbach de consensu patris nostri Heinrici tunc Romanorum regis dedit in proprietatem. Pro qua insula hujusmodi predium quod idem fratres habuerunt in Durencheim avo et patri nostro et nobis in proprietatem dederunt, scilicet curiam unam et pomerium et duos mansos, quorum VIII jurnales sunt in vinetis, L jurnales in agris campi. Hanc itaque donationem, ut a nullo unquam subsequenti tempore possit aut debeat infringi vel aliquatenus perturbari, regie celsitudinis nostre auctoritate duximus confirmandam.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Heinricus Wormatiensis episcopus, Cunradus major in Spira prepositus, Boppo decanus major in Maguntia, Heinricus decanus majoris ecclesie Wormaciensis, Fridericus decanus major in Spira, Ludewicus dux Bawarie, Heinricus dux de Anhalt (*a*), Rupertus et Gerhardus comites Hirsuti, Godefridus de Eppenstein, Wernerus dapifer de Bolanden et Philippus frater suus, Hartmudus de Ascheburnen, Gisilbertus de Rudensheim et Conradus filius suus, et alii.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi, et regis Sicilie.

Ego Cunradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice Sifridi Moguntine sedis archiepiscopi et Germanie archicancellarii, recognovi.

(*a*) Sic in impresso, dum ille tantum *comes de Anhalt* appellari soleat.

Acta sunt hec anno Domini M. CC. XIX, indictione VII, regnante domino Friderico secundo gloriosissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno regni ejus VI.

Datum apud Spiram, VIIII kalendas martii.

Apud Spiram, 23 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, Bernardo Rolandi Rubei et Anzello judici Parmensi mandat ut ex parte sua, sub poena banni duarum millium marcarum argenti, Ferrariensibus praecipiant ne per ipsorum districtum Mutinenses ire vel redire impediant.

(Edit. ap. MURATORI, *Antiquit. Ital. med. aevi,* t. IV, p. 415.)

In nomine Domini. [Anno] millesimo ducentesimo decimo nono, indictione VII, die lune primo intrante aprili. In presentia infrascriptorum testium, in pleno consilio generali facto et congregato ad pulsum campane in palatio communis Ferrarie ubi fiunt conscilia, dominus Bernardus Rolandi Rubei de Parma et dominus Anzellus judex de Parma, exsequentes et obedientes preceptum domini Friderici Romanorum regis et semper augusti atque regis Sicilie, fecerunt legi litteras domini regis bullatas cum sigillo ejusdem, videlicet per Francolinum notarium potestatis et communis Ferrarie, quarum tenor talis est :

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, fidelibus suis Bernardo filio Rolandi Rubei et Anzello judici Parmensi gratiam suam et bonam voluntatem. Ad nostram audientiam noveritis pervenisse quod homines sive commune Ferrarie non permittunt Mutinenses ire vel redire per eorum poderium vel districtum. Unde cum majestatem regalem deceat stratas apertas et securas tenere, tenore presentium vobis mandamus auctoritate regia firmiter injungentes quatenus ipsos Ferrarienses et Salinguerram et nepotem ex parte nostra monere debeatis, sub pena banni duarum millium marcharum argenti eis precipientes ne ipsis Mutinensibus in aliquo stratam impediant, sed

eos per totum eorum poderium, tam per terram quam per aquam, in rebus et personis eundo et redeundo secure ire permittant. Datum apud Spiram, VII kalendas martias, indictione VII.

Quibus lectis monuerunt ex parte domni regis Albertum Alamum de Florentia, potestatem Ferrarie, pro communi Ferrarie et homines de conscilio qui ibi aderant et Salinguerram et nepotem ibi presentes, sicut in literis domini regis continebatur. Et preceperunt mihi Gilio Malliatico notario de Parma ut inde facerem instrumenta plurima in uno tenore. Et preceperunt quod nullus alius notarius exinde faciat instrumentum de dicta amonitione et precepto, nisi ego idem Gilius notarius. Ibi vero interfuerunt dominus Gibertus quondam Giberti Bernardi de Parma, Bernardus quondam filius Clerici de eodem loco, Rolandinus domini Scorze de Parma, Petrus Fabri notarius de Mutina, Mainardus de Mainardis de Ferraria, Marchesinus et Marchoaldus de Ferraria, etc. — Ego Egidius notarius qui Malliaticus dicor, sacri palatii, interfui et hanc cartam ex precepto et amonitione predictorum domini Bernardi et domini Angeli judicis scripsi.

Fridericus, Romanorum rex, episcopo Vercellensi controversiam inter episcopum et communitatem Iporediensem inquirendam et secundum jus decidendam committit. Apud Spiram, 23 februarii.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 97, n° 260, ex originali quod in archivo Iporediensi descripsit Bethmannus.)

Datum apud Spiram, VII kalendas martii, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiae Iporediensi omnem civitatis Iporediensis districtum donat, tradit et confirmat cum duabus Apud Spiram, 25 februarii.

curtibus ibidem nominatis, Obertoque episcopo et successoribus ejus causas diffiniendi et sententias executioni mandandi licentiam concedit.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra,* t. IV, p. 1073.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie in perpetuum. Quia ecclesiasticis institutis proficimus meritis, ecclesiis (*sic*) profectibus insistimus. Cunctis igitur Deo nobisque nunc et in posterum militantibus pateat nos pro anime nostre salute et futura recompensatione, Ipporediensi ecclesie omnem ejusdem civitatis districtum, forum, theloneum et omnem publicam functionem atque forinsecus virium (*a*) circumcirca per tria milliaria testimonio et auctoritate presentis pagine, insignite nostre majestatis sigillo, concessisse, donasse, tradidisse, confirmasse et roborasse atque ad habendum firmiter statuisse, cum curte una Romano dicta, sub titulo acquisitionis sibi pertinente, et altera Florano nominata, cum omnibus earum pertinentiis, familiis seu capistratitiis, successionibus, bannis et ceteris omnibus que ad eum comitatum seu comitale pertinent seu pertinere possent; et videlicet quatenus Obertus venerabilis episcopus et presens provisor ejusdem ecclesie et cuncti pro tempore ibidem locandi predictum districtum cum jamdictis curtibus et publicis functionibus, pertinentiis, adjacentiis, omnibusque aliis supradictis habeant, teneant, firmiterque possideant, habeantque licentiam legales seu duellares questiones et causas emersatas universaliter et generaliter examinare et diffinire, sententias executioni mandare, rebelles et contumaces sua auctoritate bannire et aliter pro sua voluntate punire. Firmiter inhibentes ne persona ulla magna vel parva, cujuscumque dignitatis vel conditionis, seu universitas insultum in prescriptam Ipporediensem ecclesiam, personas vel res ejus facere presumat, nostra nostrorumque successorum et totius dignitatis seu officii hominum contradictione remota. Ad hec regia auctoritate statuimus et ordinamus ut nulla prescriptio noceat vel possit objici eidem ecclesie, nisi quin-

(*a*) Sic, forsitan tamen *jurium.*

quaginta annorum curriculis sit munita. Si quis igitur hujusmodi pagine nostre statuta et ordinata presumpserit violare vel eis modo quolibet contraire, mille marcharum argenti reus existat, medietate nobis, alia medietate eidem ecclesie persolvenda.

Hujus rei testes fuerunt : archiepiscopus Maguntinus, archiepiscopus Magdeburgensis, episcopus Vormaciensis, episcopus Taurinensis imperialis aule vicarius, episcopus Novariensis, dux Saxonie, dux Brabantie, dux Bavarie, marchio Montisferrati, Varnerius et Philippus de Bullanda fratres, Anselmus de Justingen imperialis aule marescalcus, Ricardus. . . . . . domini regis camerarius, et plures alii.

Ego Cunradus Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vidi et recognovi.

Datum apud Spiram, V kalendas martii, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CC. XIX, indictione VII, feliciter.

Fridericus, Romanorum rex, episcopo Iporediensi ad preces quas sibi personaliter porrexit, permittit ut privilegium ipsi concessum litteris aureis transcribi et idem bulla aurea etiam muniri faciat. Apud Spiram, 25 februarii.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 97, n° 262, ex copia anni 1308 ap. Iporediam, ipsi a Bethmanno communicata.)

Datum apud Spiram, V kalendas martii, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CC. XIX, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, burgensibus Iporediensibus notum facit se episcopo eorum ad praesentiam suam accedenti investitu-

ram dedisse comitatus et jurisdictionis civitatis Iporediensis, cum omnibus ad comitatum eumdem pertinentibus circumcirca per tria millia, hortaturque ut eidem episcopo super his obediant.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 97, nº 263, ex copia coaeva ap. Iporediam, ipsi a Bethmanno communicata.)

Datum apud Spiram, V kalendas martii, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CC. XIX, indictione VII.

Apud Spiram, februario.

Fridericus, Romanorum rex, ad petitionem ambaxatorum communis Imolae, privilegium eidem civitati a Friderico imperatore patre suo indultum confirmat, vetatque ne comitatus et episcopatus Imolae in toto vel in parte Bononiensibus aut Faventinis detur vel concedatur.

(Edid. Savioli, *Annal. Bologn.*, t. II, pars II, p. 398, ex Manzoni *Istoria de' vescovi d'Imola*, p. 160.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Federicus II, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Decet regalis excellentie dignitatem universos imperii sui fideles et devotos benignitatis sue oculis respicere et eorum justis petitionibus favorabilem prestare assensum. Inde est quod universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse volumus quod Cazaguerra de Mariscotis et Bencivenne de Buccadeferro et Ugo Storti notarius, ambaxatores communis Imole, ad nostram presentiam accedentes ostenderunt nobis privilegium a domino quondam imperatore Federico avo nostro felicis recordationis eidem civitati Imole indultum, in quo vidimus contineri qualiter idem dominus imperator concessit, statuit et confirmavit predictam civitatem Imole et omnes homines in ea tunc et in futuro habitantes in sua protectione; qualiter etiam statum ejusdem

civitatis ad modum aliarum civitatum cum toto suo comitatu integrum restituit, et eam ab omni jugo aliarum civitatum et personarum absolvit ac omnibus in ea ad habitandum venientibus aut venire volentibus liberam et absolutam absque omni obstaculo commorandi et habitandi in ea perpetuam tribuit facultatem. Unde predicti ambaxatores excellentie nostre humiliter supplicarunt ut dictum privilegium eidem civitati Imole dignaretur nostra serenitas confirmare. Nos igitur de grata et solita benignitatis nostre clementia, dictum privilegium hominibus jam dicte civitatis Imole duximus confirmandum. De abundantiori quoque gratia nostra confirmamus eis ut comitatus et episcopatus Imole in toto vel in parte aut in diviso Bononiensibus vel Faventinis non detur neque concedatur, nec ulli alii qui eisdem Bononiensibus aut Faventinis daret vel concederet aut pro eis in communi vel in diviso aliquo modo vel ingenio haberet vel teneret. Et si alicui de ipso comitatu et episcopatu Imole in toto vel in parte aliqua concessio fieret, prorsus inanis et irrita habeatur. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictos homines civitatis Imole contra predictam confirmationem nostram ausu temerario impedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas fisco imperiali, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens privilegium exinde fieri fecimus [et] sigillo nostre celsitudinis roborari.

Hujus rei testes sunt : Magdeburgensis archiepiscopus, abbas Sancti Galli, episcopus Taurinensis (*a*), episcopus Novariensis, et alii quamplures.

Ego Corradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, vice domini Seifredi Sancte Moguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, mense februarii, indictione septima.

(*a*) In impresso minus recte *Turonensis*.

Data apud Spiram per manus [Henrici] de Constantia, imperialis aule protonotarii, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Spiram, februario.

Fridericus, Romanorum rex, civitati Parmae regalia et consuetudines concedit ut ea habeat et exerceat sicut hactenus, cum plena jurisdictione tam in criminalibus causis quam pecuniariis; appellationes per nuntium suum in episcopatu Parmensi terminandas decernit, et civitatis muniendae facultatem dat, cum aliis privilegiis ibidem expressis.

(Edid. AFFO, *Storia di Parma,* tom. III, append. n° XXXVII, p. 334-335, ex originali in archivo secr. commun. Parmae.)

In nomine Domini eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Federicus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Regalis clementie mansueta serenitas dignam semper in subditis dispensationem favoris et gratie habere consuevit, et ipsis quorum fides et devotio semper sincera et pura circa imperium est inventa, copiosis beneficiis respondere. Quapropter universorum imperii nostri fidelium tam presens noverit etas quam successura posteritas quod nos attendentes sinceram fidem et devota servitia que dilecti fideles nostri cives Parme jamdudum imperio exhibuerunt et ipsos in posterum exhibituros speramus, ad imitationem serenissimorum antecessorum nostrorum, sicut ipsi ex suo autentico privilegio eisdem civibus Parme aperte fecisse noscuntur, concedimus ipsi civitati Parme regalia et consuetudines tam in civitate quam extra civitatem et in perpetuum, videlicet ut in ipsa civitate Parme omnia habeat, sicut hactenus habuit et habet; extra vero omnes consuetudines exerceat sine contradictione quas ab antiquo exercuit vel exercet in fodro, colta, nemoribus, pascuis, publicis pontibus, aquis et molendinis, sicut ab antiquo habere consuevit vel habet, in exercitu, munitionibus civitatis, plenam jurisdictionem tam in criminalibus causis quam

pecuniariis in civitate Parme et in omnibus personis et extra, et in omnibus personis et terris episcopatus Parme et communitatis et districtus Parme, et in ceteris omnibus que spectant ad commoditatem civitatis Parme. Et si quis super his que jam dicte civitati confirmavimus sive in civitate vel extra, querimoniam apud majestatem nostram deposuerit, ejus querimoniam non admittemus et silentium imponemus. Privilegia et omnia data et concessiones que in prejudicium vel damnum civitatis Parme vel ab antecessoribus nostris vel a nobis sive a nunciis nostris alicui persone, loco vel locis indulta sint, cassamus penitus et in irritum deducimus. In causis vero appellationum si quantitas XXV librarum imperialium excesserit, appellatio ad nos fiat, ita tamen quod non cogantur in Alemaniam ire; sed nos habebimus proprium nuntium in ipsa civitate vel episcopatu ipsius, qui de dicta appellatione cognoscat et juret quod bona fide causas examinabit et definiet secundum leges et consuetudines et mores civitatis Parme, infra duos menses a contestatione litis vel a tempore appellationis recepte, nisi justo impedimento vel consensu utriusque partis remanserit. Item volumus quod precaria et libellaria in suo statu remaneant secundum consuetudines civitatis Parme, non obstante lege que dicitur imperatoris Federici. Item dicte civitati Parme concedimus quod liceat ejus civibus civitatem ipsam munire et extra munitiones facere; statuentes quod si qua discordia de feudo orta fuerit inter nos et aliquem qui fuerit de ipsa civitate vel episcopatu Parme per partes ipsius civitatis et episcopatus, secundum consuetudines ipsius civitatis in eodem episcopatu terminetur, nisi nos in Lombardia fuerimus; tunc enim in audientia nostra si nobis placuerit, causa agitabitur. Hec omnia et alia universa que continentur in privilegio facto et concesso generaliter civitatibus societatis Lombardie per dominum Federicum imperatorem avum nostrum et dominum imperatorem Henricum patrem nostrum tunc Romanum regem, dominos augustos felicis memorie, specialiter civitati Parme concedimus et confirmamus, et Mattheum de Corrigia et Egidium Giberti et Bernardum Mangni notarium, ambaxatores communis Parme, nomine ipsius civitatis de his omnibus investimus et regali auctoritate corroboramus. Statuentes et firmiter

precipientes ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, cathaneus, nulla civitas, nullum commune, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, dictam civitatem contra hanc nostre serenitatis concessionem, confirmationem et dationem molestare in aliquo presumat vel aggravare vel sine legali judicio disvestire. Quod qui facere attentaverit, in ultionem sue temeritatis centum libras auri puri, dimidium fisco nostro, dimidium dicte civitati pro pena componat. Ad cujus rei eternam in posterum credentiam, presens privilegium scribi et majestatis nostre sigillo jussimus muniri.

Hujus rei testes sunt : Madeburgensis archiepiscopus, Vormatiensis (*a*) episcopus, abbas Sancti Galli, dux Bayverie et comes palatinus Reni (*b*), dux Sassonie, dux Brabantie, Wernherus de Bolanden (*c*) dapifer, Philippus frater ejus, [Anselmus] de Justingen (*d*) marischalcus, et alii quamplures.

Signum domini Federici, Dei gratia Romanorum regis, semper augusti, et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Sancte Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie [archicancellarii], recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense februarii, indictione septima, regnante domino nostro Federico secundo, Dei gratia excellentissimo Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania septimo et in Sicilia vigesimo (*e*), feliciter. Amen.

Datum apud Spiram per manus Henrici imperialis aule prothonotarii, anno, mense et indictione predictis.

(*a*) Apud Affo *Varinah,* male.
(*b*) Ibidem *Rivus*, male.
(*c*) Ibidem *Ubertus marcus Belolandus,* pessime.
(*d*) Ibidem *de Instrug,* male.
(*e*) Sic; addendum tamen *primo.*

Fridericus, Romanorum rex, civitati Cremonae omnes concessiones eidem a Friderico avo suo et ab Henrico patre suo factas confirmat, eique specialiter renovat privilegium de concessione Cremae, insulae Folcheriae et terrarum citra Addam, de quibus ambaxatores communis Cremonae investit, scilicet Cossam de Fabris, Ospinellum de Summis, Lantelmum Platinam et Sordum Avogadrum. Apud Spiram, februario.

(Memorat. ap. Ant. Campo, *Cremona fedelissima,* p. 34, ex originali aurea bulla munito in archivo Cremonensi.)

Datum apud Spiram, anno incarnationis Domini M. CC. XIX, mense februarii, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, Brixiensibus, Veronensibus et Pergamensibus scribit quod quidquid cum ipsis a Cremonensibus in servitium et honorem suum tractatum et statutum fuisset, hoc ipse ratum et firmum habuisset. ...., 12 martii.

(Memorat. ap. Ant. Campo, *Cremona fedelissima,* p. 34.)

Datum . . . ., XII martii, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, notum facit quod ex privilegio a se communi Parmensi indulto nullum vult detrimentum Opizoni episcopo et ecclesiae Parmensi contra suum propositum oriri. Apud Hagenowe, 18 martii.

(Edider. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. II, p. 175; — Affo, *Storia di Parma*, t. III, append. n° XXXVIII, p. 336.)

Fridericus II, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis imperii fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit gratiam suam et bonam voluntatem. Nobis expedire credimus ad salutem si ecclesiarum Dei curam gerimus sollicitam et eas debita reverentia honoramus, cum per ipsum qui sublimes deprimit et humiles novit gratiosus exaltare atque per venerabilem matrem nostram Romanam Ecclesiam, victoriosa victoria in ejus nomine gloriemur. Ideoque universitati vestre volumus fieri manifestum quod nec volumus nec sentimus ut privilegium a nostra clementia fidelibus nostris communi Parmensi indultum, in detrimentum Opizonis venerabilis episcopi et ecclesie Parmensis effectum aliquem ullo tempore contra nostrum propositum sortiatur. Si quid enim in ipso privilegio continetur per quod jus Parmensis ecclesie minuatur, illud decernimus irritum et inane.

Datum apud Agheno, [anno Domini] M. CC. XIX, XV kalendas aprilis, indictione VII.

Apud Hagenowe, 21 martii.

Fridericus, Romanorum rex, abbati et conventui de Tennebach decem solidos quos quondam Bertholdus dux Zaringiae de molendino ipsorum in Vilingen exigebat remittit, et pratum juxta grangiam ipsorum in Rocginbach confert.

(Edit. ap. *Schriften der Geschichtvereine zu Baden und Donaueschingen* (Carlsruhe, 1848), p. 198, ex originali, sigillo deperdito.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Quia regie majestatis excellentiam ad augmentum et defensionem ecclesiarum veraciter credimus esse constitutam, idcirco et ecclesiis ipsis et personis ecclesiasticis, maxime hiis qui sub regularis

observantia discipline divinis sunt mancipate obsequiis, prompta tenemur facilitate subvenire et operam dare in quantum Deo dante possumus, ut militiam religionis sue sub nostre defensionis auxilio possint equanimiter bajulare. Quapropter ad notitiam omnium imperii fidelium tam presentium quam futurorum volumus pervenire quod ad petitionem dilecti amici nostri abbatis et conventus de Tennenibach, pro salute et remedio anime nostre et parentum nostrorum divorum augustorum, X solidos quos exegit dux Bercholdus Zaringie de quodam molendino ipsorum in Vilingin et nobis ex eadem successione debebant, in perpetuum remisimus, et pratum quoddam adjacens pratis eorum juxta grangiam ipsorum Rocginbach, quod dicitur Pratum ducis, simili consideratione inducti, contulimus, quatenus memores sint nostri et parentum nostrorum et gubernacula regni quiete et tranquille possideamus. Ut autem hujus nostre concessionis donatio rata et inconvulsa predictis fratribus in perpetuum perseveret, paginam hanc fecimus conscribi et sigilli nostri appensione communiri.

Testes hujus nostre concessionis sunt : Eberhardus Saltzburgensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Heinricus Basiliensis episcopus, Ruodegerus de Kiemisse (1) episcopus, Cunradus imperialis aule cancellarius, Hugo abbas Muorbacensis, marchio Hermannus de Badin, Cuonradus (*a*) marchio de Monteferrato, comes Egino de Ura, Ebirhardus et Volricus comites de Helfinstein, Rudolfus de Stofinberc, Anshelmus marshalcus imperii, Ebirhardus dapifer de Tanne (2), Cuonradus de Wintirstetin.

Datum apud Haginowe, anno ab incarnatione Domini M° CC° XIX°, XII kalendas aprilis, indictione VII.

(*a*) Sic; evidenter tamen legendum *Guillelmus*.

---

(1) Scilicet *de Chiemsee* in Bavaria. De hujus episcopatus institutione et confirmatione, vide supra, p. 569.

(2) Quod iste Ebirhardus de Tanne cum Ebirhardo dapifero de Waldburg una ac eadem sit persona, sat probatis rationibus exposuit Staelinus, *Wurtemb. Gesch.*, t. II.

Apud Hagenowe, 21 martii.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam et praepositum de Lombriasco cum personis, rebus et possessionibus in sua speciali protectione recipit.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 98, n° 268, ex originali in arch. Taurinensi.)

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, XII kalendas aprilis, indictione VII.

Apud Hagenowe, 23 martii.

Fridericus, Romanorum rex, comiti Gotifredo de Blandrato propter praeclara ejus servitia et haeredibus ejus, de consilio principum et baronum suorum, in rectum feudum concedit quinque denarios de pedagio apud Taurinum, quos pater suus Heinricus sextus pro trecentis marcis comiti Rainerio de Blandrato obligaverat.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 98, n° 269, ex copia seculi decimi octavi ap. Taurinum, ipsi a Bethmanno communicata.)

Hujus rei testes sunt : Salzeburgensis et Magdeburgensis archiepiscopi, Basiliensis episcopus, Jacobus Taurinensis episcopus et regis vicarius, Wilhelmus marchio Montisferrati, Anselmus de Justingen imperii marescalcus, Ricardus camerarius regis. . . .

Ego Conradus, etc.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, X kalendas aprilis, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, comiti Guidoni de Blandrato fideli suo concedit et confirmat civitatem et comitatum Iporediae cum omnibus juribus et rationibus, necnon et villam Erasci cum jure suo; quae omnia quondam pater suus Henricus imperator comiti Raynerio de Blandrato, patri ejusdem Guidonis, jure compensationis concessit.

(Edidit, mendose tamen et notis chronologicis omnino praetermissis, Moriondus, *Monum. Aquens.*, t. II, p. 656, ex Benven. de S. Georg., *De orig. gent. suor.*, MSS.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regie majestatis cedit ad gloriam fidelium pensare merita singulorum et ipsis prout uniuscujusque fides et servitia postulant, condignis retributionum muneribus respondere. Nam dum benemeritos celeri respicit compensatione, bonorum gloriosius fulgent opera pietatis in principe et solium regnantis attollitur in virtute. Eapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem puram et devotionem sinceram comitis Guidonis de Blandrato (1) fidelis nostri,

(1) Ne de variis viris quibus idem cognomen de Blandrato imponitur, confusio quaedam supersit, tabulam addimus ex Gingins la Sarraz, *Docum. pour servir à l'hist. des comtes de Biandrate*, ap. *Mémoir. de l'Acad. de Turin*, t. X:

Otto comes de Blandrato

Raynerius dom. Nisciae † 1209	Ubertus II dom. Carii † 1209	Gotifredus

Filii Raynerii:

Conradus † 1220	*Guido III* † 1245	Obizzo † c. 1209

Filii Uberti II:

Otto II † 1226	Ubertus dom. Carii † c. 1229	*Gotifredus* comes de Romania 1221-1229

concedimus, damus et perpetuo firmamus sibi et heredibus suis legitimis, masculis et feminis, civitatem Hyporegie et comitatum Hyporegiensem cum omnibus juribus et rationibus suis, comitibus videlicet possessiones vel terras in comitatu Hyporegiensi habentibus, nobilibus, capitaneis, valvasoribus et aliis hominibus, terris, villis, montibus, silvis, tholoneis, angariis, perangariis, argentis, pascuis, pratis, agris cultis et incultis, aquis, aquarum decursibus et molendinis, castris quoque et omnibus pertinentiis suis; nec non concedimus et confirmamus ei et heredibus suis villam Erasti (*a*) cum omni jure suo : que omnia divus augustus imperator Henricus genitor noster et recordationis inclite, jure compensationis poderii et terre quondam marchionis Henrici, quam comes Raynerius de Blandrato pater quondam predicti comitis Guidonis in Niscia (*b*) tenuit et prefato genitori nostro dedit, ipsi comiti Raynerio concessit, sicut in privilegio inde confecto et majestati nostre per eundem comitem Guidonem ostenso plenius continetur. Statuimus igitur et regio sancimus edicto ut nulla unquam persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc paginam nostre concessionis, donationis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario audeat contraire. Quod qui presumpserit, centum libras auri puri componat pro pena, medietatem camere nostre et reliquam medietatem passis injuriam persoluturus. Ut autem hec omnia in perpetuum rata semper et firma permaneant, presens privilegium inde conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Willelmus Mantuanus (?), Cuno Fuldensis et Elwangensis abbas, Ugo Murbacensis abbas, comes Sibertus de Verda, comes Ludevicus de Virtemberg, comes Everardus de Elfenstein, comes Ernestus de Wilseck (*c*), comes Henricus de Geminoponte, Anselmus

(*a*) Legitur tamen *Erasci,* in privilegio Othonis de ann. 1209, 1° septembris in territorio Boloniae, ap. *Hist. Patr. monum.*, chart., t. I, p. 1162.

(*b*) Ap. Moriondum *Tuscia,* male. Tam ex privilegio Henrici VI quam ex illo Othonis IV correximus. Cf. *ibidem.*

(*c*) Haec nomina foede corrupta, quae ut potuimus restituimus, sic ap. Moriondum leguntur : *Confinidensis et Chentinensis* abbas, Ugo *Wormaciensis* abbas, comes *Gui-*

marescalcus de Justingen, Philippus de Bollandia, et alii quamplures (1).

. . . .

Fridericus, Romanorum rex, Alberto Magdeburgensi archiepiscopo et ecclesiae ejus in perpetuum donat omnes terras et provincias paganorum, ultra Livoniam et circa ipsius terminos constitutas, quae ad fidem christianam conversae fuerint cum plena jurisdictione, nec non et omnes terras christianas a Romani imperii dominio alienas, quae ipso archiepiscopo procurante imperio subjugatae fuerint, cum omni pariter plenitudine juris. Haguenau, 23 martii.

(Edidit Sagittarius, *Histor. ducat. Magdeburg.*, lib. IV. ap. Boysen, *Magazin*, t. II, p. 120; coll. cum originali in arch. Berolinensi.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Gratitudo regia nunquam pulcrius elucescit nisi cum gratie nostre munificentia in profectus extenditur devotorum, juxta quod ipsorum merita postulant et requirunt. Cum ergo Magdeburgensis ecclesia et dilectus princeps noster Albertus archiepiscopus ejusdem ecclesie a principio promotionis nostre ita in devotione nostra constantes extiterint (*a*) ut nulla unquam ipsos a nobis vel potuerunt dampna dividere seu tribulatio separare, honoribus et profectibus eorumdem tanto propensius tenemur intendere quanto ab ipsis obsequia percepimus gratiora. Oportet ergo nos illis minora conce-

bertus de Verda, comes *Lodenetus de Vilimberg*, comes Everardus de *Elfiscen*, comes *Gucestus de Velsegge*.

(*a*) Ap. Sagittarium *constanter extiterit*, minus recte.

---

(1) Cum desint omnino chronologicae notae, hoc privilegium praecedenti ex natura rerum quasi annectimus potius quam ex certo temporis indicio; praesertim dum nomina testium a praecedentibus et sequentibus non parum abhorreant.

dere quibus maxima non debemus in tempore oportuno negare. Ideoque notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod nos eidem archiepiscopo et successoribus ejus ac predicte Magdeburgensi ecclesie in perpetuum regia auctoritate donamus omnes terras et provintias paganorum, ultra Livoniam et circa ipsius terminos constitutas, que ipso presente vel cooperante (*a*) ad fidem converse fuerint christianam; hoc nostro regio sanctientes edicto ut nec possessiones nec juridiciones aliquis possideat in eisdem, nisi ea de gratia Magdeburgensis archiepiscopi valeat impetrare. Quod si archiepiscopos aut episcopos in terris ipsis contigerit ordinari, a Magdeburgensi archiepiscopo regalia illi suscipiant reverenter. Omnes quoque terras christianas a Romani imperii dominio alienas, que in illis finibus prefato archiepiscopo presente vel promovente fuerint imperio subjugate, ipsi ac ipsius nichilominus ecclesie subicimus et donamus cum omni plenitudine juris predicti. Jus autem quodcumque terris illis aut incolis earumdem memoratus archiepiscopus concesserit, salvum semper ipsis permaneat sub quibuslibet archiepiscopis ecclesie nominate. Ut autem predicta donatio inconvulsa semper maneat ecclesie sepedicte, presens privilegium super ea conscribi precepimus et imaginis regie impressione muniri; statuentes ut nulla omnino persona alta vel humilis hanc donationem nostram presumat infringere vel ei aliquo modo contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas fisco cedat, reliqua medietas passis injuriam persolvatur cum restitutione dampnorum.

Testes hujus rei sunt : Everhardus Salzburgensis archiepiscopus, Henricus episcopus Basiliensis, Hugo Morbacensis abbas, Hermannus marchio de Balneis (*b*) Willelmus marchio Montisferrati, comes Arnestus de Velsecke, Teodericus de Treber (*c*), Anselmus marscalcus curie nostre, Richardus camerarius noster, et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi, Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)

(*a*) Ap. Sagittarium *comparante*, minus recte.

(*b*) Vertitur in latinum vox germanica *Baden*. Ap. Sagittarium *de Balniis*.

(*c*) Ibidem *de Trebetz*. Adest infra *Vilricus de Tribest,* forsan *Vitricus* (*Dietrich*).

Ego Conradus Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Maguntinensis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M° CC° XVIII°, indictione VII, regnante domino Friderico secundo Romanorum rege gloriosissimo.

Datum Hagenowe, X kalendas aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, ad preces Joannis abbatis de Vangaditia Camaldulensis ordinis, monasterium ipsum cum omnibus ejus possessionibus in sua tuitione suscipit, honoresque et jura omnia, salva tamen regali justitia, ei confirmat. Apud Hagenowe, 28 martii.

(Edider. Muratori, *Antiq. Ital.*, tom. II, p. 875.— Mittarelli, *Annal. Camald.*, t. IV, append., p. 387. Cf. *ibidem*, p. 257.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex augustus, et rex Sicilie. Regie majestatis a Deo nobis creditum postulat et requirit officium ut unicuique quod suum est equitatis jure conservetur. Precipue autem ecclesiis et monasteriis ad serviendum Deo continua devotione deputatis favorem et opem gratie nostre eo magis familiaribus studiis impendimus, quo certius ad remissionem peccatorum in eterna bonorum retributione nobis quidem id profuturum speramus. Eapropter cognoscat tam presens etas quam successura posteritas quod nos ob remedium anime nostre piam et pronam aurem gratanter accommodantes rationabilibus et justis petitionibus Joannis venerabilis abbatis de Vangaditia Camaldulensis ordinis, religiosi quidem et sane opinionis viri, clementer annuentes et felicis memorie gloriosissimi Friderici avi nostri Romanorum imperatoris vestigiis inherentes, sicut in ejus privilegio continetur, monasterium sancte Dei Genitricis Marie ordinis Camaldulensis constructum super Athesis fluminis ripam ad locum qui quondam Petra dicebatur, nunc autem Vangaditia

vocatur, una cum abbate et fratribus divino inibi obsequio mancipatis et cum omnibus suis possessionibus et rebus mobilibus et immobilibus, et ea que hactenus possedit et in futurum Deo favente justo acquisitionis titulo possidebit, sub nostra regali tuitione et defensione gratanter suscipimus, omnesque res et possessiones mobiles et immobiles seseque moventes, quas abbas et fratres ejusdem monasterii vel ipsi vel per alium possident vel de cetero acquisierint, eidem ecclesie perpetua stabilitate per nostre auctoritatis robur et munimen confirmamus, ex quibus quedam duximus exprimenda vocabulis : videlicet possessiones quas habet in predicto loco qui dicitur Vangaditia et in abbatia et in aliis quibuscumque locis in episcopatu Verone, infra civitatem ecclesia[m] Sancti Salvatoris cum omnibus suis pertinentiis, et in Bardulio, in Ilasio, in Albareta, in Porto, in curia Leniaci, terram scilicet arabilem, prata, sylvas, saliceta, sationes, venationes, paludes, piscationes cum omnibus suis pertinentiis et adjacentiis que ad curiam Leniaci pertinent, cujus terminus currit superius caput silve ipsius monasterii usque in Tartarum, que silva vocatur Gazuolo et est ex alia parte Athesis, Salvaterra, Ramo de Palo, Borseda, Torreda, in Contra, in Arquada, in Rodigio, in Pontieno, in Conte, in Squinatio, in Donino, in Bonisago, in Martegio, in Sarzano, in Mardinago, in Veneza cum omnibus suis pertinentiis, in Congula, Clausurella, Cavezana, Saguedo, in Merlaria, in Scudasia, in Palso, in Vighizzolo, in Corrigia, in Villa, in Este, vallis Almerici, in Montesilicis, in Padua, in curte de Piove, in villa Cornede, in Denajolo. Hec igitur supradicta, et cetera omnia que in aliquo regni nostri loco prefata possidet ecclesia cum casis, capellis, decimis, placitis, mercatis, theloneis, ripis, ripaticis, molendinis, collectis, viis et inviis, vineis, agris, terris cultis et incultis, sylvis, pascuis, montibus, planitiebus, venationibus, aquis aquarumque decursibus, stallariis, paludibus, piscationibus, armaniis, tansis, bannis ac olivetis, universis exhibitionibus, cum omni honore et districtu, salva tamen regali justitia, confirmamus. Tum id abbati et ecclesie ac suis successoribus et eorum hominibus indulgemus ut nulli inde respondere teneantur, nisi nobis aut certo misso nostro ad hoc specialiter deputato et destinato. Precipimus igitur regalis auctoritatis nostre edicto qua-

tenus nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, consul vel potestas vel ullum commune civitatis alicujus loci nec ulla omnino persona magna vel parva, secularis vel ecclesiastica, supradictum monasterium et ejus abbatem et fratres et homines in curtis predictis vel in ullis rebus aut functionibus sibi pertinentibus inquietare, divestire vel quocumque modo molestare presumat. Quod si quis contra hec precepta nostra venire presumpserit, centum libris auri pena feriatur, que medietas ipsi fisco nostro, residuum abbati prefate ecclesie persolvatur. Pro quorum omnium certa et inviolabili observatione et memoria, presentem paginam majestatis nostre sigillo communivimus, testibus subscriptis qui sunt :

Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Henricus Basiliensis episcopus, Rodigerius (*a*) marchio Montisferrati, Hermannus marchio de Baden, Egno comes de Ura, Eberardus et Ulricus com[it]es de [Helfinstein], Anselmus curie nostre marescalcus, Fridericus camerarius, [E]berardus dapifer, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Romanorum regis invictissimi et semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Cunradus Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Siffredi Moguntini archiepiscopi et totius Alemannie archicancellarii, [recognovi].

Datum apud Agenove, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, quinto kalendas aprilis, indictione VII, regnante domino Friderico Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno VII, feliciter. Amen.

Haguenau, 1° aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, circa reformationem ecclesiae Sanctae Crucis in Northausen votum habens, universos mansos et redditus extra civitatem ei restituit, et vult jus ejus in ipsa civitate esse salvum.

(*a*) Sic in duobus. Recte tamen legendum *Guilielmus*. Caetera istiusmodi menda correximus.

(Edid. FORSTEMANN, *Geschichte von Nordhausen*, ad sec. part. addit., p. 35; ex collect. recent., cui titulus est *Monum. eccles. S. Crucis.*)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum a genitoribus nostris ecclesiam Sancte Crucis in Northusen Moguntine dioeceseos fundatam a sano statu religionis intelleximus admodum esse remotam, nos juxta consilium dilectorum principum nostrorum Moguntinensis [et] Magdeburgensis [archi]episcoporum et . . . . episcopi, cancellarii nostri, circa reformationem ejus primum votum habentes, universos mansos et reditus extra civitatem Northusen tam obligatos quam liberos ad ipsam ecclesiam pertinentes cum omni plenitudine juris sui libere restituimus ecclesie memorate; nullum infeudatum de cetero warentantes de feudis eorumdem, quoniam neque per avum neque per patrem neque patruum nostrum neque etiam (*a*) per nos ipsos obligari vel feudi nomine vel alio jure poterant ipsa bona. De civitate autem, teloneo et moneta et alio quolibet ejus jure compensationis eidem ecclesie juxta quod deliberavimus . . . . jus suum in ipsa civitate tam in areis quam in aliis ipsi ecclesie volumus esse salvum, ut secundum prudentum virorum discretionem prepositura et conventus canonicorum instituatur ibidem. Nos igitur pro salute predictorum progenitorum nostrorum et propria renuntiantes ipsis bonis, precipimus ne quisquam in illis sepedictam ecclesiam molestare presumat. Id si quis attemptare presumpserit, indignationem regiam se noverit incursurum.

Datum Hagenau, calendis aprilis, indictione [VI]I (1).

(*a*) In impresso *et idem*, minus recte.

---

(1) In impresso *indictione I*, quod anno 1213 conveniret. At quum primo die aprilis in hoc anno Fridericus non apud Hagenowe, ut scimus, moraretur et insuper tunc temporis in regione ab adversario suo Ottone occupata nullam fere potestatem haberet, conjicere licet ab amanuense indictionis numerum male transcriptum fuisse. Huic autem loco ex ordine rerum res bene convenit, quum in anno sequente reformationem hic deliberatam ad optatum finem rex perduxerit. Vide infra, 27 julii 1220.

Fridericus, Romanorum rex, post mortem comitis Bopponis de Laufen advocatiam abbatiae de Odenheim sibi et successoribus suis ab abbate et conventu collatam accipit, quae fuerint jura advocatiae decernit et quatuor articulos inter se et abbatem praedictum compromissos inserit. Apud Haguenau, 6 aprilis.

(Edid. Remling, *Urkundenb. der Bischofe zu Speyer,* p. 151, n° 136; coll. cum codice dicto *Chartulaire de l'abbaye d'Odenheim,* f. 14, in arch. Carlsruhensi.— Memorat. tantummodo ap. Guden., *Tab. genealog. dynast. de Düren, Cod. diplomat.,* t. III, p. 668, et in *Notizenblatt, Beilage zum arch. für kunde Oesterr. gesch.,* n° 20, 1851.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Cum de jure ad omnes regimini suo subjectos regie se debeat favor benignitatis extendere, laudabilius ecclesiis Dei regalis noscitur cura defensionis impendi, que tanto minus debent curis secularibus occupari, quanto magis expedit ut divinus cultus quiete gaudeat et queque in eis pro salute christianitatis celebrantur officia, infestis non debeant casibus perturbari. Licet utique generaliter omnes ecclesias defendere teneamur, illis tamen ecclesiis specialius gratiam defensionis impendere debemus et earum commoditatibus providere, que speciali gratie nostre et imperii protectioni tam gratis quam liberaliter se submittunt. Eapropter in perpetuum universis notum esse volumus quod Beringerus venerabilis abbas de Odenheim (1) et conventus ejusdem, post mortem comitis Popponis de Lauffen advocati olim dicte ecclesie privilegio suo uti volentes, de communi assensu et consensu capituli sui et confratrum suorum nos Fridericum Romanorum regem, semper augustum et regem Sicilie, et omnes

(1) Scilicet *Odenheim* in Kraichgau (in dioecesi Spirensi).

successores nostros imperatores vel reges Romanos qui pro tempore post nos successerint, vocaverunt ad advocatiam dicte ecclesie et nos in presenti elegerunt in advocatum in Odenheim, quod vulgariter dicitur Castenvogt. Nos ergo videntes jura ipsius ecclesie potissimum per nos et successores nostros in antea defendi et manuteneri advocatiam predictam exercendo, eorum vota admisimus et eorum electioni de advocatia jamdicta in nos et successores nostros collata nostrum benignum prebuimus assensum; et ut scripta eidem abbati et successoribus suis in ecclesia Odenheim de cetero firmius a nobis et successoribus nostris observentur, fide promisimus queque per Conradum Metensem et Spirensem episcopum, imperialis aule cancellarium, et Philippum de Bonlandia data fide promissa sunt observari, quod nos ac successores nostri nunquam alienemus advocatiam dictam sive aliqua eidem attinentia de manu nostra et imperii. Addimus etiam et in presenti privilegio declaramus quod nos vel successores nostri non substituemus dicte ecclesie aliquem procuratorem, commissarium vel advocatum, nisi eum qui pro tempore in partibus illis officium villicationis nostre vel imperii habuerit. Et quod in terminis ecclesie nullum castrum, nullam munitionem, nullam civitatem liberam edificemus, per nos vel aliquos alios permittamus edificare, et nullum jus patronatus ecclesiarum parochialium et locationis earum auferemus predicto abbati et ejus successoribus, sed ipsi sua gaudeant libertate in locatione suarum ecclesiarum. De abundantiori etiam munificentia et gratia nostra et ob meritum magne devotionis quam abbas dictus et ejus conventus ad nostre serenitatis dominium satagunt exhibere, concedimus et presenti privilegio in perpetuum confirmamus dicte ecclesie de Odenheim omnia jura sua, sicut in privilegiis imperatorum Henrici quinti et Friderici avi nostri divorum augustorum manifeste continetur, et omnes possessiones que nunc tenet vel in antea juste poterit adipisci cum omnibus appendiciis, vineis, agris cultis et incultis, silvis, molendinis, aquis et aquarum deductibus, piscinis, pratis et animalium pascuis. Sub eadem gratia nostra et protectione et advocatia ecclesiam Kirchem (*a*) que est filia ecclesie Odenheim cum omnibus appenditiis suis

(*a*) Ap. Remling *et advocatiam ecclesie Kirchen*, minus recte.

recipimus ac tenemus. Declaramus etiam quod, licet in privilegiis predictorum imperatorum prohibitum sit (*a*) quod advocatus nullum scultetum habeat in villa Odenheim, et de furibus et protervis tertiam tantum partem accipiat advocatus et ipse abbas duas partes, et advocatus nullam exactionem in homines ecclesie sive in terminis ecclesie sive extra terminos facere debeat, dictus abbas et conventus ejusdem pro favore et gratia nostra condescenderunt nobis in quatuor istis articulis hoc modo: abbas eliget scultetum unum in villa Odenheim qui erit scultetus noster et ejusdem abbatis, quem cum ipse elegerit, villicus noster provincialis auctoritate nostra procuratorem et judicem super homines ecclesie substituet eumdem, et de furibus et protervis et petitionibus in hominibus ecclesie factis sive in terminis ecclesie sive extra terminos mediam partem ex parte nostra accipiat scultetus et mediam partem abbas. Si autem scultetus idem abbatem ipsum et homines suos offenderit indebite, abbas prefatus et ejus successores liberam habebunt electionem in alium scultetum faciendam. Si vero aliquo casu vel suggestione qualibet ipsa advocatia sive possessiones qualescumque eidem attinentes de cetero de manu nostra vel successorum nostrorum alienata fuerint sive per infeudationem vel impignorationem vel quocumque ingenio alienationis, vel predictorum aliquid diminutum seu subtractum fuerit ipsi ecclesie, dictus abbas Beringerus et successores sui liberam habeant potestatem ipsam advocatiam in alium quemcunque voluerint transferre et ipsum sibi statuere advocatum, et nullum illi exhibebunt servitium cui erat collata advocatia per manus nostras vel successorum nostrorum. Statuimus etiam et presenti privilegio decernimus ut quecumque persona, ecclesiastica vel secularis, predictas ecclesias et omnia supra concessa impedire vel diminuere presumpserit, centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero injuriam passis persolvetur. Ut autem hec rata et firma permaneant in perpetuum, presens privilegium scribi fecimus sigillo nostro munitum.

Hujus rei testes sunt : Eberhardus venerabilis Salzburgensis archiepi-

(*a*) Hoc comma a primo *quod,* sensui valde necessarium, deest ap. Remling.

scopus, Albertus venerabilis Magdeburgensis archiepiscopus, Ludovicus dux Bawarie et comes palatinus Rheni, Bernhardus dux Carinthie, Rapoto comes palatinus de Wittelsbach, Hermannus marchio de Baden, Sybertus comes palatinus Elsatie, Ernestus comes de Gleichen, Vilricus de Tribest (*a*), Anshelmus de Justingen marscalcus imperii, Conradus de Clingenbach pincerna imperii, Philippus de Bonlandia, Walterus de Langenbach, Conradus prepositus de Tanna, Conradus de Werda et Willelmus de Aquis camerarii domini regis, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie (*Monogramma*).

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XIX, VIII idus aprilis, indictione septima, apud Hagenoiam, regnante domino [Frederico] inclito Romanorum rege et rege Sicilie, anno regni sui in Romano imperio VII, regni vero Sicilie anno vigesimo [primo].

Apud Columbariam, aprili.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Parisiense cum bonis quae nunc tenet aut de caetero poterit adipisci, sub defensione sua recipit.

(Edid. Hugo, *Sacr. antiq. monumenta*, t. II, p. 293, ex confirmat. Carol. IV, ann. 1354.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris imperii nostri fidelibus quod nos attendentes vetustatem et religionem Parisiensis monasterii et fratrum ibidem existentium Deo militantium, ob remedium animarum nostrarum et divorum augustorum parentum nostro-

(*a*) Ap. Remling *Victitus comes de Tribest;* forsitan *Vitricus* (Theodericus).

rum et pro salute nostra et imperii, [id] recepimus et de cetero tenere volumus (*a*), conservantes eidem monasterio omnia jura sua quecumque tenet seu justo titulo poterit adipisci. Mandantes et presentis scripti authoritate imperantes ut nulli de cetero liceat memoratum monasterium Parisiense, fratres aut bona sua indebite de cetero molestare aut offendere; immo ipsum sub imperii et nostra defensione consistens omnes teneant commendatum. Verum si aliqui fuerint qui ipsum monasterium in personis seu rebus molestare presumpserint, indignationem nostram et imperii se noverint graviter incursuros. Ad cujus rei memoriam presens scriptum inde fieri fecimus sigillo nostro munitum.

Datum apud Columbariam, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, mense aprili, indictione septima.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiae in Rota libertates, jura et quaecumque ei collata fuerunt concedit et confirmat, eam suae supponit protectioni et ab omni potestate advocati eximit, ut plena sicut hactenus libertate gaudeat. Ulmae, 7 maii.

(Edid. Lunig, *Reichsarchiv,* t. XVIII, p. 455; coll. cum copia in arch. Stuttgart. nobis a Kauslero communicata. Licet authentica dicatur, ex insolita redactionis forma et notarum chronologicarum discrepantia documentum, si non suspectum habeamus, saltem rescriptum arbitramur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego (*sic*) (*b*) Fridericus Romanorum rex, et rex Sicilie. Notum esse volumus universis regni nostri tam future quam presentis etatis hominibus quod nos intuitu divine retributionis, inducti etiam ratione equitatis, concedimus ecclesie in Rota libertatem, concessiones et omnia jura que habuit temporibus karissimi patris nostri Hainrici imperatoris felicis memorie parentumque et ante-

(*a*) Deest aliquid : verisimiliter *sub defensione nostra.*
(*b*) Verisimiliter in originali *Amen.*

cessorum nostrorum, sive ab eis sive ab aliis collata, eique, sicut et ipsi fecerunt, concedimus et confirmamus quicumque homo, quecumque persona clericalis sive laicalis, nostre vel alterius jurisdictionis, ipsi ecclesie et Deo in ea servientibus quicquam pro salute anime sue contulerit. Eamdem quoque ecclesiam cum omnibus que nunc possidet vel in posterum quocumque titulo acquisita possidebit, imperiali (*sic*) nostre protectioni supponimus et ab omni potestate advocati eximimus; volentes et regia nostra majestate statuentes ut nec modo nec unquam advocatum sit habitura, sed secura sicut et hactenus plena gaudeat libertate nostraque defensione gratuletur ab omni secura lesione. Quicumque igitur hanc nostram concessionem et confirmationem ausu temerario infringere attemptaverit, nostre majestatis indignationem se noverit incurrisse. Hanc itaque concessionem et libertatem dicte ecclesie a patre nostro H. imperatore factam et a nobis approbatam et confirmatam sigilli nostri robore communimus; statuentes et regia auctoritate nostra firmius precipientes eam ab omnibus inviolabiliter observari in perpetuum.

Datum Ulme, nonis maii, indictione secunda (*a*), anno dominice incarnationis M° CC° XVIIII°, anno regnationis nostre sexto.

Apud Ulmam, 10 maii.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae scribit super quibusdam articulis de quibus ex relatione P. Brundusini archiepiscopi se in Romana curia notari comperiit : scilicet quod filium suum ad regnum Germaniae promovere procuret, contra promissiones quas fecit de regno Siciliae imperio nunquam uniendo; quod patrimonium Ecclesiae diminui permittat, dum filius Conradi ducis Spoleti in chartis se quoque cum titulo ducis subscribat; quod ecclesiasticae libertati praejudicet, electionibus se immis-

(*a*) Legendum autem *septima,* sicut et ad calcem annus regni in Germania *septimus* est, non *sextus*.

cendo. Respondet autem convenire, dum ipse in servitium Christi absens fuerit, imperium melius gubernari, et si forte aliquid humani de se acciderit, filium suum de haereditate securiorem fore; nullius esse momenti consuetudinem in Alemannia usitatam, filium ducis ducem nominari, licet ducatum non teneat; electionibus ecclesiarum se immiscere non praesumpsisse, sed tantum commendationes adhibuisse. Concludit nuntiando se in proximo solemnes legatos ad curiam Romanam missurum, dum jam sit ad iter Romanum paratus, papaeque archiepiscopum Brundusinum et ejus negotia commendat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 98, n° 275, ex copia ipsi a Pertz communicata, et ap. Raumer, *Gesch. der Hohenst.*, edit. 2ª, t. III, p. 176, ex regest. Honor., lib. III, n° 527.)

Datum apud Ulmam, X maii, indictione VII.

Gerardinus de Gisso, procurator communis Bononiae, sententiam Jacobi episcopi Taurinensis de comitatu Imolae restituendo et de banno et poena ab eodem communi Bononiae imposita nullam esse protestatur. Faventiae, 16 maii.

(Edid. Savioli, *Annali Bologn.*, t. II, pars 2, p. 406, n° 468, ex arch. publ. di Bolog. reg. gros., vol. I, fol. 350.)

In nomine Domini. Anno a Nativitate ejusdem millesimo CC. XVIIII, tempore Honorii pape, imperatore non existente, die jovis XVI mensis madii ad intratam ipsius mensis, indictione VII, Faventie in domo domini Bonifacii judicis, in presentia domini Petri presbyteri capellani episcopi Taurinensis, Martini scribani ipsius episcopi, domini Jacobi thesaurarii Vercellensis, Multoboni de Faventia, Romei Marcegonis de Bo-

nonia ac mei Balduini Faventini notarii, dominus Gerardinus de Gisso syndicus seu procurator seu actor communis Bononie, prout apparebat per publicum instrumentum scriptum per manum Blanci notarii Bononie, coram domino Jacobo scilicet episcopo predicto appellavit in hunc modum : « Ego Gerardinus de Gisso, sindicus seu procurator seu actor » communis Bononie, dico sententiam vestram, domine Jacobe episcope » Taurinensis, seu dictum seu preceptum factum potestati Bononie de » comitatu Imole restituendo et de banno et pena imposita potestati » nomine communis Bononie et ipsi communi (1) et de aliis preceptis quos » fecistis, dico nullum seu nullam, et si qua est vel si quid est, ad do- » minum Federicum regem Romanorum et ad dominum papam appello et » supplico et apostolos peto et iterum peto. » Insuper predictam appellationem scriptam in quadam cartula predicto episcopo porrexit ut eam acciperet seu reciperet, et dominus episcopus predictam appellationem non recepit. Dixit tamen ipse episcopus : « Ego vellem quod appellatio » ista valeret sive posset valere, amore hominum Bononiensium, » et dixit sic : « Ego loquar cum domino marchione, et respondebo tibi sicut » fuerit respondendum; » et tum Gerardinus sibi dixit sic : « Ergo vultis » quod jam reddam ad vos? » et episcopus respondit, et dixit : « Venias » jam aliqua hora. » Et tunc Gerardinus recessit a loco, et recursus fuit paulo post ad dictam domum ubi hospitabatur predictus episcopus, et quesivit ubi esset et intellexit eum equitasse et ivisse sive equitasse versus Imolam.

Ego vero predictus Balduinus Faventinus notarius omnibus predictis interfui et appellationem et responsionem mandato predicti episcopi et omnia predicta rogatu predicti Gerardini scripsi.

...... 13 maii. Honorius papa Friderico Romanorum regi et universis crucesi-

(1) Vide, supra, p. 594, notam 1.

gnatis per Theutoniam constitutis notum facit, quod licet sacrae expeditioni quaeque dilatio nociva sit, ad instantiam Friderici tempus transfretationis prorogat a festo Sancti Johannis Baptistae usque ad festum Sancti Michaelis, dum ante hunc terminum apparatus compleri non valeant.

(Memorat. ap. Raumer, *Gesch. der Hohenst.*, t. III, p. 175, edit. 2ª, ex regest. Honor., ann. III, nº 458, et in indice litter. Honor. III, collect. Laporte du Theil in Bibl. Paris.)

Datum . . . . , XV kalendas junii, anno pontificatus nostri tertio.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Sanctae Mariae Montis Virginis de novo donat, concedit et confirmat donationes et concessiones comitum, baronum, militum et aliorum eidem factas post mortem regis Guillelmi secundi, scilicet ecclesiam Sancti Onufrii, casale de Massa, Pescum de Morra, et alias ecclesias ac possessiones ibidem nominibus expressas. Apud Augustam, maio.

(Edid. Mastrullo, *Montevergine sagro,* p. 645-647. — Extat in origin. ap. arch. ejusdem monasterii, vol. VIII, et in transumpto, *ibid.,* nº 96.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Supplicationes que a pia intentione procedunt benigne merentur admitti et ad effectum suum debitum producende, in his maxime que [ad] eternum salutis premium spectare et ad nostrorum antecessorum et nostrum commodum dignoscuntur. Hinc est quod Donatus venerabilis abbas et conventus sacri monasterii Sancte Marie Montis Virginis, fideles nostri, transmissis in Germania de fratribus suis, nostre celsitudini humiliter supplicaverunt qualiter eorum monasterium post mortem regis Guillelmi secundi consobrini nostri felicis memorie, libere est adeptum

ex donationibus et concessionibus quorumdam comitum, baronum et militum et aliorum fidelium nostrorum, Rogerii olim comitis Labiani (?) ecclesiam Sancti Honuphrii et casale quod dicitur de Massa in partibus Principatus cum hominibus, possessionibus et pertinentiis earumdem; et Jacobi quondam comitis Tricarici quasdam ecclesias in pertinentiis Tulbie, Albani, Florentie, et triginta casatas hominum in Sancto Clerico terrarum suarum cum possessionibus et rationibus suis et quatuor petias terrarum; ac Rogerii dudum comitis Gesualdi Pescum de Morra cum possessionibus et pertinentiis suis, in quo sita est ecclesia Sancti Angeli, et Diopoldi comitis Acerrarum cum Ludovico de Summa sex petiolas terrarum et tres casatas hominum in pertinentiis Mariliani et Summe, ac Roberti de Rogeriis ejusdem terre tres petiolas terrarum, ac Bartholomei de Petra Pulcina ac Savariensis de Terra Rubea ac Roberti de Lamarcia et Pesco duorum predictorum castrorum tres petias terrarum in pertinentiis eorumdem, et Ragoni de Molisso, Herbecti Milonis, Guerretii et Roberti de Molina, militum Montisfuscoli, novem petiolas terrarum, et Constantini de Judice ejusdem castri sex petiolas terrarum in pertinentiis ipsius, et Alderisie [uxoris] quondam militis Laurentii quatuor petias terrarum, in quarum una fundata est ecclesia Sancti Jacobi, et magistri Petri Ansolini de Ebulo unam vineam cum terra vacua in pertinentiis ipsius Petri ac septem petiolas terrarum in pertinentiis ejusdem; similiter etiam Pauli comitis Golisani Roccellam cum possessionibus et rationibus suis, in qua sita est ecclesia ad laudem Salvatoris et Beate Marie semper Virginis et molendinum et tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem in partibus Sicilie, sicut in instrumentis et scripturis publicis eidem inde factis plenius continetur, et aliud tam in possessionibus quam in libertatibus et in eisdem apertius describuntur ac ipsum monasterium ut supra omnia predicta libere tenuit et possedit. Verum majestati nostre devotius supplicaverunt quatenus omnia supradicta de novo donare et perpetuo in elemosynam concedere ac libere confirmare eidem monasterio de nostra munificentia dignaremur. Nos itaque attendentes honestam eorum religionem, petitiones ipsorum benignius admittentes, et ob reverentiam Dei ac gloriosissime Virginis Ge-

nitricis ejus in cujus honore idem monasterium est fundatum; pro remedio quoque fidelium regum predecessorum nostrorum et divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende et pro salute principali nostra, perpetuo ac de abundantiori gratia nostra supradictam ecclesiam Sancti Honuphrii ac nominatum casale de Massa et Pescum de Morra ac etiam et alias prefatas ecclesias, homines, possessiones, molendina et redditus cum omnibus eorum pertinentiis et rationibus ac libertatibus, de novo donamus et perpetuo in eleemosynam ac libere concedimus eidem monasterio, sicut in instrumentis ejusdem plenius continetur. Ad hujus autem donationis, concessionis et confirmationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum, presens privilegium scribi et majestatis nostre sigillo precipimus communiri.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense maii, indictione septima, regnante domino nostro Frederico, Dei gratia excellentissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ejus in Germania VII.

Datum apud Augustam, anno, mense et indictione supradictis.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Castellense in suam et imperii specialem defensionem recipiens, ejusque possessiones confirmans, concedit ei liberam electionem advocati, quem secundum privilegium Innocentii papae II, rex ipsiusque successores ad petitionem abbatis et fratrum ejus constituent.

Apud Herbipolim, 24 maii.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXIV, p. 325, n° 10. — Coll. cum originali unde sigillum fere integrum ac bene expressum appendet ex filis sericis rubri et albi coloris. Cf. *Monum. Boic.*, t. XXX, n° 640.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Si locis Deo dicatis prodesse et personas religiosas in suis justis desideriis

exaudire curabimus, ei per quem regnamus devotionem nostram strictam efficimus et acceptam, et ad utriusque vite felicitatem id nobis non ambigimus profuturum. Quapropter universis imperii fidelibus presentis etatis et posteritatis successive duximus declarandum quod nos eterne retributionis intuitu, ad instantiam quoque et supplicationem dilecti fidelis nostri Gebehardi abbatis, recepimus in nostram et imperii specialem defensionem monasterium Castellense, situm in episcopatu Eustedensi, cum omnibus possessionibus suis longe vel prope constitutis et cum universis mancipiis utriusque sexus ad ipsum locum pertinentibus; confirmantes eidem monasterio quecumque oblatione fidelium seu alio justo acquisitionis titulo in presentiarum tenet et possidet vel in antea, Domino concedente, poterit adipisci. De habundantiori quoque benevolentia et gratia qua idem monasterium amplectimur, concedimus sibi ac in perpetuum nos et omnes successores nostros promittimus observaturos quod advocatiam ipsius monasterii omni tempore ad manus nostras retinebimus, nec de ipsa in parte vel in toto aliquid cuiquam infeudabimus vel obligabimus seu aliquo modo alienabimus. Et ad commodum abbatis et fratrum Deo ibidem famulantium, sicut vidimus in privilegio Innocentii pape secundi expressius contineri, dabimus ipsi monasterio ad petitionem fratrum et constituemus advocatum, qui pro tempore vice nostra fretus bona ipsius de foris et intus manuteneat et defendat, et omnem fratrum injuriam ad se per querimoniam delatam debita ulciscatur severitate. Si vero aliquis advocatorum monasterio inutilis, abbati quoque et fratribus gravis et incommodus extiterit, hunc quamprimum super hiis per fratres fuerimus certificati, ab administratione advocatie decernimus removendum et alium qui idoneus et utilis fuerit loco illius substituendum. Statuimus igitur et sub pena gratie nostre districte precipimus ut nullus sit qui ipsum monasterium et fratres super premissis impedire audeat aut dampnum ipsis irrogare. Quod qui fecerit omnipotentis Dei iram et nostre majestatis gravem offensam se noverit incursurum. Ad cujus rei certam in perpetuum evidentiam, presens privilegium conscriptum munimine sigilli nostri jussimus corroborari.

Hujus rei testes sunt : Ebirhardus Salzburgensis archiepiscopus, Otto

Erbipolensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Bernhardus dux Karinthie, Hermannus marchio de Badin, comes Hartmannus de Wirtemberc, Henricus marchio de Berge (1), comes Adolfus de Schowinburc, Reinaldus dux Spoleti, Waltherus de Langinberc, Swigerus de Mindilberc, Berngerus pincerna de Schipfen, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum regis et semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus (2), imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, regnante domino Friderico secundo Romanorum et Sycilie rege glorioso, anno regni ejus septimo.

Datum apud Erbipolim, nono kalendas junii, indictione septima.

Fridericus, Romanorum rex, ad preces Mathildis abbatissae superioris monasterii in Ratispona, quae per sententiam principum advocatias de Tegirnheim et aliorum locorum nominatorum ab Ulrico de Bentlingen liberas evicerat, easdem advocatias Ludewico duci Bawariae, palatino comiti Reni, committit. Apud Nurimberg, 1° junii.

---

(1) Rectius, ut videtur, *comes* de Berg. Cf. STAELIN, *Wirtemb. Gesch.*, t. II, p. 358.

(2) Quomodo circa hoc tempus de liberatione Theobaldi ducis Lotharingiae Conradus sategerit, comperimus ex *Hist. de Metz par des relig. Bénédict.*, t. II, p. 417, his verbis : « Conrad » [évêque de Metz] se rendit à Wirtzbourg pour y solliciter sa liberté et l'obtint moyennant » une rançon de 1,200 livres monnaie de forts, dont il demeura garant. Son billet est du mois » de mai 1219. (Chancellerie de Vic.) » Instrumentum vero frustra requisivimus. Res tamen non parum obscura manet, dum Theobaldum curiae regali adstantem 20 junii usque ad decembrem 1218 inveniamus, et denuo mensibus augusto et septembri 1219 inter testes resurgat. De hujus in Lotharingiam reditu et genere mortis non clarius constat, licet Richerius Senonensis hunc a meretrice, jussu Friderici (!), venenatum referat.

(Editum in ZIRNGILD, *Reihe der aebtissinen von Obermunst.*, p. 29.— RIED, *Cod. diplom. Ratisb.*, t. I, p. 321, num. 338, qui ad finem numeri ejusdem notat se vidisse sigillum totum adhuc, sed nonnihil laesum.— WESTENRIEDER, *Beitrage*, t. X, p. 134.— *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 79, num. DCXLI, ubi sigillum filis sericis purpurei coloris adhaerens, sicut tunc aderat, describitur.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Sicilie. Notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum dilecta nostra Mahthildis abbatissa superioris monasterii in Ratispona coram nobis per sententiam principum advocatias de Tegirnheim, Buolinhovin, Otmaringin et Nanticingin cum aliis advocatiis quas Ulricus de Bentlingin et quidam alii injuste sibi vendicaverant, liberas et absolutas ei esse evicisset, nos easdem advocatias de consensu et ad preces prememorate abbatisse, concessimus et commisimus dilecto et consanguineo nostro L. illustri duci Bawarie, palatino comiti Reni, tenendas et protegendas, secundum justiciam et tenorem privilegiorum ipsius ecclesie, et quod de ipsis advocatiis infeudando, obligando seu alio aliquo modo nil unquam licitum sibi sit distrahere vel alienare. Ad cujus rei evidentiam, presentem paginam conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

Testes hii sunt : Chunradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Ulricus Pataviensis episcopus, Bernhardus dux Carinthie, Hermannus marchio de Badin, Ebirhardus de Ebirstein, comes Kalhous de Kircperc, Henricus de Lapide, Gotefridus de Arnisperc, et alii quamplures.

Datum apud Nuorinberc, kalendis junii, indictione septima.

Apud Nuremberg, 16 junii.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae grates agit quod litteras miserit pro curia generali in festo beati Johannis celebranda perutiles; postulat ut negotia sua ab ipso papa finem obtineant optatum, hortaturque ne aurem accommodet detractionibus

illorum qui se de terra Ecclesiae concessionem fecisse mendaciter obloquuntur.

(Edidit, non tamen omnino integre, RAYNALDUS, *Annal. ecclesiast.*, tom. I ad ann. 1219, § VII, e *Regest.*, lib. III, n° 531 ; quae desunt, scilicet post *deleta* usque ad *quia cum*, addidimus e Boehmero, *Regest.*, p. 99, n° 279.)

Sanctissimo patri et domino Honorio, etc. Fredericus, etc. Quid facimus, pie pater, quod ad referendas vobis gratias quas beneficia exigunt, vix vires nobis et merita suffragantur, cum tanta sit affluentia benignitatis et muneris quod ad recompensationem ejus inaniter se videatur erigere nostre propositum voluntatis? Ad Deum ergo humilitate supplici recurrentes, petimus incessanter ab eo ut ipse vobis tribuat pie actionis premium, qui prestitit pietatis affectum. Nos etiam quantum possumus et valemus, vestris nos mandatis exponimus et beatitudini commendamus. Sane quantum nobis attulerint commodi ac honoris et crucifixi negotio complementi vestre littere noviter destinate (1), narrare non expedit : nam videbitur citius per effectum. Recepimus enim litteras ipsas decimo die ante festum beati Johannis in quo generalis debet curia celebrari (2) et specialiter pro negocio Terre Sancte. Unde si deessent littere memorate, multi forte principes, comites et barones aliquam occasionem pretenderent que per litterarum presentiam penitus est deleta. Igitur, beatissime pater, filii vestri negotia que a vobis habuerunt principium et finem prestolantur optatum (3), habere dignemini more solito commendata, quia cum vobis fuerit fidei nostre devotio manifesta, non penitebit vos tantam nobis fecisse gratiam et prestitisse favorem; immo speramus de misericordia Salvatoris quod ad augmentandum honorem

(1) Videlicet quae supra ad octavum decimum diem maii memorantur.

(2) Nulla alia notitia superest unde constet curiam de qua agitur hoc die fuisse celebratam. Facilius crediderim curiam, primo ad mediam quadragesimam in Magdeburgum indictam (vid. supra p. 584), ad diem 24 junii mox prorogatam et denique de Magdeburgo ad Goslariam circa julium ineuntem translatam fuisse.

(3) Forsitan alludit rex, ut monet Raynaldus, ad preces quibus jam tunc Honorium efflagitabat ut ipsum imperiali diademate redimiret.

nostrum et commodum potius vestra benignitas et diligentius accendetur. Super eo vero quod vestra nobis sanctitas nunciavit de terra Ecclesie quam nos dedisse quidam vobis detractores et emuli nunciarunt, coram Deo et vobis veraciter protestamur quod de conscientia nostra nullam exinde concessionem fecimus nec etiam mentionem, nec de cetero, dante Domino, faciemus nisi quod vestrum et ecclesie respiciat incrementum. Et si forte contra hoc, quod non credimus, aliquid apparuerit, sciatis a conscientia nostra esse penitus alienum : propter quod, pater et domine, cum hujusmodi ad vos perveniunt, quia scitis nonnullos in turbationibus et schismate delectari, aurem vestram eorum accommodare relationibus non velitis, sed os loquentis malitiam vestris redargutionibus obruatur.

Datum apud Nuremberch, XVI junii (*a*), septime indictionis.

Apud Nuremberg, junio.

Fridericus, Romanorum rex, ad preces Tancredi archiepiscopi Hydruntini, qui ad praesentiam suam accessit, ei et ecclesiae ejus confirmat omnia privilegia a duce Rogerio, a Bohemundo patre et filio, a regibus Rogerio et Guillelmo secundo, a matre sua Constantia et a caeteris indulta.

(Inedit. ex regesto Caroli II, ann. 1305 (1306), litt. D, fol. 35 verso.— Memorat. ap. Vincenti, *Teatro delli protonot. del regno di Napoli*, p. 36.— Ex eodem Vincentio indicavit quoque Ughelli, *Ital. sacra*, t. IX, p. 57. Errant tamen ambo, dum diem *nonum* junii memorent.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi. Amen. Fredericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Laudabilia sunt in principe quelibet opera pietatis; sed illud laudabilius creditur quod sacrosantis ecclesiis, viris religiosis et per-

(*a*) Ap. Raynaldum *XVI idus junii,* male. Correximus ex indice Laporte du Theil.

sonis ecclesiasticis et fidelibus exhibetur. Dignum enim est et Deo satis acceptum ut nostrorum largitate munerum semper accrescat facultas ecclesiarum, et que eis donata sunt et concessa et nostrorum privilegiorum munimine confirmata, ratiahbicione firmentur in posterum, ut tractu temporis roboris obtineant firmitatem. Eapropter universis personis ecclesiasticis et secularibus, majoribus et minoribus, in perpetuum notum esse volumus quod Tancredus venerabilis Ydrontinus archiepiscopus, fidelis noster, ad presentiam nostram in Theotoniam veniens celsitudini nostre humiliter supplicavit ut privilegia ecclesie sue Sancte Marie Ydrontine concessa per ducem Rogerium filium Roberti Guiscardi, ducem Boamundum primum et secundum, reginam Constanciam uxorem predicti primi Boamundi, Rogerium de Pomerea (?), illustrem regem Rogerium et regem Villelmum secundum, karissimam matrem nostram dominam imperatricem Constanciam felicis memorie, et plures alios, quorum privilegiorum quedam diuturnitate temporis erant tinearum corrosione consumpta, dignaremur revocationis titulo et confirmationis munimine roborare. Nos autem attendentes ipsius venerabilis archiepiscopi fidem puram, devocionem laudabilem et valde grata servicia que majestati nostre animo sincero attentius exhibuit et que in antea mente non ficta poterit exhibere, nec non videntes diligenter privilegia ipsa et aure benigniori sonanti (*sic*) audientes, sicut inferius annotabitur ejus supplicationes clementer admisimus; et ut ipsius ecclesie indempnitati salubriter in posterum provideretur, de gratia et certa conscientia nostra ipsum Tancredum venerabilem archiepiscopum et suam matricem Ydrontinam ecclesiam cum omnibus ecclesiis, possessionibus et juribus ad eam spectantibus sub nostra protectione recepimus speciali; donantes et concedentes ac presenti privilegio in perpetuum confirmantes memorate ecclesie, ipsi archiepiscopo et ejus successoribus totam decimam ipsius civitatis nostre Ydronti absque impedimento et calumpnia, videlicet de frumento, vino et ordeo, oleo et moneta, et de omnibus frugibus seu fructibus terre tam demanii nostri quam baronum et hominum nostrorum qui sunt in diocesi vel parrochia Ydrontina et si quas in aliis parrochiis ipsa possedit ecclesia, decimam etiam omnium animalium et jumentorum et omnium

leguminum seu erbarum in lana, lino et caseo, decimam nichilominus omnium reddituum portus, decimam etiam de judiciis, de balneis, de omnibus solidis et pecuniis que provenerint tam de christianis quam de hebreis, de plateatico et de omnibus introitibus tam in auro quam in argento et omnibus legitimis redditibus que de Ydrontina civitate et ejus pertinentiis provenerint. Inibentes ne quis pro solvendis prefatis decimis aliquod loerium vel servitium extorquere vel postulare presumat. Concedimus etiam et in perpetuum confirmamus memorate ecclesie Sancte Marie Ydrontine naves ecclesie et barcas piscatorias tam ecclesie quam hominum ejus libere ire et redire et piscari absque omni tributo et qualibet datione, et quatuor mancellarios in urbe Ydronti quos ecclesia ipsa per singulos annos elegerit nostre curie aliquod servicium non reddentes, nec non potestatem extraneos homines affidandi qui libere serviant prefate ecclesie nullum curie nostre servicium facientes; insuper loca, domos, casalia, homines quos inter et extra civitatem nostram Ydrontinam ecclesia hactenus habuit vel in antea juste poterit habere, mandantes et indiscusse precipientes ut res predicte ecclesie et hominum ejus pro nullo nostro servicio capiantur aut angariam faciant neque per mare neque per terram, licet magna servicii necessitas immineat, sed quiete et pacifice vivant. Concedimus insuper et confirmamus judicium omnium clericorum Ydrontine diocesis et omnium hominum ecclesie jamdicte et auctoritatem constituendi judicem et notarium super negotiis ipsius ecclesie et hominum suorum, et judicium de adulteriis; ita videlicet ut si quis de parrochia vel diocesi prefate Ydrontine ecclesie adulterio accusatus vel in eo fuerit apprehensus, ad judicium curie ipsius ecclesie consistat et de curia ipsius ecclesie judicetur et corrigatur, excepto si per insultum et violenciam adulterium committatur; quod si acciderit, judicetur ab ecclesia de ipso adulterio quod ad judicium spectat ecclesie, et de hoc quod ad judicium curie nostre videlicet de insultu et violentia, judicetur ab ipsa curia nostra. De personis autem clericorum volumus et jubemus ut si aliquis clericus prefate diocesis de aliquo foris facto vel maleficio de quo de persona sua judicari vel condempnari debeat fuerit condempnatus ab ecclesia et in curia ejusdem ecclesie, de hoc quod

ad suam personam pertinet judicetur et corrigatur juxta canonicas sanctiones. Excepto si de proditione clericus appellatus fuerit vel tali maleficio quod spectat contra majestatem nostram; quod si acciderit, volumus et mandamus atque statuimus ut de hoc quod spectat ad judicium ecclesie prius ab ipsa ecclesia judicetur, et de hoc quod spectat ad judicium curie nostre demum judicetur ab ipsa curia nostra. Preterea concedimus eidem ecclesie Ydrontine et perpetuo confirmamus terras Calomodii cum pertinentiis suis, ortos et terras que sunt ex parte Arene et alios ortos ejusdem civitatis quos habet ipsa ecclesia, nichilominus etiam omnia monasteria seu omnes ecclesias tam latinas quam grecas Ydrontine diocesis sub censu et obedientia constitutas et libertatem etiam clericorum, salvo servitio si quod de possessionibus suis curie nostre debetur. De habundantiori quoque munificentia nostra donamus, concedimus et perpetuo confirmamus ecclesie memorate casale Ciani cum terris Caserani, casale Quatuormachine cum tenimentis Sancti Georgii de Perse, casale Jujanelli, casale Mirani cum omnibus tenimentis et pertinentiis predictorum casalium, homines etiam qui sunt in casale Melpeuniani cum omnibus tenimentis et pertinentiis eorumdem, nec non et ecclesiam Sancti Georgii de Mare cum hominibus, terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Stephani cum terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Petri de Canali cum terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Spiritus de Arenula cum hominibus, terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Blasii cum terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Leonardi cum terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Zaccharie cum terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Johannis de Palma, ecclesiam Sancti Johannis de Minerva, ecclesiam Sancti Martini de Bodisco, ecclesiam Sancti Nicolai de Tribus Areis, ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani cum hominibus, terris et pertinentiis eorumdem, ecclesiam Sancte Marie de Nuco cum hominibus, terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Petri de Curse cum hominibus, terris et pertinentiis suis, ecclesiam Sancte Efemie que est in partibus Alixani cum hominibus, terris et pertinentiis suis; nichilominus etiam tertiam partem loci qui dicitur Alimini et unam in eodem loco piscariam et consum (censum?)

qui canoitensis (*sic*) dicitur in ecclesiis que in civitate Ydronti et parrochiis archiepiscopatus sunt site, nec non potestatem et auctoritatem reducendi et revocandi homines ipsius ecclesie fugitivos, ubicumque fuerint, ad servicium et loca ecclesie juxta consuetudinem regionis ipsius; non obstante privilegio seu licteris contra hoc hactenus impetratis. Concedimus insuper et insuper in perpetuo confirmamus jamdicte ecclesie Ydronti ut si aliquis liber homo ipsi ecclesie per omnia sua sive mobile sive stabile concedere vel offerre voluerit aut etiam vendere, libere facere valeat, et id ipsum ecclesie jamdicte de cetero stabile sit et firmum, salvo servicio [quod] super exinde curie nostre debetur. Statuentes et presenti scripto privilegio firmiter injungentes ut quecumque persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostram protectionem, concessionem, donationem et confirmationem in parte vel in totum infringere vel violare presumpserit, centum libras auri puri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero ecclesie supradicte solvatur. Ut autem hec omnia supradicta firma et rata perpetuo maneant, presens privilegium inde scribi fecimus et sigillo nostre majestatis perpetuo valituro fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Salseburgensis archiepiscopus, Patavinus episcopus, Euchstadensis (*a*) episcopus, L. dux Vavarie et comes palatinus Reni, ... dux Carenthie, H. marchio de Baden, ... borgravius de Nurimberc, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici, Dei gratia Romanorum regis, semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Corradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Siffridi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XVIIII°, mense junii, indictione septima, regnante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania septimo et in Sicilia XXII, feliciter. Amen.

(*a*) In transumpto *Haustanensis,* male; forsitan quoque *Lausanensis.*

Datum apud Nuramberc, per manus Henrici imperialis aule prothonotarii, anno, mense et indictione prescriptis.

Rex Fridericus conventu habito apud Goslariam principes convocavit, ubi dux Henricus [de Brunswick] ei imperii insignia praesentavit. Albert. Stad. ad ann. 1219. Cf. *Hist. imper.*, ap. Mencken, *Script.*, t. III, p. 120. Apud Goslariam, julio.

Fridericus, Romanorum rex, pro gratis et fidelibus servitiis burgensium Goslariensium, eis confirmat et renovat privilegia a praedecessoribus suis indulta, jura in his diversis rescriptis sparsim notata colligit et inde corpus legum ordinat super negotiis civitatis administrandis. Apud Goslariam, 13 julii.

(Edider. Heineccius, *Antiq. Goslar.*, p. 218. — Scheid, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 667, n° 180. — Bondam, *Charterboek*, t. I, p. 317. — Göschen, *Goslar. Statuten*, p. 111.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Imperialis providentie benignitas exposcit uberiorem eis nos gratie nostre favorem impendere qui ad nostrum imperiique honorem promovendum majori pre ceteris devotione deserviunt, ut ita studeamus singulorum meritis respondere quatinus apud Deum et apud homines memoria nostra sit in benedictione. Hinc est quod ad universorum Christi fidelium tam futurorum quam presentium notitiam pervenire volumus qualiter civitas Goslariensis quam non immerito speciali pre ceteris dilectione amplec-

timur, ab antecessoribus nostris dive memorie regibus et imperatoribus funditus constructa, sacrarum legum constitutionibus fuerit elegantissime privilegiata. Unde nos attendentes ejusdem civitatis burgenses ob honoris nostri promotionem ac inviolate fidei sue conservationem multa corporum pericula diversasque rerum jacturas ab inimicis imperii pertulisse, de condigna eorum remuneratione solliciti, jura predicte civitatis que ab antiquis imperatorum et regum donationibus eis indulta, sed a quibusdam ipsius civitatis habitatoribus immutata et in abusionem fuerunt deducta, postulante hoc ipsorum burgensium devotione, renovare decrevimus et confirmare, dignum ducentes ea jura que in diversis rescriptis sparsim habuerunt notata, diligenter in unum colligere atque ad majorem cautelam scripto commendata sigillatim duximus hoc ordine describenda. Quicumque manens in civitate Goslariensi et a nemine quamdiu vixit de servili conditione convictus est, post mortem ipsius nullus eum in servum appellare vel in servitutem redigere presumat. Si quis vero extraneus civitatem jamdictam ad inhabitandum intraverit et sic in ea annum et diem perstiterit quod de servili conditione nunquam fuerit accusatus, convictus vel confessus, communi aliorum burgensium gaudeat libertate et post mortem suam nullus eum in servum audeat sibi vendicare. Quicumque super alium voluerit testimonium proferre, dabit quinque solidos advocato civitatis pro reliquiis et pro causidico, ut in eum super quem probare vult secundum jus civile valeat profiteri. Qui vero de pace Dei se expurgare voluerit, nec pro reliquiis nec pro causidico quicquam est daturus. Si quis autem ad producendum super aliquem testimonium vilem et infamem personam pretio conduxerit, reus judicetur. Si quisquam impubes, qui videlicet ad annos discretionis non pervenerit, in civitate Goslariensi manens possessionem seu hereditatem suam de consensu tutoris sive mundiburdii sui cuiquam dare voluerit, libere hoc faciet et factum idem jure suo firmum et stabile permaneat. Si aliquis burgensis domum suam pignori obligare voluerit et tres vel duos veraces suos vicinos cum judice civitatis adhibuerit, sufficere judicamus. Si quis de pignore sibi obligato coram judice confessus fuerit, postmodum negare non valebit. Quicumque alicujus domum conduxerit

sive gratis ei concessa fuerit inhabitanda, nullam in eadem domo proprietatem mentiendo suam esse sibi vendicare poterit, nisi forte coram burgensibus suis eam juste acquisierit. Si quis aliquem pro debitis in judicio convenerit, is qui convenitur nullam recusationem faciet nisi quod neget debitum vel quod confiteatur, nec aliquis mentiendo dicat se in alio loco sub aliquo judice debitum persolvisse. Tamen si voluerit ejusdem debiti solutionem probare, faciat hoc cum judice uno et duobus vel tribus burgensibus. Preterea nullus regum vel principum imperii vel extraneorum hominum super aliquem burgensium Goslariensium extraneum debet adducere testimonium, sed per burgenses civitatis suam probare tenetur intentionem. Nullus imperatorum seu regum cuiquam predictorum burgensium sub obtentu gratie sue precipere debet ut aliquem burgensem suum accuset apud ipsum et dampnum ei faciat, nisi forte aliquis advocato civitatis contumax fuerit et rebellis, et tunc debet dominus imperator sive rex sub obtentu gratie sue si ita sit burgenses interrogare. Ipsi quoque burgenses Goslarie cum nullo principe contra alium principem contendere debent seu guerram facere nec cum aliquo bellicam movebunt expeditionem, nisi pro defensione patrie ad locum qui dicitur Hildegesborch, ibique quatuordecim diebus in propriis permanebunt expensis. Habebit eadem civitas pacem firmam in domibus suis, ut nullus ad eas fugiens inde violenter extrahatur. Si vero proscriptum quemquam in domum suam quis receperit, si ab advocato et actore super eo fuerit incusatus, proscriptum restituet ad justitiam aut ipse cum burgensibus duobus certum faciat advocatum et ceteros burgenses in reliquiis se ignorare si in aliquo domus angulo proscriptus habeatur. Licet etiam unicuique hominem proscriptum in taberna vini aut cervisie repertum occupare et comprehendere, sicut in platea deprehensum. Quicumque in eadem civitate manens ita demum obierit quod toto vite sue tempore nunquam ab aliquo fuerit excommunicatus vel denuntiatus, ipsum non debet aliquis post mortem suam excommunicatum denuntiare. Nullus accusare debet mulierem in synodo nisi maritus ejus, nec virum aliquis nisi uxor ejusdem. Si quis duas uxores vel plures duxerit, dos prime uxoris firma debet permanere. Nullius filia sororve que non-

dum pubertatis annos impleverit, desponsationem cum aliquo faciat nisi de consensu mundiburdii sui fiat. Et nullus mulierem vel virginem cum aliena substantia deducat, et si fecerit quecunque detulit preter vestes ejus, restituat et hoc ita, si confiteatur factum; si vero neget, de hoc sola manu se tenetur expurgare. In eadem etiam civitate nulli jus quo burgenses gaudeant concedatur, nisi ipse similiter jus eorum observet. Sub quocumque mercatorum ejusdem loci vel alio quolibet burgense preter monetarium falsi nummi fuerint reperti, cum ejusdem nummis si poterit ad eum qui eos sibi tradidit tendat et eum exhibeat; sin autem, juramento firmare debet quod eosdem nummos falsos ignoraverit accipiendo dando; et ita demum incisi debent ei restitui, quod tantum erit tribus vicibus faciendum. Si vero circa unum et eumdem hominem quarto contigerit, tenetur respondere de falso. Si vero sub monetario falsi nummi fuerint deprehensi, ubi eos alicui dat, si non poterit exhibere illum qui eosdem nummos sibi dederit, de falso convictus esse judicatur. Quod si gratiam apud judicem invenerit, auro, argento vel cupro seu quocumque censu poterit, manum redimat; quod tamen non sepius quam semel ei facere licebit. Quod si falsarius manum redemerit, exlex vel infamis erit quod vulgariter Echlos dicitur, ac si pro falso manum perdidisset. In nullius autem domo vel cista res alique sunt querende preterquam falsi denarii et res divino cultui consecrate; quod per se facere burgenses debent aliquo ex judicibus civitatis secum assumpto. Cujuslibet etiam monete denarii dandi sunt in civitate Goslariensi juxta valorem suum. Nullus preterea burgensis Goslariensis alicubi judicio stare debet, preterquam in ipsa civitate in palatio imperii sub quo habitat. Nec aliquis ex eisdem civibus alium concivem suum extra civitatem sive ad curiam nostram vel successorum nostrorum seu ad alium locum ad judicium trahere presumat super aliquibus ei responsurum, nisi forte actor a reliquis burgensibus testimonium habeat quod ille quem convenire vult advocato civitatis contumax extiterit et rebellis. Ceterum nec advocatus nec judex nec quisquam alius furem seu quemlibet alium in civitate comprehendat, nisi presens sit is qui contra eum ponere vult actionem. Mercatoribus etiam jam sepedicte civitatis, sicut et antecessores nostri fecerunt, per-

petua stabilitate concedimus quatinus per totum imperium mercaturas et negotia sua exercentes ab omni thelonio liberi existant et absoluti, preterquam in tribus locis, id est Colonia, Thile et Bardewich. Nullus quoque in civitate Goslariensi alicujusmodi vincula vel ergastula, nisi publica tantum que regalia dicuntur, habere presumat. Nec causam suam perdat et tam advocato quam vinculato satisfaciat. Item advocatus civitatis nullius hereditatem debet accipere, preterquam histrionum, joculatorum et advenarum; sed hereditatem advene per unius anni circulum in manu alicujus burgensis salvam faciet observari. Infra quod tempus si nemo venerit qui eam petat, tunc demum ipsam hereditatem advocatus sibi retinebit. Idem etiam advocatus cum presidet judicio, nullum eorum quos judices statuit nec patronum cause nec aliquem de familia sua de ulla sententia debet interrogare, et quatuor tantum habebit sub se judices et non plures. Nec aliquem illorum in sua tenere debet procuratione. Neminem quoque jamdictus advocatus de aliqua sententia interrogabit nisi unum ex burgensibus, et eamdem sententiam ipse advocatus non reprehendet nec repellet, sed unus tantummodo burgensis et idem invenire debet meliorem. Cujuscunque vero sententie major pars burgensium assensum prebuerit, ejus sententia prevalebit. Preterea datum est regali precepto quod nulla sit conjuratio nec promissio vel societas que theutonice dicitur Eyninge vel Ghilde nisi solum monetariorum, ea de causa ut caveant de falsis monetis. Si quis vulneratus alium de vulnere suo convenerit qui se dicat innocentem, is qui convenitur cum septem burgensibus qui proprios habent domos se debebit expurgare. Precipimus ut omne jus absque captione quod vulgo Vare dicitur observetur tam de extraneis quam de burgensibus. Si quis de subtractione thelonii fuerit incusatus et factum negaverit, sola manu se expurgabit. Si vero convictus fuerit vel confessus, ipsum thelonium et preterea octuplum restituat, et advocato civitatis pro quolibet denario sexaginta solidos vadiabit. Quod si aliquis res suas in civitatem duxerit et nichil emerit vel vendiderit, liber absque thelonio recedet. Si vero vendendo vel emendo aliquid commutaverit, tenetur thelonium solvere constitutum. Nullus burgensium de aliqua substantia sua extra civitatem deducenda

thelonium dabit nisi tantum de cupro non fabricato. Nullius burgensis vel silvani bona pro beneficiis de advocatia solvendis pandari debent, nisi tantum bona ipsius civitatis advocati; qui etiam cum venali foro civitatis nichil debet disponere, nisi per burgenses trahatur ad ipsum. Jus est quod a burgensibus quatuor judices eligantur, pro quo sunt daturi sex marcas advocato, nichil minuentes vel nichil addentes. Nulli licitum est dare domum suam ecclesie nisi vendatur et ecclesie argentum tribuatur, ut etiam regi jus suum non detrahatur. Omnes in civitate redditus ad negotia burgensium debent adjuvare, preterquam bona clericorum et ecclesiarum. Jus est quod advocatus nullum incuset, nisi actore presente et consilio burgensium. Hec sunt jura silvanorum quod si quis ex servientibus ipsorum pretium quod vulgo Wist vocatur cuiquam eorum detulerit, in quocunque loco eum viderit ipsum absque judice vel ejus nuntio libere comprehendet. Iidem etiam silvani in bonis suis non debent pandari pro aliqua causa, nisi tantum pro redditibus imperii quos de follibus solvere tenentur. Silvani qui casas habent in locis campestribus de duobus follibus qualibet hebdomata Lot (*a*) argenti solvere tenentur imperio, hac de causa ut liceat eis carbones adducere de quocunque loco ipsis est oportunum. Si qua virgo vel mulier conqueratur quod sit violenter abducta et vim passa, nisi recens sit causa, nullatenus audiatur. Ut autem hec nostra constitutio debitam in posterum obtineat firmitatem, presenti pagina sigilli nostri appositione signata confirmamus, statuentes quod nulla omnino persona huic nostre donationis privilegio presumat ausu temerario contraire.

Hujus rei testes sunt : Albertus archiepiscopus Magdeburgensis, Otto episcopus Herbipolensis, Conradus episcopus Metensis imperialis aule cancellarius, Fridericus Halberstadensis episcopus, Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Sifridus Hildeshemensis episcopus, Conradus Mindensis episcopus, Eckehardus Merseburgensis episcopus, Ludevicus dux Bavarie, Albertus marchio Brandenburgensis, Henricus dux Saxonie (1),

(*a*) Germanice *Loth, semiuncia* vel *denarius.*

(1) Sive de Brunswick, Ottonis imperatoris germanus frater. Vid. supra, p. 643.

Hermannus marchio Veronensis, Hermannus et Henricus comites de Woldenberch, et alii quamplures.

Actum anno incarnationis dominice M. CC. XIX.

Datum apud Goslariam, III idus julii, indictione septima.

Fridericus, Romanorum rex, sententiam confirmat a Martino milite de Huthe coram Gherardo Bremensi archiepiscopo pro canonicis Sancti Anscharii in Brema latam contra Rolandum civem Bremensem super medietate cujusdam mansi. Goslariae, 15 julii.

(Edidit Lappenberg, *Hamburgisch. urkundenbuch*, p. 368, n° CDXXII, ex copiar. capit. S. Anschar., fol. 141 *a.*)

Fridericus, Dei gratia Romanorum [rex] semper augustus, et rex Sicilie. Per presens [scriptum] notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos sententiam quam Martinus miles de Huthe coram Gherardo venerabili Bremensi archiepiscopo pro canonicis Sancti Anscharii in Brema tulit contra Rolandum civem Bremensem super medietate unius mansi, sicut juste lata est regio munimine confirmamus : videlicet si predicti canonici primam agri possessionem possunt probare per circumsedentes homines et privilegium collationis ostendere, et quod idem ager in sortem archiepiscopi cadit et non comitis Mauritii de Aldenborch, per hoc medietatem ipsius mansi valeant perpetuo possidere. Statuentes et mandantes firmiter ut nemo contra ipsam sententiam ire presumat. Quod qui presumpserit nostram indignationem se sentiat incursurum. Ad hujus autem nostre confirmationis memoriam, presens scriptum inde fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Datum apud Goslarie (*sic*), idus julii, indictione septima.

Apud Goslariam, julio.

Fridericus, Romanorum rex, abbati et fratribus de Walkenried jus concedit emendi et vendendi in civitate Northusen sine thelonei solutione, et ipsorum pecuniam apud burgenses quos elegerint in denarios convertendi; eosdemque immunes declarat ab omni tributo in usus imperii vel civitatis necessitatem applicando, excepto si fossata fodere et muros restaurare oportuerit.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 99-100, n° 282, ex originali apud Hannoveriam asservato et ipsi a Bethmanno communicato.)

Hujus rei testes sunt : Adolfus comes de Schauenburg, Hermannus comes de Harzburg, Burcardus comes de Scarpfeld, Heinricus comes de Lauterburg, Heinricus comes de Stalberg, Theodericus et Heinricus comites de Honstein, et alii quamplures.

Datum apud Goslariam, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, mense julio, indictione septima.

Apud Goslariam, julio.

Fridericus, Romanorum rex, notam facit commutationem bonorum inter comitem Helgerum de Honstein et conventum de Walkenried factam, scilicet de uno manso in Otstede quem conventus recepit pro uno in Sundhausen quem dedit.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 100, n° 283, ex copia apud Weimariam asservata.)

Hujus rei testes sunt : Heinricus comes de Stalberg, Burcardus comes de Scarpfelt, Heidenricus comes de Lauterberg. . . . . . .

Datum apud Goslariam, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, mense julio, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Sanctae Trinitatis de Panormo, sicut hospitali Theutonicorum concessum fuit, in possessionibus ejus confirmat, et inter alia privilegia eidem hospitali concedit jus victualia monasterio necessaria per portas Panormi sine ulla datione introducendi. Apud Goslariam, julio.

(Edid. Mongitore, *Mans. S. Trinit. monum. hist.*, p. 23, ex autogr. in membranis mansionis hujus, ap. Graevium, *Thes. antiq. Sicil.*, t. XIV.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia, Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regie serenitatis clementia sui nominis preconia tunc accrescit et gaudia sibi eterne salutis accumulat, cum ecclesiarum omnium et maxime locorum venerabilium utilitatibus favorabilis et liberalis existit. Eapropter notum facimus universis tam presentibus quam futuris fidelibus nostris quod nos, ad imitationem domini imperatoris et domine imperatricis felicium parentum nostrorum dive memorie, monasterium Sancte Trinitatis de Panormo a Mattheo quondam dicto cancellario constructum, quod ipsi dominus imperator et domina imperatrix ecclesie Sancte Marie et hospitali Theutonicorum misericorditer concesserunt, necnon et viridarium in quo ipsum monasterium est constructum, cum aqua que Gribel dicitur ad unam palmam pro ipso viridario irrigando, sicut tempore Matthei dicti cancellarii consueverat irrigari, et etiam possessiones omnes et tenimenta que ex donatione ejusdem dicti cancellarii et filiorum ejus ipsum monasterium rationabiliter possidet et in antea juste poterit adipisci, prout continetur in eorum authentico, benigne concedimus et auctoritate presentis privilegii confirmamus. Preterea de innata nobis benignitate concedimus ut de omnibus que fratres ipsius hospitalis miserint per portas civitatis Panormi ad opus ejusdem monasterii, videlicet de frumento, hordeo, leguminibus, vino, oleo, racemis, carnibus, aliisque

victui necessariis, de lignis ad comburendum, lignaminibus pro domibus ipsius monasterii reparandis, de pannis etiam pro fratribus et hominibus ejusdem monasterii, et omnibus aliis ad usum ipsius necessariis sive per terram sive per mare adducta fuerint, in introitu portarum civitatis Panormi nullum jus tribuant, sed omnia per portas ipsas libere et absque ulla datione transmittant. Fructus quoque viridariorum ipsius monasterii in ipsa civitate Panormi absque ulla datione vendantur. Concedimus insuper ut liceat predictis fratribus in molendinis nostris unam salmam frumenti singulis diebus ad opus ipsius monasterii molere sine aliqua datione. Si vero aliquis de hominibus vel servientibus ipsius monasterii fuerit de aliquo appellatus, non cogatur respondere vel ad justitiam stare nisi coram magistro vel priore ejusdem monasterii; preterquam si de criminalibus fuerit appellatus, unde confessus vel convictus vitam aut membrum debeat amittere. Ad hec quicumque Theutonicorum inunctionem aut sepulturam apud idem hospitale habere voluerit, libere ibi inungatur et sepeliatur. Hec autem omnia ipsis concedimus, salvo mandato et ordinatione nostra et nostrorum heredum; districte precipientes ut quicumque hujus nostre concessionis et confirmationis paginam violare presumpserit, triginta libras auri puri componat, medietatem camere nostre et alteram passis injuriam persolvendas.

Hujus rei testes sunt : Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Fridericus Halberstadensis episcopus, Sifridus Hildeshemensis episcopus et Ekhardus Merseburgensis episcopus, Conradus Mindensis episcopus, Henricus palatinus comes Reni, Ludovicus dux Bavarie (1), Albertus marchio Brandenburgensis, Hermannus marchio de Baden, comes Adolfus de Schovinburg, comes Hermannus de Arcisburg, Gunzolinus de Crozuk, Henricus de Undach (?), fratres ipsius Gunzolini, et alii quamplures.

Signum domini regis Friderici Romanorum regis, semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

---

(1) Ex horum subscriptionibus testium, compertum habemus, ut optime monuit Boehmerus, quamdam amicabilem de palatinatu Rheni compositionem inter ducem Bavariae et Henricum de Brunswick tunc temporis advenisse. Cujus tamen memoria non superest.

Ego Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntinensis sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense julii, indictione VII, regnante domino nostro Frederico, Dei gratia Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ejus in Germania septimo, et in Sicilia vigesimo primo, feliciter. Amen.

Datum apud Goslariam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, archiepiscopo, justitiario, judicibus et secreto Panormi mandat ut fratres domus Theutonicorum apud Panormum nec molestent nec permittant ab aliquibus molestari. Apud Northusen, 22 julii.

(Edid. Mongitore, *Mans. S. Trinit. monum. hist.*, p. 24, ap. Graevium, *Thes. antiq. Sicil.*, t. XIV.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, venerabili archiepiscopo dilecto familiari, justitiario, judicibus et secreto Panormi fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Fratres domus Theutonicorum nostre celsitudini conquesti sunt quod doanerii et cabelloti contra privilegia domini imperatoris felicis memorie patris nostri sibi indulta et a nobis etiam confirmata, frequenter in civitate nostra Panormi [ipsos] indebite molestant. Ideo mandamus fidelitati vestre precipientes firmiter quatenus fratres predictos nec molestetis nec permittatis ab aliquibus molestari vel impediri, et eos in pace ab omni questione dimittatis; sed quicumque adversus eos aliquid petere voluerit, coram nostra celsitudine de ipsis recipiet rationem in adventu nostro qui erit citius, Domino accedente. Si enim ipsi fratres de rebus suis, videlicet de victualibus, de animalibus, de fructibus viridariorum, de herbis culture eorum, in mari seu in terra, infra vel extra civitatem, cuilibet

aliquid vendere voluerint, sine datione dogane nostre libere semper et absolute vendant. Quicumque autem de rebus suis de cetero aliquid emerit, absque ulla datione doane nostre libere semper et absolute emere permittatur. Lac vero et caseum eorum libere similiter ubicumque vendant. Sane vero si fratres predicti per terram vel per mare aliquid domui Messane vel ultra mare transmittere voluerint, sine portulatico quantum voluerint audeant extrahere.

Datum apud Northus[en] (1), XI kalendas augusti, indictione septima.

Apud Erfurth, 25 julii.

Fridericus, Romanorum rex, ad petitionem Theoderici marchionis Misnensis, monasterium et hospitale quae ipse marchio apud Leipzig fundavit roborat, omnesque possessiones quas habent vel legitime acquisierint confirmat.

(Edider. Schöttgen et Kreysig, *Diplomatisc. und curieuse Nachlese*, t. I, p. 47; renovatum de verbo ad verbum ex privilegio Othonis IV, dat. Francfort, 13 kal. april. 1213 (1212), indict. XV; *Ibidem*, p. 45.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, omnibus Christi fidelibus salutem in eo qui dat salutem regibus. Notum facimus universis presentem paginam inspecturis quod nos advertentes puram fidem et sinceram devotionem quam dilectus consanguineus noster Theodericus marchio Misnensis et Orientalis hactenus nobis exhibuit, quia preces ipsius aure clementi semper admittere decrevimus, ad petitionem ipsius monasterium et hospitale que ipse apud Libzen (2) fundavit et dotavit, legitimum

---

(1) *Morcus* legitur in impresso ex copia ann. 1318, cum tempore Mongitoris autographum servaretur pene detritum in membranis. Mala nominis loci lectio videtur, dum in originali fuerit *Nortus*, addito abbreviationis signo. Itineri regis a Goslaria ad Erfordiam pergentis *Nordhausen* apprime convenit.

(2) Scilicet hospitale Sancti Thomae apud Leipzig.

censemus, roboramus et autenticamus, omnesque possessiones quas nunc habent vel quas ipse marchio divina inspiratione in posterum de patrimonio suo seu de bonis marchie Misnensis usque ad reditus quinquaginta marcarum ipsis contulerit seu quas etiam justo acquisitionis titulo acquisierit, autoritate imperiali ipsis confirmamus; advocatiam quoque memoratarum domorum nulli unquam persone nisi qui marchiam Misnensem habuerit, concedere volumus, et ipse marchio eamdem advocatiam ex constitutione imperiali a manu sua nunquam alienare poterit. Statuentes et imperiali auctoritate firmiter precipientes ut nulli unquam persone licitum sit hanc nostre confirmationis divalem paginam infringere seu aliquo ei temeritatis ausu obviare. Ad cujus rei certam in posterum memoriam, presentem paginam conscribi jussimus et majestatis nostre bulla consignari.

Testes hujus rei sunt : Heinricus comes palatinus Rheni, Theodoricus marchio Misnensis, Heinricus dux Brabantie, Ludovicus dux Bavarie, Gebhardus burgravius de Magdeburg, comes Heinricus de Schwarzburg, Henricus de Korun, Ulricus scriptor domini Hermanni de Lobdeburg (1).

Datum apud Erphesfurt, anno incarnationis Domini M. CC. XVIII, VIII kalendas augusti, indictione XV (2).

Fridericus, Romanorum rex, curtem fratrum de Volkolderode in burgo suo Muhlhausen ab omni collecta eximit et angaria liberam censet. Apud Erfurth, 27 julii.

(Edider. Schöttgen et Kreysig, *Diplomataria*, t. I, p. 757.)

F. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Notum sit universis

---

(1) Hi testes ex privilegio Othonis desumpti videntur. Parum enim verisimile quisquis duxerit eosdem omnes anno 1212 et anno 1219 una convenisse.

(2) Notae chronologicae minus correcte transcriptae sunt. Non autem dubitandum est quin anno 1219 res optime conveniat.

nostri imperii fidelibus, presentibus et futuris, quod nos pro remedio anime nostre et parentum nostrorum, curtem fratrum de Volkolderode sitam in burgo nostro Mulehusen ab omni collecta seu exactione regali liberalitate eximimus et ab omni servitio et angaria liberam penitus esse censemus. Statuentes ut nullus omnino hominum hanc nostram concessionem infringere vel curtem prenominatam necnon molendinum in Germar quod beate memorie rex Conradus eidem contulit ecclesie, cum reliquis bonis adtinentibus audeat perturbare.

Testes sunt comites Lambertus de Erphurd et comes Ernestus frater, Heinricus scolaris de Mulhusen, Hermannus Schellevitz et Theodericus frater ejus, Cunradus filius Swikeri, Theodoricus de Germar, Hermannus Cornigel, et alii quamplures.

Datum in Erphurdia, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, VI kalendas augusti.

Apud Nuremberg, 1° augusti.

Fridericus, Romanorum rex, sculteto et burgensibus Tongrensibus inhibet ne ad mandatum episcopi Leodiensis de bonis ecclesiae Sancti Servatii Trajectensis se intromittant, quum eadem ecclesia ad solum imperium pertineat.

(Inedit. e *Chartul. MS. S. Servat.* in Bibl. reg. Paris., tom. II, f. 121 verso—t. III, f. 12 recto.)

Fredericus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus (*a*), fidelibus suis sculteto et burgensibus Tongrensibus et imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa, gratiam suam et omne bonum. Universitatem vestram credimus non latere qualiter ecclesia beati Servatii Trajectensis nobis et imperio sit ligata, que omnimodis a predecessoribus nostris fundata dignoscitur et dotata. Cum ignominia nobis et imperio sit si permitteremus quod bona ipsius ecclesie a vobis ad mandatum alterius dis-

(*a*) *Rex Sicilie* deest in duobus, sed in titulo legitur *Fredericus secundus.*

traherentur, inhibemus igitur universitati vestre sub obtentu gratie nostre et imperii ut ad mandatum episcopi Leodiensis de bonis ecclesie prenominate vos non intromittatis nec ullum damnum vel incommodum ipsis canonicis aliquatenus faciatis. Alioquin omnia vestra publicabimus et mandabimus destrui et extirpari.

Datum apud Norimberg, kalendis augusti, indictione VII.

Fridericus, Romanorum rex, burgravio et ministerialibus suis in Friedberg mandat ut claustrum de Arnsburg quod in defensione suà suscipit, ab omni violentia protegant. Apud Francfort, 10 augusti.

(Edider. Rob. Kolb, *Aquila certans*, p. 4, n° IV. — Mader, *Von Friedberg*, t. I, p. 24.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, fidelibus suis burggravio et ministerialibus imperii in Friedberg (1) gratiam suam et omne bonum. Mandamus fidelitati vestre ut claustrum de Arnsburg cum omnibus possessionibus suis intus et foris auctoritate nostra ab omnium violentia et injusta vexatione protegatis; scientes nos personas et res ecclesie pro religionis eorum affectu sub speciali defensione nostra suscepisse, nec volumus ut quisquam de nostris aliquid ab eis exigat vel extorqueat, nisi viva voce abbati prius loquimur.

Datum apud Franckinfort, IV idus augusti, anno millesimo ducentesimo decimo nono.

Fridericus, Romanorum rex, abbati Fuldensi, Godefrido de Apud Francfort, 11 augusti.

(1) Nunc prima vice, ut arbitratur Boehmerus, de burgo imperiali Friedberg mentio fit.

Eppenstein, et generaliter omnibus fidelibus suis notum facit se ratam habere sententiam a judicibus suis latam de curte in Riedern pro ecclesia de Aulisburg contra C. militem de Hagen.

(Edider. FICHARD, *Frankfurter archiv*, t. I, p. 205. — BÖHMER, *Cod. diplom. Moenofrancof.*, t. I, p. 27.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, dilectis fidelibus abbati Fuldensi, Godefrido de Eppenstein et omnibus nobilibus ministerialibus Romani imperii, civibus quoque in Frankenwort, Geilinhusen et Frideberg, necnon omnibus nostris (*sic*) fidelibus hoc scriptum intuentibus gratiam suam et omne bonum. Litigantibus abbate de Aulisburg et C. milite de Hagen pro curte in Riderin, a nobis dati sunt judices super eodem negotio, videlicet dominus Gerlacus de Butingin et B. burchravius de Frideberg et Heinricus villicus de Frankenvort. Ad cujus rei executionem in dictam civitatem Frankenvort convenerunt, et requisitis conscientiis veracium laicorum nobilium et imperii ministerialium, sunt instructi quod abbatem dictum et ecclesiam in Aulisburg ab omni infestatione memorati C. militis liberos exigente justitia adjudicaverunt. Nos igitur hoc ipsum ratum habentes, sub obtentu gratie nostre vobis precipimus quatenus ab hac, si necesse fuerit, dictum claustrum impetitione defendatis, de cetero nulli verbo dicti militis intendentes. Vestre preterea fidei cenobium memoratum specialiter committimus, mandantes ut in omnibus ipsum defendatis; sagaciter scientes quod pro hoc divine remunerationis intuitum et nostre majestatis plenum recipietis affectum.

Data apud Frankevort, tercio idus augusti, indictione septima.

Apud Frankinfort, 15 augusti.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem civium de Frankinfort, aream unam imperio et sibi attinentem juxta forum

frumenti eis donat, ut ibidem capella ad honorem Sanctae Virginis Mariae et beati Georgii construatur.

(Edit. ap. LUNIG, *Reichsarchiv,* t. XIII, p. 557. —WURDTWEIN, *Dioces. Magunt. in arch. dist.,* t. II, p. 683.—*Privilegia et pacta von Francf.,* n° 1.— BOEHMER, *Cod. diplom. Moenofrancf.,* t. I, p. 28. Hoc est vetustissimum ex imperialibus privilegiis, quod nunc apud Frankfort asservetur, dum jam seculo quarto decimo nullum vetustius superesset.)

Fridericus secundus, divina favente clementia, Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Quia tunc et apud Deum salutis eterne premia et apud homines reges et principes maxima preconia promerentur, quando ecclesiis sua beneficia largiuntur et ad earum incrementum dant operam efficacem; ea igitur consideratione inducti, notum facimus universis tam presentibus quam futuris fidelibus nostris quod nos ad supplicationem fidelium nostrorum universorum civium de Franckenfort, pro remedio quoque anime nostre, donavimus ipsis civibus aream unam seu curtem (*a*) imperio et nobis attinentem et jacentem juxta forum frumenti (1) ut in ipsa curte capella una dictis civibus commoda et necessaria ad honorem Sancte Dei Genitricis Virginis Marie et beati Georgii martyris construatur; capellam ipsam cum curte et omnibus bonis suis que in presentiarum habet et que in posterum justo acquisitionis titulo poterit adipisci sub nostram et imperii recipientes specialem protectionem. Ipsam etiam capellam cum dote et omnibus appenditiis suis ab omni volumus exemptam esse dominio, et solummodo ad imperium et ad nos et nostros successores Romanorum imperatores et reges habere respectum. Ipsis civibus nostris indulgentes et omnimodam tradentes facultatem ut tam ipsi quam

(*a*) Ap. Lunig *turrem,* minus recte.

(1) Germanice *Kornmarkt.* Area de qua agitur locus ipse est ubi situm erat Caroli magni palatium. Nihil de capella ibidem tunc temporis constructa superest, nisi collateralis versus septentrionem porticus et praecipuum cum gemina porta ostium. Anno 1317 capella eadem in collegialem ecclesiam erecta nomen mutavit, et receptis beati Leonardi reliquiis novum quoque vocabulum accepit et retinuit. Cf. BOEHMER, *Regest. imper.,* p. 100, n° 290.

eorum posteri in eadem capella pro voluntate sua, quoties vacaverit, instituant idoneum sacerdotem divina ibidem celebrantem. Statuimus igitur et sub interminatione gratie nostre precipimus ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, antefatam civium nostrorum universitatem super eadem capella molestare audeat vel huic nostro privilegio temere obviare. Quod qui fecerit, in vindictam reatus sui centum marchas auri purissimi componat, dimidium camere nostre, reliquum vero passis injuriam. Ad hujus etiam nostre concessionis et donationis perpetuam stabilitatem, hanc paginam inde constructam nostro sigillo jussimus communiri.

Testes hujus rei sunt : Sifridus Moguntinensis archiepiscopus, Diodericus Trevirensis archiepiscopus, Conradus Spirensis et Metensis episcopus imperialis aule cancellarius, Cono abbas Fuldensis et Elvacensis, Hermannus marchio de Baden, Gerhardus comes de Dietis, Gerlacus de Butingen, Gotofridus de Eppenstein, Ansalmus marscalcus de Justingen, Wernerus dapifer de Bollandia, Philippus frater ejus, et alii quamplures.

Datum apud Frankenfort, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, indictione septima, octavo decimo calendas septembris.

Wormatiae, [augusto.]

Fridericus, Romanorum rex, pactionem quondam per Ottonem consanguineum suum factam inter conventum de Otterberg ex una parte et Wernerum Kolbonem Merbodonemque fratrem ejus ex altera, super villa Erlenbach et curiis adjacentibus, confirmat, eumdemque conventum in protectionem suam assumit.

(Edid. Steph. Alex. Wurdtwein, *Monast. Palat.*, t. I, p. 272, n° XLV.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. F., divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Attendentes circa nos superni regis magnificam liberalitatem, intelligimus nos propterea per

divinam ordinationem Romani regni regnis omnibus excellentioris gubernacula consecutos, ut ecclesiarum Dei pax per nos redintegraretur et religionis tranquillitas ut divinis inservire possit obsequiis defendatur. Quapropter notum facimus universis regni nostri fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum per dilectum consanguineum nostrum felicis memorie Ottonem, qui Romano regno do[mi]nari tum temporis videbatur (1), querimonia abbatis et conventus de Otterburg ex una parte et Wernheri Kolbonis (2) et fratris ejus Merbodonis ex parte alia, sicut in rescripto prefati consanguinei nostri continetur (3), sic sopita fuerit quod in manus illius jurisdictionem quam de feodo regni se habere asserebant super villam Erlenbach et curias adjacentes monasterio resignaverint, eidem in perpetuum pro se et pro suis heredibus abrenuntiantes, ita tamen quod si quid commodi fratribus cenobii provenire potuerit de ipsorum terra, quoad pascua scilicet et iter et actum sive viam, gratum habebunt, excepto quod de rebus et possessionibus immobilibus nihil ad se trahant per quemcunque contractum, nisi per ipsorum conniventiam et consensum; nos qui claustrum et quecumque claustrum attinent in protectionem specialem suscepimus, pactionem factam auctoritate majestatis regie confirmamus. Loca igitur que prediximus cum ipso claustro et ipsi attinentibus libera ab omni jurisdictione dimittimus absoluta, ipsum monasterium et omnes subditas illi curtes ac possessiones in protectionem specialem assumentes. Si qua igitur persona humilis vel alta in personis aut rebus carissimum nobis monasterium aggravare tentaverit aut quodcumque inferre incommodum vel dispendium, nostre indignationis animadversionem sciat se certissime incursurum. Ad hujus itaque rei evidentiam, hoc conscribi jussimus et sigilli nostri munimine confirmari.

Testes [sunt] : Conradus Spirensis et Metensis episcopus imperialis

---

(1) Hoc unum est, ut meminimus, exemplum quod tam benignis verbis erga Othonem usquam usus fuerit Fridericus.

(2) De isto cf. supra ad ann. 1215, p. 383 et not. 1.

(3) Vide notificationem datam Spirae, [mense junio], anno 1209, *ibid.*, nº XXXIX, et infra ad annum 1234, mense martio.

aule cancellarius, Cuno abbas Fuldensis et Elwangensis, Godefridus abbas Horenbacensis, Conradus major prepositus Spirensis, Anselmus de Justingen marscalcus, Wernherus de Bolant dapifer, et alii quamplures.

Datum Wormatie, anno Domini millesimo ducentesimo decimo nono, indictione septima (1).

Wormatiae, [augusto.]

Fridericus, Romanorum rex, compositionem inter abbatem de Otterberg ex una parte et abbatem Sancti Lamberti, Henricum de Wartenberg, Wernerumque Kolbonem ex altera factam confirmat, videlicet de jure succidendi ligna in nemoribus quae Brant et Waltmarche dicuntur.

(Edid. Steph. Alex. Wurdtwein, *Monastic. Palat.*, tom. I, p. 270, nº XLIV.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia, Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum propterea nos divina clementia dono sue liberalitatis ad honorem regni admirabili ordinatione promoverit, ut ecclesiarum paci et tranquillitati horum qui divinis mancipati sunt obsequiis intendamus, dignum duximus ut que ad concordiam nutricem pacis facta inter quoslibet invenimus, accedente authoritate regia confirmemus. Inde est quod ad petitionem dilectorum nobis abbatis et fratrum de Otterburg, compositionem que inter ipsos ex una parte et abbatem Sancti Lamberti et Henricum de Wartenberg et Wernherum Colbonem ex parte alia facta est, quemadmodum in rescripto sigillis eorumdem confirmato continentur (2), authoritate majestatis regie confirmamus. Itaque cum rescriptum protestatur monasterium in Otter-

---

(1) Cum desit omnino notatio mensis, ex nominibus testium et designatione loci, conjicimus hoc documentum et sequens ad illud reponendum tempus quo rex Francofurto Hagenoviam rediret.

(2) Scilicet anno 1209; cf. *ibid.*, nº XL.

burg et curtes adjacentes, Swanden videlicet et Witre, jus habere succindendi (*sic*) ligna in nemoribus que dicuntur Brant et Waltmarche (1), excepta nemoris parte que propria claustri est et certis distincta terminis, sed et quod homines ville in Erlenbach de gratia quidem, non de jure ad ignem et ad sepes ibidem licentiam habeant incidendi, ita ut et ipsi ad antique consuetudinis recognitionem uno Rogationum die cum cruce et reliquiis suis vadant in Rhorbach, nos qui claustri et possessionum vel hominum ejus protectores sumus, jus prefatum his qui nunc [sunt] et eorum posteris in perpetuum confirmamus. Ne quis igitur aut a pacto resilire aut in jure suo fratres monasterii audeat impedire, majestatis nostre interponimus interdictum; sub obtentu gratie nostre sculteto nostro in Lutra imperantes ut nostro nomine modis omnibus ipsorum molestatoribus in hac parte vel in quacumque alia, tanquam qui res nostras invaserit, se opponens, in nullo eos aggravari cujuscumque malevolentia permittat. Igitur quisquis post authoritatem hujus nostre confirmationis contra eam aliquid attentare presumpserit, nostre se noverit incursurum animadversionem indignationis.

Datum Wormatie, anno Domini millesimo ducentesimo decimo nono, indictione septima.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem Alberonis abbatis de Neuenburg, Cisterciensis ordinis, eamdem ecclesiam cum possessionibus ejus sub protectione sua suscipit, pascua et usum lignorum in Sacra Silva ei concedit, et omnia loca ibidem expressa confirmat. Apud Hagenowe, 17 augusti.

(Edid. Wurdtwein, *Nov. subs. diplomat.*, t. XIII, p. 236, n° XLV, ex autogr. in tabul. abb. Neoburgensis.)

---

(1) Cf. ad suum locum confirmationem Henrici (septimi), datam 25 aprilis 1225.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia, Romanorum rex et semper augustus, et rex Sycilie. Pium desiderium quod ad religionis propositum pertingere cognoscitur, regalem benignitatem libenti animo decet admittere et in omnibus suffragium et levamen prestare. Quapropter notum esse volumus omnibus Christi imperiique fidelibus tam futuris quam presentibus quod nos locum qui dicitur Nuwenburch, a Reginoldo quondam comite de Lucelenburch et beate memorie Friderico proavo nostro (1) ordini Cysterciensi contraditum, qui ex hereditario jure ad nos spectare videtur, ob meritum retributionis eterne et ad supplicationem dilecti nostri Alberonis ejusdem loci abbatis, in protectionem et defensionem nostre regalis majestatis suscipimus, cum omnibus rebus suis tam mobilibus quam immobilibus que ad nostra usque tempora juste ac legitime possederunt; adjicientes etiam ut quascumque possessiones, quecumque bona idem supradictus locus in futurum donatione fidelium seu oblationibus eorum aut quibuslibet aliis legitimis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma et illibata manere censemus; regali quoque clementia indulgentes ut quicumque ministerialium nostrorum et hominum fiscalinorum sive etiam ab allodiis nostris infeodatorum, sive sanus et sui compos existens vel in lecto egritudinis decubans, se et predia sua ad sepedictum locum transferre voluerint, libere et absque voluntatis nostre consensus facere possint requisitione. Concessimus etiam eidem predicto loco et in perpetuum donavimus ut animalia eorum libere utantur pascuis in Sacra Silva, ovibus tantum exceptis; ligna vero ad omnium officinarum suarum ignem faciendum similiter eis concessimus; ad offerenda (auferenda) autem ligna pro domorum structura de prenominata silva, non nisi juxta consignationem et permissionem ministri nostri accipiant. Loca autem que in presentiarum possident propriis duximus exprimenda vocabulis : curtem Gerboldishusen (2) cum appendiciis suis, curtem Lupach (3) cum appenditiis

(1) Cf. privilegia sub eisdem fere verbis edita a Friderico I°, 27 febr. 1158, ap. Wurdtwein, *ibid.*, t. IX, p. 361, et ab Henrico VI°, 8 julii 1196, *ibid.*, t. X, p. 178.

(2) Recte *Gebolteshusen* (*Geboltzheim*).

(3) Scilicet *Laubach*.

suis, curtem Wilinbach (1) cum appenditiis suis, curtem Paphenburnen (2) cum appendiciis suis, curtem Mulinbach cum appenditiis suis, curtem Ergereswilre cum appenditiis suis, curtem Honscheit (3) cum appenditiis suis, curtem Suvelnheim (4) cum appenditiis suis, curtem Hechenheim (5) cum appenditiis suis, curtem Harthusen cum appendiciis suis, curtem Dochendorf cum appenditiis suis, curtem Hitindorf cum appendiciis suis, curtem Dunnenheim cum appenditiis suis, curtem Gerute (6) cum appenditiis suis, curtem Buthenheim cum appenditiis suis, curtem Delmannswilre (7) cum appendiciis suis, curtem Rotbach cum appendiciis suis, curtem Kirwilre cum appenditiis suis. Porro quicquid apostolica Cisterciensi ordini indulsit clementia, nostra regali confirmamus auctoritate loco nominato. Statuimus itaque et regio firmiter sancimus edicto ut nulla omnino persona humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, hanc nostre confirmationis divalem paginam audeat infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod si quis facere attemptaverit, si reatum suum infra XL dies congrua satisfactione non correxerit, banno nostro se noverit innodatum, et pro pena temeritatis quinquaginta libras auri purissimi componat, medietatem camere nostre, partem reliquam ecclesie cui dampnum intulit. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, presens exinde privilegium conscriptum sigilli nostri impressione jussimus communiri.

Testes hujus rei sunt : Heinricus Argentinensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus, abbas Sancti Galli, Hugo Murbacensis abbas, Wolframmus abbas de Wizenburch, Reinhardus majoris Argentinensis ecclesie prepositus, Bertholdus ejusdem ecclesie decanus, Cunradus de Tan Spirensis prepositus, Heinricus Argentinensis episcopi vicedominus,

---

(1) *Willenbach*, vicus hodie seu villula dicta *Velbacherhoff*, in parochia Dieffenbach.

(2) *Pfaffenbrunn.*

(3) *Höchstett.*

(4) *Suffelnheim.*

(5) *Hegeney* prope Morsbronn et Laubach.

(6) *Gerute* sive *Critt*, gallice *Neufbois.*

(7) *Adamsweiler* prope Luzelstein. Ista nomina ex Wurdtweino damus.

Heinricus dux Suevie, Theobaldus dux Lotoringie, Wilhelmus marchio comes (*sic*) de Monteferrato, Gerhardus comes de Diethis, Sigebertus comes et Heinricus filius suus de Werda, Anselmus marescalcus, Heinricus de Nifen (*a*), Everhardus dapifer de Walberch, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XVIIII, indictione VII, regnante domino Friderico secundo, Romanorum rege glorioso et rege Sicilie, anno regni ejus VII.

Datum apud Hagenowe, XVI kalendas septembris.

[Apud Hagenowe, augusto.]

Fridericus, Romanorum rex, una cum filio suo Henrico duce Sueviae, abbatiae de Neuenburg quasdam possessionis in Hagenowe, in Hittindorf et in Absbach (Eschbach) in perpetuam proprietatem donat, in recompensationem curiae Ruvelnheim quam in usus suos vendicavit.

(Edid. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplomat.*, t. XIII, p. 239, ex Chartul. membran. abb. Neoburgensis, fol. 16 *b*.)

Fridericus, Dei gratia, Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie, presentibus et futuris omnibus hoc cyrographum inspicientibus gratiam suam et omne bonum. Sicut antiqui dive memorie venerabiles et gloriosi progenitores nostri usque ad tempora nostra monasterium in predio nostro situm quod Novum Castrum dicitur dilexerunt, foverunt et carum habuerunt, ita quoque nos eumdem locum admodum affectuose diligimus et carissimum habemus, cunctosque fratres ibidem Deo om-

(*a*) Ap. Wurdtwein *de Nive*, minus recte.

nipotenti et beate ejus Genitrici Sancte Marie famulantes et pro nostra salute Domino supplicantes sub umbra nostre defensionis atque protectionis prospere et in habundantia pacis degere desideramus; et licet auctoritate regali universis locis divino cultui mancipatis studium defensionis debemus adhibere, huic tamen precipue ceterisque que [in] nostram ditionem inciderunt hereditario jure peramplius et perfectius omnibus modis tenemur prodesse et providere; unde, quod absit, eis non sua violenter tollere, sed nostra propria sibi benigne atque clementer decrevimus impendere. Noverint igitur omnes hanc scripturam suscipientes quod nos et karissimus filius noster dux Suevie Heinricus, communi consensu unaque manu, omnes possessiones quas quidam Heinricus servus noster cognomento Rex et alter quidam venator noster cognomento Elba ex concessione gratie nostre in Hagenowa, in Hittindorf et in Absbach usque ad terminum vite sue, posterorum suorum vel cognatorum omnium excluso tamen hereditario jure, possederunt, omnipotenti Deo et beate Marie fratribusque in Novo Castro in perpetuam proprietatem legitima donatione donavimus; ea sane ratione scilicet ut curiam Ruvelnheim quam de communi consensu predictorum fratrum Novicastrensium abbatisque voluntate in usus nostros vendicatam edificavimus, absque totius peccati nevo vel secularis opprobrii scrupulo retinere valeamus; sperantes etiam ut jamdicti fratres memoriam nostri proventumque nostrorum tanto devotius et alacrius habeant ad Dominum, quantum pro predicta curia melioris recompensationis se cognoverint habere testamentum. Ut autem hujus recompensationis vel concambii donatio jamdictis fratribus rata inconvulsaque permaneat in perpetuum, volumus et districte precipimus; quin etiam sigillorum nostrorum auctoritate hanc cyrographiam roboramus. Si quis vero huic facto nostro qualibet occasione occurrere temptaverit et in his possessionibus sepedictos fratres nostros aliquo modo gravaverit, sciat quod nostre majestatis clementiam graviter offendat et digna pro factis recipiat.

Scripta sunt autem hec anno ab incarnatione Domini M. CC. XVIIII, epacta III, concurrente [I], indictione VII, coram his testibus Chunrado cancellario Spirensi et Metensi episcopo, Theobaldo duce Lotharingie,

Ludewico marchione de Badin, comite Eberhardo de Elphinstein (*a*), Heinrico de Niphen (*b*), Anselmo marscalco de Justingen, Richardo camerario, comite Sygeberto et filio ejus Heinrico, Merbotone de Malberch, Marquardo notario et Witero scriba, Wolfelino sculteto de Hagenowa, Heinrico de Winstein, Ludewico preposito de Hagenowia, Sefrido marescalco, Heinrico camerario de Revinringen, Hartungo scolteto de Hofelden, et aliis quampluribus (1).

Apud Hagenoviam, 29 augusti.

Fridericus, Romanorum rex, civibus Papiensibus fidelibus suis amplissima privilegia ab avo et patre suo Friderico primo et Henrico sexto eorum civitati concessa confirmat.

(Memorat. ap. ROBOLINI, *Notiz. stor. di Pavia,* t. IV, pars 1ª, p. 97, qui impressum dicit ap. *Allegat. civit. Pap. reintegr.*, p. 60 et et seq. Copia adest in libro copiali sec. XV, fol. 37, in archivo comm. Papiensis.)

Hujus rei testes sunt : episcopus Vercellensis, episcopus Cumanus, episcopus Bergamensis, episcopus Novariensis, episcopus Taurinensis regalis curie vicarius, Wilhelmus marchio Montisferrati. . . . .

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XIX, IV kalendas septembris, indictione septima, regnante Federico II illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania septimo et in Sicilia vicesimo secundo.

Datum apud Hag[en]oviam. . . . . .

(*a*) Ap. Wurdtwein *et Erhardo de Liphimtein,* male.

(*b*) Ibidem *de Stiphyn,* male.

---

(1) Quae sequuntur : *Acta sunt hec tempore domni Alberonis abbatis,* recentiorem interpolationem censemus. Licet locus et mensis hic non expressi sint, testium nomina si praecedentibus conferas, facile videre erit datum hoc quoque privilegium apud Hagenowe, augusto mense.

Fridericus, Romanorum rex, Gaffum et Jacobum de Locarno fideles suos investit pro recto feodo de omni honore, districtu, fodris, angariis, et caeteris rebus quae ad honorem et jurisdictionem curiae de Scona, Tavernula, Cordula et Menuxio pertinent, item et in Locarno et in toto plebatu ejusdem.

Apud Hagenowe, augusto.

(Edidit Schoepflin, *Histor. Zaringo-Badensis,* cod. diplomat., tom. IV, p. 155.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regie celsitudini ad laudem spectat et gloriam cum fidelium profectibus clemens exponitur et pie prosequitur desideria subjectorum. Inde est quod notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem et devotionem quam Gaffus et Jacobus de Locarno fideles nostri erga majestatem nostram habere noscuntur, de solita gratia et consueta liberalitate nostra concessimus et investivimus eos et agnatos suos pro recto feodo eorum de omni honore, districtu et fodris, angariis, perangariis, pregariis, advocatiis ecclesiarum, piscationibus aquarum, theloneis et aliis rebus que ad honorem et jurisdictionem curie de Scona, Tavernula, Cordula et Menuxio pertinent vel pertinere possent, et eorum territoriis et circumstantibus locis tam in personis quam in rebus eorum. Item investivimus eos pro eorum recto feudo de omni honore et districtu, fodris, angariis, perangariis, pregariis, advocatiis ecclesiarum, piscationibus aquarum, theloneis et aliis rebus que ad honorem et jurisdictionem et districtum quoad imperium pertinent vel pertinere possent in Locarno et in toto plebatu et circumstantibus locis ejusdem. Preterea investivimus eos pro eorum recto feodo de omni honore, districtu et de omni eo quoad honorem et districtum pertinet vel pertinere posset in quibuscumque locis prefati Gaffus et Jacobus et agnati eorum de Locarno honorem vel districtum habent vel habere consueverunt; concedentes eisdem ut quicquid de

predictis rebus contra formam alienatum extitit, liceat eis exigere et in feudum retinere, non obstante alienatione contra ordinem facta vel indulta hominibus predictorum locorum nec aliquibus privilegiis vel rescriptis quondam ab Ottone seu ab aliquo alio contra hos hactenus impetratis; statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictos Gaffum et Jacobum et eorum agnatos de predictis omnibus ausu temerario impedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit quinquaginta libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens privilegium fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, mense augusti, indictione septima, regnante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia, excellentissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno regni ipsius in Germania septimo et in Sicilia vicesimo (*a*), feliciter. Amen.

Hii testes interfuerunt abbas Sancti Galli, abbas Morbacensis, episcopus Taurinensis, episcopus Papiensis, episcopus Cumanus, episcopus Bergamensis, episcopus Novariensis, Wilhelmus marchio Montisferrati, marchio de Baden, Anselmus de Justingen marschalcus, Raynaldus dux Spoleti, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Datum apud Hagenowe per manus Conradi Spirensis et Metensis episcopi et imperialis aule cancellarii, anno, mense et indictione prescriptis.

Reate, 30 augusti.

Honorius papa Alexandrinis scribit se sustinere ad praesens pro eorum pace quod Friderico Romanorum regi, si ab ipso fuerint requisiti, juramentum fidelitatis praestent, salvis tamen in omnibus fidelitate et jure Ecclesiae Romanae.

(*a*) Addendum autem *secundo*.

(Edit. ap. Raynald., *Annal. eccles.*, t. I, ad ann. 1219, § XXIV, e regest. Honor., lib. IV, n° 555.—Integrius vero ap. Ghilini, *Annali di Alessandria,* p. 27.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Alexandrino salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis vestre litteras paterna benignitate recepimus et earum tenorem prospeximus diligenter; fidelitatem vestram dignis in Domino laudibus commendantes quod vos tanquam devoti et fideles Ecclesie Romane filii committatis. Super eo igitur quod nostre voluntatis scire beneplacitum petiistis, utrum videlicet vos velimus cum aliis amicis vestris de Lombardia charissimo in Christo filio nostro Frederico illustri regi Sicilie, in Romanorum imperatorem electo, fidelitatis juramentum prestare si ab eo fueritis requisiti, vobis duximus presentibus intimandum, quod si alii cives Lombardie dicto regi fidelitatis prestiterint juramenta, sustinemus ad presens pro pace vestra ut, si ab eo ipso rege fueritis requisiti, juretis eidem, salvis tamen in omnibus fidelitate ac jure sacrosancte Romane Ecclesie matris vestre.

Datum Reate, III kalendas septembris (*a*), pontificatus nostri anno IV°.

Apud Haguenau, 6 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, comiti Egenoni de Urach consanguineo suo omnem rancorem remittit, eique et ministerialibus ejus omnes homines restituit, qui occasione belli de civitate ejus Friburch aut de aliis locis ei pertinentibus ad civitates aut loca sua ad habitandum transmigraverunt.

(Edider. Schoepflin, *Hist. Zaringo-Bad.*, cod. diplom., t. IV, p. 157.—Schreiber, *Urkundenbuch von Freiburg,* t. I, p. 43.

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie,

(*a*) Legitur autem ap. Ghilini : *Dat. Recanate, XI kal. sept.* (22 aug.), nostra sententia tam super loco quam die minus recte.

universis civitatibus suis et earum sculletis tam presentibus quam futuris, gratiam suam et omne bonum. Significamus vobis quod nos dilectum consanguineum nostrum comitem Egenonem de Urach, remisso penitus omni rancore quem erga eum habuimus, in plenitudinem familiaris et sincere gratie nostre recepimus ac deinceps de augmento ipsius et honore solliciti esse volumus cum effectu. Ut autem gratie nostre et dilectionis habundantiam eidem comiti manifestius constare faciamus, benignitate regia et cum bona voluntate nostra restituimus sibi et ministerialibus suis omnes homines eorum cujuscumque conditionis, pauperes sive divites, qui postquam inter nos et ipsum bellum incepit, de civitate sua Friburch aut de aliis locis sibi pertinentibus ad civitates nostras aut ad loca nostra ad habitandum transmigraverunt. Preterea pepigimus cum jamdicto comite et firmiter ei promisimus observandum quod nunquam de cetero aliquem de hominibus suis in civitatibus nostris aut in aliis locis nobis pertinentibus recipiemus. Si forte in illis recepti fuerint, quam primum id nobis constiterit, ipsos homines ei liberos restitui faciemus. Quocirca vobis mandamus per gratiam nostram districte precipientes quatenus sepefato comiti homines suos qui sicut premissum est ad vos se transtulerunt, omni occasione cessante restituatis et eos a consortio vestro removeatis, nec omnimodo de hominibus suis aliquem recipiatis. Ut igitur omnia hec perpetua gaudeant stabilitate, presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro jussimus insigniri.

Datum apud Hagnowe, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, octavo idus septembris, indictione octava.

[Apud Haguenau, 6 septembris.]

Fridericus, Romanorum rex, civibus Friburgensibus gratiae suae plenitudinem restituit, jubetque ut per totum imperium cum rebus et mercimoniis suis sine aliqua molestia secure procedant.

(Edit. ap. *Solothurn. Wockenblatt.*, ann. 1827, n° 37, p. 360. — VERRO, *Recueil*, t. I, p. 9.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Ea consuevimus vota nostrorum fidelium benigne admittere, per que et illorum honestati consulitur et plurimorum utilitatibus providetur. Quapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus declarandum quod nos universis et singulis civibus Friburgensibus (1) gratie plenitudinem nostre restituimus, et cum personis ipsorum atque rebus universis sub nostram et imperii eos recepimus protectionem; volentes ut predicti cives per universum imperium cum rebus et mercimoniis suis tam in terra quam in aqua, eundo et redeundo, sine molestia aliqua in nostra procedant securitate nec aliquo indebite exactionis onere graventur. Mandamus igitur sub pena gratie nostre precipientes ut nullus sit qui sepedictos cives amodo molestare audeat vel damnum in personis aut rebus ipsis irrogare. Quod qui fecerit regie majestatis iram et offensam se noverit graviter incursurum. Ad hujus etiam gratie nostre certitudinem et protectionis nostre dictis civibus indulte inviolabilem firmitatem, presentem paginam inde conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, octavo idus septembris, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae respondet super quibusdam articulis de quibus apud Ecclesiam Romanam notabatur, nuntiatque se litteris suis universos certiores facere quod omnes concessiones suas et dona tam de ducatu Spoleti et terra Mathildis quam de Sancti Petri patrimonio facta, cassanda et irritanda duxerit. Apud Hagenowe, 6 septembris.

(Edid. RAYNALD., *Annal. ecclesiast.*, tom. I ad ann. 1219, § XXV, sed finem

(1) Scilicet *Freiburg* in Uetchtland.

tantummodo exhibuit. Partem uncis inclusam addidimus ex Raumero, *Gesch. der Hohenst.*, t. III, p. 176-177, et Boehmero, *Regest. imper.*, p. 101, n°296.)

Sanctissimo patri et domino Honorio, etc. Fridericus, etc. [Respondet papae super querelis quae in litteris sibi a magistro Alatrino subdiacono delatis continebantur, rogatque papam ne aurem suis detractoribus accommodet. An forte se ignorare credit quia qui praesumunt offendere Sanctam Matrem Ecclesiam, ipsi bibunt in calice Babylonis? Nunquam enim poterit toto tempore vitae suae ingratitudinis argui. Deinde se excusando memorat quod si encyclicam civitatibus Lombardiae miserit, suis tamen nuntiis expresse mandavit ut apud Ferrariam jura Romanae Ecclesiae observarent et ibi nullum fidelitatis juramentum exigerent, sicut coram praedicto papae nuntio episcopus Taurinensis et marchio Montisferrati sacramento etiam fuerunt protestati. Ducatum autem Spoleti nulli concessit, et si quae fuerint super hoc concessionis litterae praesentatae, praeter conscientiam suam obtentae et quasi subreptitiae emanarunt. Quod si apud Medicinam fratribus ordinis Theutonicorum ad eorum preces bona eis a quodam cive Bononiensi legata confirmaverit, hoc accidisse quod ignoraret hanc villam ad Romanam Ecclesiam pertinere. De feudis vero quae apud Montemflasconem concessisse dicitur, nihil omnino scit. Si denique litterae a se civitatibus Ecclesiae directae sub eadem forma qua civitatibus imperii diriguntur fuerint publicatae, hoc evenire ex excusabili scriptorum suorum errore, qui Sicilia oriundi minus familiariter in horum locorum scientia versantur.] Ut igitur rancor vel opinio concepta vel concipienda in animo vestro deleatur omnino, et rex vester, devotus Ecclesie filius, sit vobis more solito commendatus in visceribus charitatis, per has litteras nostro sigillo munitas universis notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod omnes concessiones et dona que alicui fecimus tam de ducatu Spoleti, terra comitisse Mathildis quam de aliis que beati Petri patrimonio pertinere noscuntur, duximus irritanda; nostro sancientes edicto ut nullum aliquo tempore robur obtineant firmitatis. Alias vero petitiones quas per magistrum Alatrinum misistis, subsequenter studebimus effectui mancipare.

Datum apud Hagenowe, VIII idus septembris, VIII indictione.

Fridericus, Romanorum rex, omnibus in imperio et in regno Siciliae constitutis scribit se Spoletanis et Narniensibus qui se temerarios et rebelles erga papam praestiterunt, mandasse ut eidem intendere debeant. Alioquin, tanquam advocatus ecclesiae, in eos usque ad exterminationem desaeviret, omnesque fideles suos hortatur ad praedictos cives, nisi resipiscant, in personis eorum et rebus ubicumque capiendos.

Apud Hagenowe. [septembri.]

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 101, n° 297, ex copia ipsi a Pertz communicata.)

Datum apud Hagenowe, ... VIII (1) indictione.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae concedit ut electiones praelatorum et appellationes in causis ecclesiasticis libere fiant; antecessorum suorum consuetudini renuntiat de occupandis bonis praelatorum decedentium. Ecclesiae Romanae possessiones ab antecessoribus suis detentas, quas jam illa recuperavit, dimittit; quas autem non jam recuperavit, se ad restituendas obligat, etc.

Apud Hagenowe, septembri.

(Edider. LUNIG, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 713. — LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XIX, p. 168. — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 231.)

In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Frederi-

---

(1) In pontificalibus regestis mendose transcribitur *XXVIII indict.* Nota mensis quoque omittitur, sed extat haec epistola sub n° 593 inter litteras Honorii de mense novembri, ut monet *index epistol.* in Bibl. reg. Paris.

cus II, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum, etc. [*Sequitur sicut in privilegio dato apud Egram, 12 julii 1213, p. 269, nisi quod pro* domine Innocenti *legitur* domine Honori.]

Testes ii sunt Henricus Argentinensis episcopus, Henricus Basiliensis episcopus, abbas Sancti Galli, Hugo abbas Morbacensis, Wolframus abbas de Wizenburch, Tibaldus dux Lotharingie, comes Egeno de Urach, comes Ludovicus de Wirtimberch, comes Everardus de Elphinstein, Henricus de Niffen, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Dei gratia Romanorum regis, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Dei et Apostolice Sedis gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XIX, mense septembris, indictione VIII, regnante domino Frederico II Romanorum rege glorioso et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius in Germania VII et in Sicilia XXII, feliciter. Amen.

Datum apud Hagnovie per manus Henrici regalis aule protonotarii, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Hagenowe, septembri.

Tenor novi juramenti a Friderico Romanorum rege Honorio summo pontifici apud Hagenowe praestiti.

(Edit. ap. RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1274, § VII.—LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XIX, p. 167.— LUNIG, *Cod. Ital. diplomat.*, t. II, p. 713. — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 232. — MAI, *Spicilegium Romanum*, t. V, p. 239.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Fridericus II, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, tibi domino meo sanctissimo et patri carissimo Honorio pape III tuisque successoribus

et Ecclesie Romane, etc. [*Sequitur sicut in altero juramento acto apud Egram, 12 julii 1213, p. 272.*]

Principes autem imperii et nobiles coram quibus juravi hi sunt : Henricus Argentinensis episcopus, Henricus Basiliensis episcopus, abbas Sancti Galli, Hugo abbas Morbacensis, Wolframus abbas de Wizenburch, Tibaldus dux Lotharingie, comes Egeno de Urach, comes Lodowicus de Virtimberch, comes Everardus de Elphinstein, Henricus de Niffen, et quamplures alii.

Actum apud Hagnove, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, mense septembris, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, civitatem Argentinam cum omnibus ejus incolis sub specialem suam tuitionem recipit; prohibet ne alicui licitum sit de proprietatibus eorumdem civium per totam Alsatiam aliquod servitium exigere, privilegiumque ab antecessoribus suis indultum confirmat : scilicet ne in judicium extra civitatem trahantur, et advocati etiam de censualibus suis coram judicibus civitatis satisfactionem accipiant. Apud Hagenowe, 11 septembris.

(Inedit. sub hac forma quam exhibemus ex originali in archivo civitatis Strasburgi. Sigillum et laquei perierunt. Exemplar quod edidit Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 338, decurtatum manet, et insuper non aliud est nisi quod apud Columbariam martio 1236 Fridericus renovavit. Quae sint inter unum et alterum differentiae Schoepflinus quoque non notavit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, Romanorum rex, et rex Sicilie. Augustalis pietatis immensa clementia eorum commodis et honoribus hilariori vultu consuevit intendere, quos in suis obsequiis pia et prompta desudare voluntate et certiori experientia cognovit. Inde est quod nos advertentes quam sincero affectu civitas Argentina servitiis nostris se exposuit et qualiter per evidentissima obse-

quiorum suorum merita regie majestatis gratiam et favorem perpetuum sibi obligavit, ad communem utilitatem civitatis Argentine pariterque honorem in evum promovendum, gratiosum favorem nostrum duximus impertiendum, ut exemplo retributionis ejus quam pro servitiis suis memorate civitati impertiti sumus, alie quoque civitates imperii proniori voluntate ad servitium nostrum accendantur. Notum sit inquam (*sic*) omnibus tam presentis etatis quam in evum successure posteritatis hominibus quod nos sepedictam civitatem Argentinensem cum omnibus ejus incolis sub specialem regie majestatis tuicionem recipientes, de liberalitate regia hoc ipsi civitati indulgemus et in evum confirmamus ut ubicumque vel ipsi burgenses vel etiam quicumque ipsius civitatis cives per totam provinciam Alsatie proprietates aliquas sive quascumque possessiones habuerint, ut nemini licitum sit de hiis proprietatibus sive possessionibus vel etiam hominibus eorum servitium aliquod accipere vel exigere vel etiam cujusquam precarie sive exactionis onus eis imponere; quoniam nos dictam civitatem cum omnibus ejus pertinentiis tam intus quam extra ad speciale obsequium imperii decrevimus reservare. Preterea constituimus, tradidimus et auctoritate regia consensuque principum nostrorum confirmavimus institutum et jus quoddam quod cives ejusdem civitatis habuerunt ab antecessoribus nostris dive memorie Lotharii et Philippi (*sic*) Romanorum regibus gloriosis : ut nullo unquam in loco ab aliqua persona seculari sive ecclesiastica aliquis eorum extra formam juris impediatur aut molestetur vel in judicium trahatur extra civitatem, vel prorsus ab aliquo cogatur pro sua proprietate seu possessione ibi cuiquam respondere; sed si aliquis adversus aliquem eorum aliquid habuerit, infra civitatem coram ipsius civitatis judicibus eum impetat ibique ei respondeat et satisfaciat. Advocati etiam quorum censuales infra civitatem domos habuerint aut manserint, censum debitum ab eis in civitate accipiant, et si supersederint vel dare noluerint, justiciam et satisfactionem coram judicibus civitatis inde accipiant. [Volumus itaque fideles nostros cives Argentinenses consistere in omni jure et honore atque constitutione, sicut a divis progenitoribus nostris avo, patre atque patruo nostro, inclitis Romanorum regibus et imperatoribus, eorum subli-

mati fuerunt temporibus. Statuentes et regio edicto districte precipientes ut nulli unquam persone alte vel humili, ecclesiastice sive seculari, hanc nostre donationis seu confirmationis divalem paginam licitum sit infringere vel etiam aliquo improbitatis ausu ei obviare. Quod qui facere presumpserit, XXX libras auri componat, medietatem fisco nostro, residuam vero medietatem injuriam passis. Ut autem hec concessio sive confirmatio nostra inviolabiliter ipsi civitati Argentinensi observetur, presentem exinde paginam conscribi jussimus et regie majestatis karactere consignari (*a*).

Testes hujus rei sunt : Heinricus Argentinensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus, Ulricus abbas Sancti Galli, Hugo abbas de Murbach, Wolframmus abbas de Wizenburc, Gerhardus comes de Diecht (*sic*), Ulricus comes de Kyburc, Egeno comes de Urach, Hartmannus comes et Ludewicus comes de Wirtenberc, Sigebertus comes de Werda et filius ejus Heinricus comes, Heinricus de Nifen, Heinricus de Sax, illustris princeps Heinricus dux Suevie, Theobaldus dux Lotaringie, Anshelmus de Rapoltisteine, Anshelmus de Zustingen marscalcus, Eberhardus de Waltburc dapifer, Dietho de Ravensburc, Cunratus de Wisterstede, Rudolfus de Ulenberc et. . . . . de Winisberc, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Actum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, regnante domino Friderico Romanorum rege gloriosissimo, anno regni ejus septimo.

Ego Cunradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Datum apud Hagenowe, III idus septembris, indictione VI (*sic*).

Fridericus, Romanorum rex, villae Anweiler jura ac privilegia Apud Hagenowe, 14 septembris.

(*a*) Totus hic locus uncis inclusus apud Schoepflinum deest.

civitatis Spirensis indulget, terminos civitatis assignat, atque in favorem castri sui illi imminentis Trivels, propriam monetam necnon proprium habere parochum concedit.

(Editum in deductione cui titulus : *Ausführlicher Bericht über die steuer der stadt Anweiler* (Zweibrücken, 1723). — In JOANNIS, *Spicilegio*, p. 453, n° 6. — In *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 80-82, num. DCXLII, ex autographo in archivo civit. Anweiler, unde sigillum illaesum appendet.)

Fridericus secundus, Dei gracia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Sicut regum et principum est sibi subjectos gubernare et regere, ita quoque ipsis ob excellentiam a rege regum et domino dominantium sibi concessam incumbit eosdem pietatis affectu fovere et manu protectionis a pravorum hominum incursu et violentia defendere et tueri. Hac igitur consideratione habita, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus innotescendum quod ad imitationem proavi nostri Friderici quondam incliti Suevorum ducis et aliorum progenitorum nostrorum, villam nostram Anvilrre pro villa Morsbrunnen concambio commutatam et homines in ea nunc et imposterum perpetuo habitantes sub speciali gracia et protectione recipimus et ob divine majestatis reverentiam castrique imminentis singularem dilectionis prerogativam plene sinceritatis affectu intendimus confovere. Unde jam dicte ville nostre cum habitatoribus suis libertatem perpetuam indulgemus et jus legemque civilem ad instar legum civilium Spirensis civitatis, quemadmodum ipsi data eis optione desiderarunt, statuimus; hoc et superaddentes ut nullus umquam in ea villa habitantium jus capitale dare cogatur, sed nec illud jus quod vulgo dicitur Buteil nec teloneum quod vulgo dicitur Zoll infra terminos regni quisquam ex illis dare tenebitur. Hoc etiam addimus ut si quis consortium civilitatis ibidem adeptus fuerit, statim post id factum nulli advocato subjacebit, et qui annum ibi adepta civilitate exegerit, si servitutis conditione cuiquam subjectus fuerit nec ille eum ipso anno repetierit, postmodum facultatem repetendi ipsum non habebit. Si quis etiam ad hanc villam fugantibus eum inimicis confugerit, pacis tranquillitate securus gaudebit. Terminos quoque civitatis assi-

gnamus : a plaga orientali terminum usque Sibeldengen, a plaga occidentali Drussufele, ab austro Menechinwillare, a septentrione usque Winkinvels. Si quis terminos vim inferendo cuiquam temeraverit, dignam satisfactionem civibus et causidico hujus ville exhibebit. Hec legum statuta sepe dicte ville indulgemus et ipsius ecclesie decimationem tocius predii nostri prefate ville censum persolventem ad honorem omnium sanctorum, specialiter autem ob reverentiam Sancte Fortunate virginis et martyris, attribuimus, ut provisor immo ipse pastor ecclesie usufructuario inde Deo ac Sanctis ibidem in propria persona, non vicarius deserviat, et nostri memoriam et omnium parentum nostrorum et heredum dignis missarum celebrationibus jugiter habeat, et ut cives predicti anniversarium obitus nostri diem solempni recolant frequentatione. Indulsimus etiam eis propriam facere monetam et habere, ut quod ex ea provenerit super castrum nostrum Trifels serviat. Si quis etiam civium uxorem de alia advocatia duxerit, advocatus ducte ductam marito liberam et sine querimonia dimittet. Ad hujus autem facti nostri certitudinem, hanc paginam inde conscriptam sigillo nostro jussimus insigniri.

Testes hujus rei sunt : Chunradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Heinricus Basiliensis episcopus, Hugo abbas Morbacensis, comes Sibertus de Werda, comes Hartmannus de Wirtinberch, Anshalmus marscalcus de Justingen, Ebirhardus dapifer de Walburc, Chunradus de Wintirstetin, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo decimo nono, XVIII kalendas octobris, indictione VIII.

Datum apud Hagnowe, kalendis et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, comiti Egenoni de Urach consanguineo suo in rectam proprietatem donat totam partem haereditatis et bonorum quae a ducibus de Teck ipse comparavit. Praeterea quicquid tam ipse quam praedictus comes de bonis Bertholdi

Apud Hagenowe, 18 septembris.

quondam ducis Zaringiae in praesentiarum obtinent, statuit ut uterque pacifice possideat, secundum factam apud Ulmam reconciliationem.

(Edider. SCHOEPFLIN, *Hist. Zaringo-Bad.*, cod. diplom., t. IV, p. 158.—SCHREIBER, *Urkundenb. von Freiburg,* t. I, p. 44.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Ne processu temporum ab hominum memoria elabantur que inter eos aliquando contrahuntur, regia decrevit serenitas [ut] ea litteris publicis commendaremus. Quapropter ad universorum tam presentium quam futurorum notitiam volumus pervenire quod nos, attendentes grata servitia que dilectus consanguineus noster comes Egno de Urach nobis jamdudum exhibuit et poterit in posterum exhibere, ad removendum inter nos et ipsum omnem dissensionis scrupulum, in rectam sibi donamus et largimur proprietatem totam partem hereditatis illius et bonorum illorum quam vel que de pecunia nostra a nobilibus viris ducibus de Teck comparavimus, et quod ipsi de jure nobis vendere et dare potuerunt. Homines vero necnon et alia qualiacumque bona que sibi nec potuimus nec debuimus de jure donare, ipsa jamdicto comiti in rectum et legale feudum concedimus, titulo feudali perpetuo possidenda. Preterea quicquid tam nos quam predictus comes de bonis pie memorie Bertholdi ducis Zeringie in presentiarum obtinemus, id uterque nostrum pacifice possideat, sicut ambo possedimus, facta apud Ulmam inter nos reconciliatione (1). Et sciendum est quod comes E. bonis que tenemus non renunciavit, sed pro ipsis gratiam nostram prestolabitur si aliquid sibi facere velimus. Eidem quoque comiti firma nos obligavimus promissione quod de bonis suis nunquam ab heredibus suis preterea aliquid acquiremus nec pro hoc ei guerram inferemus. Ut autem hec omnia firma permaneant et illibata, presentem paginam inde conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

---

(1) Nusquam reperitur instrumentum, verisimiliter mense maio hujus anni confectum.

Hujus rei testes fuerunt Conradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Heinricus Basiliensis episcopus, Hugo Morbacensis abbas, Sibertus comes de Werda, Heinricus de Niffen, comes Ebirhardus de Helfinstein, Anselmus marscalcus de Justingen, Evirhardus dapifer de Walpurch, Conradus de Wintirstetin, et alii quamplures.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo nono, quarto decimo kalendas octobris, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, alienationes reddituum episcopalis mensae a Gherardo quondam archiepiscopo Bremensi seu a Waldemaro in possessionibus ecclesiae factas, irritas et inanes per sententiam declarat. Hagenowe, 25 septembris.

(Edider. STAPHORST, *Histor. eccl. Hamb.*, 1ª pars, p. 596. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 233. — LAPPENBERG, *Hamburg. urkundenbuch*, p. 370, nº CDXXIV.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie, prelatis, nobilibus, ministerialibus et tam clero quam populo Bremensis ecclesie, necnon et universis aliis quibus littere presentes oblate fuerint gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum esse cupimus quod multis nobilibus coram nobis positis et approbante tota familia curie nostre, per sententiam coram nobis diffinitum est alienationes reddituum episcopalis mense factas a Gerhardo pie recordationis archiepiscopo Bremensi, quos titulo pignoris obligasse dicitur, irritas et inanes esse nec aliquod penitus firmitatis robur habere. Similiter alienationes quas fecit Waldemarus in possessionibus ecclesie, simili jure viribus omnino carere decernimus. Unde mandamus et sub obtentu gratie nostre precipimus ne quis dilectum principem nostrum Bremensem electum qui liberam horum omnium dispositionem debet habere, in eorum fruitione aliquatenus

audeat perturbare, ne sententiam transgressionis edicti nostri in se mereatur excipere.

Datum Hagenowe, VII° kalendas octobris, indictione VII[a] (*a*).

Hagenowe, 25 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, notificat diffinitiones in curia sua sententialiter latas : de vacatione quatuor principalium officiorum post mortem episcopi, de alienationibus sine consensu ecclesiae et auctoritate imperii factis, et de libera morientis episcopi facultate de rebus suis mobilibus disponendi.

(Ediderunt Staphorst, *Hist. eccl. Hamb.*, 1[a] pars, p. 596.— Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVI, p. 107. Hi duo perperam Henrico regi tribuunt.— Leibnitz, *Scriptor.*, t. II, p. 271. — Senckenberg, *Corp. juris feudal.*, p. 764 et 769.— Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 234. — Lappenberg, *Hamburg. urkundenbuch*, p. 370, n° CDXXV.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, universis ecclesie Bremensis prelatis, canonicis, nobilibus, ministerialibus et universis ad quos he littere pervenerint gratiam suam et omne bonum. Notum esse volumus omnibus vobis quod presentibus multis magnatibus et sapientibus, coram nobis per sententiam diffinitum est quod mortuo uno episcopo et alio substituto, omnia officia vacant, exceptis quatuor principalibus, dapiferi videlicet et pincerne, mareschalci et camerarii. Preterea omnia que antecessor alienaverit sine consilio ecclesie et authoritate imperii, libera redibunt et sine contradictione ad successoris potestatem et ordinationem. Nullus preterea officialium aliquid sibi dicere juris potest in rebus episcoporum morientium; imo liberum erit cuilibet morienti episcopo disponere de rebus suis mobilibus et dare cui voluerit, prout ipse saluti sue et anime viderit expedire.

Datum Hagenowe, VII kalendas octobris, indictione octava.

(*a*) Rectius autem *VIII.*

Fridericus, Romanorum rex, Rogerio abbati Casamaris et monasterio ejus confirmat decem aratra de terra laboratoria in partibus Terrae Laboris, centum barrilia tunninae annuatim ex portu Panormi extrahenda, libera pascua in terra Cansiae nec non et liberum per regnum Siciliae passagium. Apud Hagenowe, septembri.

(Inedit. ex arch. reg. Neapol., regest. Carol. II, ann. 1305 B, fol. 17-18, et ann. 1306 D, fol. 90.— Hoc instrumentum datum Neapoli per manus Bartolomaei de Capua militem, logothetam et protonotarium regni Siciliae, anno Domini MCCCVI, die ultima madii, IV indictione, renovat quatuor privilegia abbatiae Casamaris concessa : primum Constantiae imperatricis Friderici matris, datum apud Panormum ann. MCXCVI, mense madii, XIV indictione; secundum ejusdem, datum apud Panormum ann. MCXCVIII, mense madii, I indictione; tertium Constantiae reginae Friderici uxoris una cum Henrico filio suo, datum Messanae ann. MCCXII, mense madii, indictione XV, anno regni Friderici XIV, Henrici vero anno primo; quartum demum quod sequitur :)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Inter alia pietatis opera quibus dignitas regia uberius exornatur, liberalitas obtinet principatum, illa precipue que ad commodum et utilitatem locorum venerabilium exercetur. Nam si a terreno principe particula datur, illius interventu qui affluenter tribuit universa, quod datur ad eum cum fenore multo revertitur, precipue cum per hoc videatur quod pro terrenis eterna provida meditatione mereatur. Hac igitur ducti consideratione laudabili, diligentius attendentes honestatem et religionem tuam, Rogeri, venerabilis abbas sancti monasterii Casamaris Cisterciensis ordinis, et aliorum fratrum ibidem Domino laudabili religionis ordine servientium, pro animabus divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, pro salute nostra et de nostre magnificentia majestatis, confirmamus perpetuo tibi et successoribus tuis et ipsi monasterio Casamaris decem aratra de terra laboratoria in par-

tibus Terre Laboris, quatuor bobus per aratrum computatis, de quibus apud Suessam tria aratra possidetis, et centum barrilia tunnine annuatim in portu Panormi tam lignis quam aliis necessariis preparata, ab eodem portu Panormi ubicumque volueritis libere transferenda. Nichilominus confirmamus eidem monasterio libera pascua pro animalibus monasterii ipsius in terra Cansie sine herbatico et aliqua datione, et liberum per regnum nostrum passagium tibi tuisque successoribus et monasterio in perpetuum confirmamus, sicut olim domina imperatrix carissima mater nostra felicis memorie predicta omnia eidem monasterio Casamaris per privilegia sua dignoscitur concessisse; volentes et presentis privilegii auctoritate mandantes ut nullus sit qui de predictis omnibus predictum monasterium ausu temerario impedire seu molestare presumat. Ad hujus autem nostre confirmationis memoriam et inviolabile firmamentum, presens privilegium inde scribi et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data apud Agenove, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense septembris, octave indictionis, regnante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia excellentissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ejus in Germania septimo et in Sicilia vicesimo secundo, feliciter. Amen.

Apud Hagenowe, septembri.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Morimundi in Lombardia cum omnibus bonis ejus sub sua protectione recipit, jura que ejus et immunitates specialiter recenset et confirmat.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra,* t. IV, p. 180, ex transumpto authentico notarii Maphei.)

In nomine sancte Trinitatis. Federicus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Quia nihil est quod magis ad eternam imperatorum et regum salutem proveniat quam

quod ipsi ecclesiis et maxime religiosorum locis divino intuitu conferant, coadjuvandum est eis et non pigro animo intendendum ad augmentandas ecclesias et loca religiosorum et regularem vitam servantibus beneficia conferenda. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus innotescendum quod nos, ad imitationem felicium progenitorum nostrorum domini Friderici avi et domini Henrici patris nostri Romanorum imperatorum recolende memorie, divine quoque retributionis intuitu, sub speciali majestatis nostre protectione monasterium Morimundi in Lombardia cum personis Deo ibidem famulantibus et cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus recepimus, privilegia predecessorum nostrorum eidem monasterio tradita et indulta benignitate regia confirmantes. Mandamus igitur et auctoritate regia districte precipimus quatenus amodo a gravamine ipsius monasterii de Morimundo et fratrum omnes nostri fideles abstineant, et ab omni exactione fodri et alterius prestationis locum ipsum cum prediis et rebus suis omni abjecta inquietate dimittant liberum et solutum; habendo plenam et liberam facultatem ut fratres ipsius monasterii aquas publicorum fluminum libere et absolute quocumque et undecumque voluerint ducere possint, absque incommoditate alterius que clarius appareret, et rumpere vias et eas mutare faciendo et manutenendo ibi pontum (*sic*), sive ille vie sint publice sive vicinales sive private. Item mandamus ut liceat predicto monasterio trahere et vendere res suas mobiles ubicumque et quomodocumque voluerit, et specialiter granum, vinum et ligna, absque contradictione alicujus persone magne vel parve, civitatis vel loci. Item nullus ab abbate vel fratribus monasterii supradicti sacramentum, si cum eis in causa fuerit, exigat vel requirat, sed recipiens sacramentum sindici monasterii memorati et sit in causa contentus. Nec compellat eosdem de exhibendis instrumentis facere sacramentum. Item licitum sit monasterio supradicto ut animalia ejus pastores monasterii sine aliqua molestia ducant, custodiant in pascendis et reducant per terram nostram liberi et securi. Quod nec occasione vie (*a*) vel pontus alicujus nusquam

(*a*) In impresso additur *pontus;* quae vox abundare videtur.

et nemini aliquid dabunt pedagium sive pontorium vel potonagium sive etiam corradiam. Preterea donationem curie Fare Basiliane cum omnibus suis pertinentiis quam imperator Fridericus recolende memorie monasterio Morimundensi donavit et concessit, tibi abbati Morimundi Lombardo et omnibus fratribus confirmamus et concedimus ut fundus ecclesie Morimundensi cedat in allodium (*a*) et proprietatem, ut tota utilitas que de predicta curia pervenerit soli ecclesie et fratribus ad proprios usus semper permaneat. Verum ad hujus donationis et rei geste memoriam, jam dicti fratres unum aureum singulis in festo beati Martini nobis et successoribus nostris regibus et imperatoribus persolvere teneantur. Item Fare Vetule grangiam cum omnibus suis pertinentiis et grangiam de Castelleto cum omnibus suis pertinentiis et possessiones de Casterno et emptas a Lanfranco Gambare et Guillobaro et omnes grangias, res et possessiones eorum quas in presenti possident vel in futuro juste, Deo volente, possederint cum aquis que in terris eorum oriuntur vel orientur vel per terras eorum decurrunt vel decurrent, eas libere et secure et pacifice possidere jure perpetuo volumus et confirmamus, nonobstante externa (?) (*b*) prestatione ficti vel scripti alicujus contractus cum aliqua civitate vel loco, pacto (*c*) vel alicui persone vel loco prestito vel interveniente de aliquibus vel pro aliquibus rebus constitutis intra confines vel [in] confinibus predictarum curiarum vel alicujus earum. Preterea aquam nomine Rabedam seu Rabicam que per campum Fulcherium locum prefati monasterii decurrit, eidem monasterio vel fratribus totam et ex toto sursum et deorsum donamus, et tam ad usum piscandi quam ad alios usus necessarios tractandi et ad propriam deducendi pro voluntate [jus] concedimus. Ipsis quoque fratribus et missis eorum per eam ingredi Ticinum cum parvis et magnis navibus sine cujusquam contradictione et inde per eam regredi concedimus, vel ad piscandum jure perpetuo per Padum vel Ticinum, quod eis tam nos quam predecessor noster Conradus jam donavimus et nos nunc eidem monasterio per scripta

(*a*) Ibidem *allondum*, male.
(*b*) Ibidem *existerna*. Locus ut videtur mutilus.
(*c*) In impresso *facto*, minus recte.

presentia confirmamus; et ab omni persona propria auctoritate defendimus tam ad onera trahenda quam ad navigium, prout voluerint et necesse habuerint. Locum etiam prefatum eorum ubi abbatia constructa est cum pertinentiis suis, eis confirmamus et ab omni persona defendimus. Que omnia de mera et pura conscientia facimus, concedimus et donamus et confirmamus. Statuentes et regia auctoritate mandantes ut contra dicta nulla omnino persona, magna vel parva, nulla universitas, nulla civitas, nullus marchio, nullus comes, dux vel aliqua omnino persona communi vel singulari jure de predictis vel occasione predictorum ipsum monasterium vel aliquem monachorum sive fratrum ipsius monasterii in toto vel in parte molestare vel inquietare presumat. Quod qui presumpserit indignationem et offensionem nostre majestatis incurrat, et pro pena temeritatis centum marchas purissimas auri componet, medietatem camere nostre, reliquam vero monasterio et injuriam passis fratribus supradictis. Ad hujus autem concessionis et confirmationis memoriam, presens privilegium nostrum fieri jussimus et sigillo nostre celsitudinis corroborari.

Hujus rei testes sunt : Berardus Messanensis archiepiscopus, comes Sibertus de Werda, Hermannus marchio de Baden, comes Evirardus de Helfinsten, Reinaldus [dux] Spoleti, Simon comes Theatinus, Gunzolinus de Krozuk (*a*), Anselmus marscalcus de Justingen, et alii quamplures.

Datum apud Hagenowe (*b*), anno dominice incarnationis M. CC. XIX, mense septembris, indictione VIII, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania VII, et in Sicilia XXII, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum rex, homines de Ebulo propter exper- Apud Frankenvord, septembri.

(*a*) Nomina testium in transumpto corrupta sunt; nullum vero pejus hoc ultimo quod ab Italo notario ita deformatur *Augolinus Xopclae!!* Ultroneam correctionem, non vero certam dicere audemus.

(*b*) Apud Ughelli *Hagerent,* malc.

tam eorum fidem, ipsorum haeredes, terram et quaecumque ad eumdem locum pertinent in suum demanium et sub sua speciali protectione recipit, necnon et bonas eis consuetudines confirmat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 103, n° 306, ex copia quam transcripsit Pertz in regest. Alexandri IV, ann. I, n° 29. Privilegium bulla aurea munitum erat.)

Hujus rei testes sunt : E. Coloniensis archiepiscopus, Th. Treverensis archiepiscopus, H. Wormaciensis electus, L. dux Bavarie et palatinus Rheni, L. lantgravius Thuringie et palatinus Saxonie, dux Brabantie, E. comes de Helfenstein, et alii quamplures.

Ego Conradus, etc.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XIX, mense septembris, indictione VII, regnante domino nostro, etc., anno Romani regni ejus in Germania VII, in Sicilia vero XX (*sic*).

Datum apud Frankenvord, anno, mense et indictione prescriptis.

. . . . septembri.

Fridericus, Romanorum rex, civitatem Albam in Pedemontio in sua speciali protectione recipit, eique concedit omnimodam jurisdictionem; ita quod nullus ipsius civis ab ordinario vel delegato aliquo [judice] ante primam sententiam trahi possit ad aliud tribunal pro causa civili vel criminali, nullusque ex aliqua delegatione vel commissione contra civem vel habitantem Albae seu forensem ibidem delinquentem, pro causa seu delicto in jurisdictione, finibus seu territorio dictae civitatis commisso, nisi solus potestas ejusque vicarius vel collateralis, jurisdictionem exercere valeat, crimine laesae majestatis duntaxat excepto.

(Memorat. ap. de Meiller, *Notizenblatt; Beil. zum archiv für kunde Oesterr. gesch.*, 1851, n° 6, p. 86, ex supplicatione circa ann. 1535 Carolo quinto praesentata et in regesto *Confirmationes privilegiorum* apud Vindobonam asservata.)

Datum. . . . . , anno dominice incarnationis M° CC° XIX°, mense septembris (1).

Honorius papa Friderico Romanorum regi scribens conqueritur quod in negotio Terrae Sanctae se nimis tepidum praebeat, cum jam bis dilationem in arripiendo itinere postulaverit; tertium vero terminum, scilicet in festum Sancti Benedicti sub poena excommunicationis praefigit, hortaturque vehementer ad auxilium exercitui Christiano ferendum. Reate, 1° octobris.

(Edid. FRED. HAHN, *Collect. mon. vet. et rec.*, t. I, ex Thom. Cap. dict. epist., p. 312-313. Coll. cum cod. bibl. reg. Paris. 8604, *anc. fonds latin*, fol. 10 recto-verso.—RAYNALDUS vero, *Annal. eccles.*, tom. I ad ann. 1219, § IX, non integram exhibuit, e regest. Honor., lib. IV, n° 576.)

Honorius, etc., Friderico illustri, etc. Litteris excellentie regie consueta benignitate receptis, exultavit animus noster in Domino quod accessit ad patris desiderium filius, dum et recepta beneficia recognoscis et retributionis te non denegas debitorem. Porro satis prudenter deberes advertere de quo et quali affectu processerit quod expectamus hactenus et expectabamus [ut] excusationes probabiles, quarum quedam que aliquid note videbantur habere quibusdam opinionibus se ingerebant hominum et conjecturis, aut per contrarium caute refelleres aut per aptas et authenticas litteras deduceres in notitiam plurimorum. Licet autem apud nos pro magnificentia tua sincera peroret dilectio et promptis affectibus instruat causam tuam, expedit tamen ut non solum nos, sed alii etiam intelligant et cognoscant quod memor es uberum que tibi pia mater porrexit Ecclesia et memor es dextre quam Romanus pontifex tanquam pater sollicitus patenter et potenter in Domino ad auxilium tue promotionis

(1) Nulla alia temporis notitia, sicut ipse monet editor, in scriptura reperitur.

extendit. Verumtamen quiddam est quod multorum detractionibus videtur expositum et quod ad aliquos non de facili se explicationibus applicat, videlicet quod ad Terre Sancte subsidium promptiorem et majorem non exhibes apparatum. Ecce, fili carissime, quod ad hoc duo tibi prefissi sunt termini; sed elapsi, quid adhuc commodum reportarunt? Quas enim naves, quas galeas regia fecit celsitudo parari, que vasa usui transfretationis accommoda de sumptibus tuis? Esto, carissime, quod transitus tuus hactenus impedimentis aliquibus fuerit retardatus : parere tamen debet magnis in apparatibus grandis effectus, si ad opus illud quantum geris in animo possibilitatis ostenderet et esset efficax prompte voluntatis interpres. Et quidem in talibus vellemus te preducem potius quam sequacem, ut non solum repetitioni dilationis minus insisteres, sed petentibus fortiter obviares. Verum propter impedimenta que ad excusationem tua pagina continebat, honori tuo quantum cum Deo possimus providere volentes, dilationem tibi concedimus postulatam; festum beati Benedicti proximo futurum terminum prefigentes (1), quo ad Terre Sancte succursum iter arripias, prosecuturus quantum sufficientia possibilitatis affuerit votum tuum. Interim vero non dormias ne in termino jam tertio laqueum, quod absit, excommunicationis incurras; excitare te ipsum et alios vigilare compelle, ut medio tempore paratis hiis que desiderantur, terra que funiculus est hereditatis divine fructuosum sentiat quem diu speravit tue magnitudinis et expectat adventum. Festina, festina, noli diutius expectare, quum dum est in promotione negotium, minori consummatur auxilio et facilius perficitur in profectu. Festina, rex egregie, ad summi regis obsequium, ut non videaris omnino relictus post terga, sed tanto ferventiori affectione ac evidentiori utilitate procedas, quanto de majori mora et minori sollicitudine quorumdam judicio notari videris. Festina, si forte Dominus tanti consummationem negotii tue glorie reservavit ut in dextera tua perficiat multorum manibus inchoatum. Certe clare memorie avus tuus Fredericus ad id se totis viribus accinxerat. Quid erit si et tu nepos ejus illius memoriam non solum presentibus re-

---

(1) Scilicet ad unum et vicesimum diem mensis martii anni sequentis.

novabis in nomine, sed etiam ad posteros prorogabis in opere; si quod ille ferventer in affectu assumpserat, tu salubriter perduxeris ad effectum! Nihil ergo in tanto negotio vel tu ipse omittas vel a tuis quantum in te fuerit patiaris omitti, quoniam cum tibi robur etatis sufficiat et potentia virtutis habundet, si forte, quod absit, tam favorabile negotium neglexeris, quanto majora de manu Domini recepisti, tanto id a te majoris exactionis periculo requiretur. Illud autem latere te nolumus quod cum redeuntibus multis brevis sit sicut accepimus exercitus christianus, nisi succursum habuerit in proximo passagio martii, magnum quod Deus avertat posset eis imminere discrimen. Unde non impedias, sed procures ut sic aliqui medio tempore preparentur quod in eodem passagio transeant, quatenus reparetur robur exercitus et restauretur numerus bellatorum; et sic facilius et efficacius sub spe divine clementie prosequaris incepta, que si quasi a capite oporteret te resumere, sub dubio forsan eventu tam grande negotium, quod usque nunc satis prosperum habuit Domino dirigente progressum. . . . . (*a*).

Datum Reate, kalendis octobris, pontificatus nostri anno quarto.

Fridericus, Romanorum rex, curiam Nurnberch cum multis principibus celebravit (1). Herm. Altah., ad ann., ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 497. Apud Nuremberg, [octobri.]

Fridericus, Romanorum rex, Godefridum Cameracensem elec- Apud Nuremberg, 29 octobris.

(*a*) Finis deest; fortasse *remaneret, remanere posset,* vel hujusmodi.

---

(1) Ex ordine rerum, non dubium videtur quin haec curia mense octobri celebrata fuerit. A multis principibus rex ibidem juramentum exegit quod sacrum iter cum se ipso arriperent. Cf. infra litteras papae directas, 19 febr. 1220.

tum cum integritate juris sui de regalibus investit, omnia privilegia a se et antecessoribus suis eidem ecclesiae concessa confirmans, et specialiter illa quorum unum apud Aquisgranum et alterum apud Spiram Joanni ejus praedecessori indulsit.

(Edit. ap. *Mémoire pour M. l'archevêque de Cambray* (Paris, 1772, in-4°), pièces justificatives, n° XX, ex àutogr. in archivo eccl. Camer., unde pendebat aurea bulla.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie, omnibus quibus presentes litteras videre contigerit gratiam suam et omne bonum. Quia labilis est humana memoria, oportet res gestas scripture committere ne forte per antiquitatem temporis a memoria possint elabi. Notum igitur fieri volumus tam presentibus quam futuris quod cum de canonica electione dilecti ac fidelis principis nostri Godefridi Cameracensis electi nobis plenius constitisset, facto nobis hominio et prestito fidelitatis juramento, ipsum cum integritate universi juris sui tam in privilegiis quam aliis in solempni curia apud Nurembergh de regalibus investivimus; ei et successoribus suis et ecclesie sue jura, libertates, consuetudines et privilegia que antecessores sui a nobis vel antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus, tam Ottone dum esset catholicus quam aliis obtinuerant, confirmantes etiam, et specialiter scripta seu privilegia illa quorum unum primo predecessor suus Joannes bone memorie quondam Cameracensis episcopus in coronatione nostra per sententiam principum nostrorum a nobis obtinuit Aquisgrani, et postmodum aliud obtentum ab eodem per sententiam principum apud Spiram (1) a nobis super revocatione quarumdam litterarum, quas cives ejusdem episcopi Cameracensis in absentia ejus et tacita veritate impetraverant a nobis, in prejudicium libertatis sue ipsi et successoribus suis necnon ecclesie sue a nobis vel ab antecessoribus nostris confirmate, sicut in nostris vel antecessorum nostrorum privilegiis vel scriptis plenius continetur.

---

(1) Vide supra p. 406 seqq., et p. 449.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. nono decimo, regnante domino Friderico Romanorum rege glorioso, anno regni ipsius septimo.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum apud Nurembergh per manum Marcualdi imperialis aule prothonotarii (1), quarto kalendas novembris, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, conventionem inter Eberhardum archiepiscopum Salseburgensem et Ludovicum ducem Bavariae initam confirmat, super castro et juribus ejusdem ducis in Hallein.

Apud Nuremberg, 1° novembris.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 103, n° 308, ex *Salzburgische Ansprüche,* deduct. de ann. 1779, Beil. p. 45, ipsi a Moritz indicata.)

Datum apud Nurinberc, anno dominice incarnationis M. CC. XIX, kalendis novembris, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium de Scheftersheim cum personis et rebus ejus in sua speciali protectione recipit, statuitque ut nullum nisi se et successores suos advocatum habeat.

Apud Nuremberg, 2 novembris.

(Edid. Hansselmann, *Diplomatischer beweis des Hauses Hohenlohe*, t. I, p. 372, n° XII, ex autographo.)

---

(1) Hac unica vice Marcualdus cum titulo protonotarii apparet, dum notarius seu scriba regis simpliciter appellari soleat.

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie, universis ad quos presens scriptum pervenerit gratiam suam et omne bonum. Regalis magnificentie sublimitatem et eterne salutis consequi non dubitamus premia, cum personis spiritualibus Deo deservientibus ad ecclesiarum suarum conservandam inviolabiliter libertatem, benignum adhibemus assensum. Noverit itaque universitas presentium et successio futurorum quod nos ob honorem Dei et sanctissime Matris sue, ecclesiam in Scheftersheim et sanctimoniales loci ipsius cum omnibus personis Deo ibidem famulantibus in nostram et imperii specialem suscepimus protectionem, cum omnibus bonis et possessionibus suis, agris, vineis, silvis, cultis et incultis, pratis, piscationibus, molendinis, pascuis et universis que in presentiarum juste possidere dinoscuntur vel in posterum, Deo auxiliante, juste poterunt adipisci; et omnes possessiones quas Fridericus dux de Rotinburch, fundator ecclesie prenominate, pro remedio anime sue ecclesie jamdicte contulit, presentium attestatione confirmamus eidem, statuentes ut prenominata ecclesia nullum habeat advocatum nisi nos et successores nostros imperatores Romanos et reges. Statuimus etiam ut ecclesia predicta de animalibus ecclesie et de novalibus que fratres dicti loci propriis manibus vel sumptibus suis excoluerint, nulli unquam aliquam decimam solvant, sed omnia ecclesie permaneant inviolata. Decernimus etiam ut nulla unquam persona alta vel humilis, ecclesiastica aut secularis, bona jamdicte ecclesie invadere presumat et personas ejusdem aliquo modo perturbare. Quod qui fecerit indignationem Dei omnipotentis se noverit incurrisse et gratiam nostram et imperii graviter offendisse.

Hujus rei testes sunt : Eberhardus Salispurgensis archiepiscopus, C. Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, . . . Eichstetensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Engelhardus Nuwinburgensis episcopus, . . . abbas Fuldensis et Elwancensis, Odakarus rex Boemie, Lupoldus dux Austrie et Styrie (1), Ludewicus dux Ba-

(1) Iste tunc temporis redierat ab expeditione in Terram Sanctam anno 1217 suscepta, dum circa octavam Paschae hujus anni 1219 exercitum Damiatam obsidentem reliquerit. Quinto die novembris Damiata tandem in manus Christianorum devenit.

varie, . . . dux Karinthie, O. dux Meranie, Hermannus marchio de Badin, Eberhardus et Ulricus comites de Helffinstein, Heinricus de Nifa, Anshelmus de Justingen imperialis aule marscalcus, Wernherus et Philippus de Bonlandia, Heinricus magister coquine, Cunradus de Clinginberc imperialis aule pincerna, et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Nurinberc, anno ab incarnatione Domini M. CC. XIX, IV nonas novembris, indictione VII (*a*).

Fridericus, Romanorum rex, hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum dat et in perpetuum confirmat capellam in Rödelheim cum dote, decimis, mancipiis et justitiis ejusdem. Apud Nuremberg, 3 novembris.

(Ediderunt BOEHMER, *Codex Moenofrancof. diplomat.*, t. I, p. 29.— HENNES, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theutonic.*, p. 41, n° 39.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Inter varia humane sollicitudinis exercitia, ea nobis proficere ac prevalere ad anime salutem confidimus que christiane religioni de clementia nostra conferimus et ecclesiis ac religiosis personis ad fidem catholicam ampliandam misericorditer elargimur. Ea igitur consideratione inducti, notum facimus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes religionem et honestatem fratrum hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jherusalem, pro remedio quoque anime nostre et divorum augustorum felicis memorie patris et matris nostre, ipsi hospitali et fratribus ibidem Deo militantibus damus et regio munimine in perpetuum confirmamus capellam in Rutilnheim cum dote, decimis et mancipiis utriusque sexus et omnibus justitiis seu rationibus que ad capellam pertinere dinoscuntur, ut ad proprios usus et utilitates predicti hospitalis fratres ipsi eamdem capellam cum omnibus justitiis et rationibus suis de cetero teneant et possideant; statuentes et presentis privi-

(*a*) Rectius autem *VIII*.

legii auctoritate mandantes ut nullus sit qui de ipsa capella deinde prenotatum hospitale impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit iram Dei omnipotentis et indignationem celsitudinis nostre se sentiat graviter incursurum. Ut autem hec nostra donatio et confirmatio firma permaneat, presens inde privilegium fieri fecimus sigillo nostre magnificentie roboratum.

Hujus rei testes sunt : Evirhardus Salseburgensis archiepiscopus, Sifridus Augustensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Engilhardus Nuenburgensis episcopus, Odacrius Boemorum rex, Liupoldus dux Austrie et Stirie, Bernardus dux Carinthie, Hermannus marchio de Baden, Evirhardus comes de Helfinstein, Conradus burgravius de Nurenberc, Anselmus marscalcus de Justingen, Wernherus dapifer de Bollandia, Philippus frater ejus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici, Dei gratia Romanorum regis, semper augusti (*Monogramma*), et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntinensis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, indictione octava, regnante domino Friderico Romanorum et Sicilie rege, semper augusto, anno Romani regni ejus in Germania septimo et in Sicilia vicesimo secundo.

Datum apud Nurenberc, tertio nonas novembris.

Apud Nurimberg, 7 novembris.

Fridericus, Romanorum rex, subcantori et capitulo capellae suae Panormi mandat ut Gualfredum canonicum Messanensem in ipsorum cantorem recipiant et honorent.

(Edit. apud *Tabular. reg. ac imper. capellae divi Petri*, p. 45, n° 27, ex MSS. Anton. Amico.— Mendose vero ad ann. 1205 reponitur.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, succentori et capitulo cappelle Panormi fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Noverit fidelitas vestra quod nos pro gratis et acceptis servitiis Gualfredi canonici Messanensis cappellani et fidelis nostri, de gratia nostra concessimus et contulimus ei cantoriam ipsius cappelle nostre cum omnibus que ad ipsam cantoriam spectare noscuntur. Quapropter fidelitati vestre mandamus atque precipimus quatinus ipsum in vestrum recipientes cantorem, honorantes eum ob nostre reverentiam majestatis, intendatis et respondeatis ei de cetero de omnibus que ad cantoriam ipsam pertinere videntur; mandatum nostrum taliter adimplentes ut devotionem et studium vestrum exinde merito commendemus.

Datum apud Norimberg, VII novembris, VIIII (1) indictione.

Henricus dux Saxoniae et comes palatinus Rheni, tanquam vicarius regis Romanorum Friderici, donationem ecclesiae Verdensi ab Algisa muliere factam testatur. Brunswick, 7 novembris.

(Edid. SCHEID, *Origin. Guelf.*, tom. III, p. 672, n° 181, ex autographo.)

Henricus Dei gratia dux Saxonie et comes palatinus Rheni. Notum sit omnibus quod coram nobis fungentibus vice gloriosi domini nostri Friderici Romanorum regis et semper augusti necnon regis Sicilie, secundum plenitudinem jurisdictionis nobis date ab ipso Goslarie (2), in villa nostra Brunesvic in ecclesia Sancti Blasii, multis presentibus clericis et laicis fi-

---

(1) Non dubitandum quin indictio male transcripta sit, quum evidenter VIII legi debeat. Ad majorem certitudinem, vide infra ad 25 april. 1220.

(2) Scilicet mense julio hujus anni, cum Friderico insignia imperii repraesentavit. Instrumentum vero hujus concessionis magni momenti periit.

delibus nostris, nobilis mulier Algisa, filia bone memorie Heinrici de Westenen junioris, partem patrimonii sui que eam contingebat ex hereditate paterna vel avita, sua spontanea voluntate dedit nomine venditionis ecclesie beate Marie Virginis et beate Cecilie Verdensi ad manus Isonis Verdensis episcopi, consentientibus ibidem matre, sorore, marito et sororis marito, etc. . . . . . .

Acta sunt hec in ecclesia Sancti Blasii in Bruneswic, anno incarnationis Domini M° CC° . . . . . (*a*), indictione septima, septimo idus novembris (1).

Apud Nuremberg, 8 novembris.

Fridericus, Romanorum rex, carissimae suae civitati Nurembereh antiqua jura, a divis praedecessoribus ac progenitoribus suis illi tradita, renovat, speciatim exprimit et confirmat.

(Editum ap. WOLKERN, *Historiae Norimb. diplom. Prodrom.*, p. 9-12, cum commentario amplissimo. — TOLNER, *Cod. Palat. diplom.*, p. 68. — GOLDAST., *Constit. imper.*, t. I, p. 291. — SCHÜTZ, *Hist. Brandenb.*, sylloge 58, num. 24. — LÜNIG, *Part. special. continuat.*, t. IV, Theil II, p. 85. — MURR, *Commentat. de re diplom. Frider. II*, p. 69. — *Monum. Boica*, tom. XXX, p. 82-85, num. DCXLIII, ex origin. unde sigillum integrum appendet. — Adest similiter specimen totius instrumenti a Joh. Guill. Stoer, Noriberg., 1746, cupro incisum.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie. Cum ex debito regie eminentie omnium imperii fidelium jura pio debeamus

(*a*) Facile suppletur *XIX*°, cum charta situ et squalore praesertim in fine exesa sit.

---

(1) Non dubium erit quin Henricus dux in Saxonia sive inferiori Germania jurisdictionem seu vicariam imperialem ex hoc anno 1219 usque ad finem vitae suae (1227) exercuerit, cum plures chartae probationem afferant : scilicet ann. 1223 (*ibid.*, n° 183) ubi dicitur Heinricus Dei gratia dux Saxoniao, comes palatinus Reni et *sacri imperii legatus*, et ann. 1226 (*ibid.*, n° 185) qua idem dux *auctoritate regia et sua* donationem collegio Schinnensi factam confirmat.

et velimus favore tueri atque gubernare, ex habundanti serenitatis nostre benivolentia eorum intendimus jura non solummodo roborare, verum quoque regali augere potentia, quorum continua obsequia nobis ex suis meritis grata admodum sunt et accepta. Ad evidentiam igitur specialis gratie ac dilectionis quam gerimus ad karissimam civitatem nostram Nuremberch, antiqua jura a divis predecessoribus ac progenitoribus nostris inclitis Romanorum imperatoribus et regibus semper augustis eidem loco tradita non solummodo confirmamus, immo si quem habere videntur deffectum, cum locus ille nec habeat vineta neque navigia, immo in durissimo situs sit fundo, de mera benignitate subplemus; statuentes et pro futuris temporibus incommutabiliter observari sanctientes quod quilibet ejusdem loci civis nullum habere debeat advocatum, preterquam nos et nostros successores Romanorum reges et imperatores. Item quicunque civis antedicte civitatis fecerit se alicujus Muntman, tam civis ille quam qui hoc modo receperit eum, gratiam nostram demeruit et in utroque pax non violatur. Item nemo aliquem civem loci illius duello impetere debet in toto Romano imperio. Item quicunque alicui civi Nurembergensi aliqua bona sua sive predia sive feoda obligaverit aut impignoraverit, quocunque bona illa obligata devolventur sive ad dominos seu ad heredes, civis ille cui antea fuerunt obligata in quieta permaneat possessione quousque a successore redimantur. Item quicunque aliquem Nuorembergensem bonis suis sive prediis sive feodis quocunque modo inbeneficiaverit, si forte dominus feodi aliquo tempore illi feodum negaverit vel si aliquis ipsum civem super hoc impecierit, et civis cum suis concivibus testimonio legitimo comprobaverit se esse inbeneficiatum, in quieta permaneat possessione. Item nullus dominus aliquem Nurembergensem compellere debet ad jus, quod appellatur Lehenreht. Item quicumque dominus aut alius creditor alicui Nuorembergensi accommodata reddere rennuerit, mansionarius illius aut mercator vel suus Voitman erit pignus Nuorembergense. Nullus Nuoremberngensis sit alicujus hominis Gaphant de jure nec unus mercator pro alio. Item quicquid aliquis Norembergensis delinquit pro quo delicto puniendus esset in persona aut in rebus, si satisfecerit sculteto nostro, nulli amplius respondere debet de hoc delicto

et gratiam nostram percipiet. Ad hec civibus loci sepedicti talis gratia pro jure ab omnibus predecessoribus nostris inclitis Romanorum regibus tradita et indulta dinoscitur, quam nos quoque approbamus, ut si dominus imperii ab ipsis steuram exiget, non particulatim, sed in communi quilibet pro posse suo persolvere debeat. Item in nundinis Werde civis Nuorembergensis cum denariis Nuorembergensibus de jure cambiet et emet aurum et argentum, et nemo prohibebit. Similiter in nundinis Nordelingen cum denariis Nuorembergensibus ement et cambient aurum et argentum, et magister Nurembergensis monete illuc ibit si voluerit et denarios sue monete ibi formabit. Nullus Nuorembergensis in celebratione curie regalis ibidem de aliquibus rebus suis solvet theloneum. In Ascha Nurembergenses non magis solvent thelonei de rebus suis quam nauta de navi sua. De Ratispona usque Pattaviam nullum solvent theloneum. In civitate Wormatiensi in festo Sancti Johannis Baptiste si unus Nuorembergensis [fuerit], dabit ibidem libram unam piperis et duas cirothecas. Anno illo nichil aliud solvent vel amplius Nuorembergenses. In civitate Spirensi nichil solvunt Nuorembergenses. Et e converso Spirenses nichil solvunt apud Nuoremberch. Ut igitur hec nostre renovationis largitas et confirmationis sanctio perpetuum recipiat vigorem atque in posterum inviolabiter (inviolabiliter) observetur, hoc scriptum inde fieri jussimus sigillo regie majestatis communitum; sanctientes et sub interminatione gratie nostre districtius nec non sub periculo rerum et personarum precipientes ne ulla omnino persona humilis vel alta, secularis sive ecclesiastica, ullo unquam tempore ei contradicere presumat vel aliquo ausu temeritatis contravenire.

Testes Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, Otto Frisingensis episcopus, Hartwicus Eistetensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, . . . Aquensis prepositus, Lodwicus comes palatinus Reni et dux Bawarie, Liupoldus dux Austrie et Stirie, Bernhardus dux Karinthie, comes Egno junior de Urach, Hainricus nobilis de Niffe, comes Chuonradus burcravius de Nuoremberch, . . . marchio de Baden, Anselmus de Justingen marescalcus imperii, Ph[ilippus] de Bonlandia, et alii plures.

Signum domini Friderici (*Monogramma*) Romanorum regis et semper augusti et gloriosi regis Sicilie, in perpetuum.

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi sancte Moguntine sedis archiepiscopi ac totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Actum anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo XVIIII°, regnante piissimo domino nostro Friderico secundo divina favente clementia Romanorum rege, semper augusto et glorioso rege Sicilie, anno Romani regni ipsius septimo, Sicilie vero XXII°, feliciter.

Datum apud Nuoremberch, anno suprascripto, VI° idus novembris, septime indictionis (1).

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Waltsassensi prata quaedam cum agris ab Henrico de Kinsperg ejusque fratribus pro L marcis per memoratam ecclesiam redempta et sibi resignata, offert et defendenda recipit. Apud Egram, 18 novembris.

(Edit. ap. *Monum. Boica,* t. XXXI, pars 1ª, p. 497, ex libro copiali antiquiss. Memoratum autem a Bruschio, *Monasteriologia,* p. 249.)

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. Universitati vestre duximus significandum quod cum dilecti in Domino fratres ecclesie Waltsassensis piscinam apud Tursenruth facientes prata quedam cum agris suis aquis operuissent, Henrico de Kinsperg ejusdemque fratribus attinentia (*a*); idem Henricus et fratres ipsius, acceptis L marcis ab ecclesia memorata, prata et agros in manus nostras resignaverunt eosdem, quos

(*a*) In impresso *attinentes,* male.

---

(1) Notae chronologicae inter se conveniunt, excepta tantum indictione quae octava ut Cesarea vel Graeca esse deberet.

nos statim divine retributionis intuitu ecclesie predicte obtulimus ac semper defendenda recepimus.

Hujus rei testes sunt Albertus de Than, Ramungus de Swaba, Marquardus de Wagov, Wernherus de Bergin, Arnoldus Angin, Poppo de Milozt.

Datum apud Egram, XIIII kalendas decembris, anno dominice incarnationis MCCXVIIII (1).

Apud Egram, 20 novembris.

Fridericus, Romanorum rex, sententiam in querela monasterii Waltsassen contra Cunradum de Wourz ejusque cognatos latam promulgat, ne homines ejusdem monasterii duello vel testibus impetantur vel alieno stare judicio compellantur.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars 1ª, p. 490, e codice diplom. Walts., seculi XIII finientis.— Memoratum quoque a BRUSCHIO, *Monasteriolog.*, p. 248.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre duximus significandum quod dilecti nobis H. abbas et conventus de Waltsassen suas proponendo necessitates a nepotibus illorum qui sua ipsis olim praedia in elemosinam obtulerunt vel accepto pretio vendiderunt, se injuste pro indebito censu gravari conquesti sunt. Unde nobis apud Egram judicio presidentibus, iisdem de quodam Conrado de Wourz ejusque cognatis conquestis, virorum presidentium data sententia et nostra auctoritate confirmata, judicatum est pro tali querela conscientiam abbatis, prioris et cellerarii debere coram

---

(1) Indictio non est expressa. Ex praecedentibus diplomatibus constat Fridericum secundum primis novembris diebus Norimbergae versatum esse; nil tamen obstat quin 18 ejusdem mensis Egrae degerit et postea exeunte novembri fuerit Norimbergae reversus; ut ex sequentibus documentis patet.

nostro judicio conveniri, et quicquid illi profiterentur sine omni contradictione oportere ratum haberi. Ibidem etiam sententiatum est ne homines ipsorum contra libertates a predecessoribus nostris eis indultas duello vel testibus ab aliquo impetantur vel alieno stare judicio compellantur. Si quis vero causam erga homines ipsorum habuerit, coram abbate et cellerario vel ipsorum officialibus judicium et justitiam exigat de eisdem. Tantam enim constat esse malitiam hominum ut si contra possessiones et homines ecclesie testibus, duello vel alieno judicio agere permitterentur, nulla unquam pax pauperibus Christi, nullus disceptandi finis concederetur. Ut autem semel data sententia semper pro ipsis faciat, presentem eis paginam sigilli nostri impressione muniri et multorum qui aderant quedam nomina jussimus adnotari.

Hujus rei testes sunt : Otto dux de Meran, Gebhardus lantgravius, Albertus de Drouze, Waltherus de Lobinhusen, Anselmus marscalcus de Justingen, Sifridus de Haginaw, Heinricus de Strazburg, et quidam alii ministeriales de Egra, de Nurimberch et de Aldenburc.

Datum apud Egram, XII kalendas decembris (1).

Die XXII novembris hujus anni, Guido prior Camaldulensis legi fecit privilegium Henrici VI Romanorum imperatoris, qui eremo Camaldulensi Broilum cum suis pertinentiis concesserat, et rescriptum Friderici regis quo mandabat Guelfo, civi Arretino, ut ipsos Camaldulenses in possessionem mitteret ejusdem loci (2); 22 novembris.

---

(1) Annus et indictio desunt, et licet in *Monum. Boic.*, annus 1215 indicetur, non dubitandum videtur quin ad ann. 1219, sicut et praecedens, referendum sit instrumentum. Notandum insuper multos testes hujus et prioris inter testes duorum privilegiorum quae sequuntur numerari posse : scilicet Otto dux Meraniae, Gebehardus lantgravius [de Luckinberg], Anselmus marscalcus de Justingen, Ramungus de Swabach.

(2) Mandatum tam praecise sub his verbis indicatum frustra in archivis Tusciae requisivimus.

quam ea ipsa die pacifice introierunt, exequente mandatum regium eodem Guelfo. MITTARELLI et COSTADONI, *Annal. Camald.*, ad ann. 1219, t. IV, p. 257-258.

Apud Nuremberg, 25 novembris.

Fridericus, Romanorum rex, Conrado Ratisponensi episcopo civitatem Ratisponam cum omni jure restituit, quod Ratisponenses episcopi hactenus in ea ab imperio habuerunt; fontes quoque salinarum et fodinas cujuscumque generis metallorum ecclesiae Ratisponensi et episcopo confert, inventas aut inveniendas in fundis ejusdem ecclesiae aut haereditarii patrimonii ipsius episcopi.

(Editum ap. RIED, *Cod. diplomat. Ratisb.*, t. I, p. 323, num. 340. — GEMEINER, *Regensb. chronik*, t. I, p. 309, extract. — *Monum. Boica*, tom. XXX, p. 86-87, num. DCXLIV; ex originali unde sigillum illaesum et bene expressum appendet ex filis sericis rubri coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sycilie in perpetuum. Licet dilecti fideles nostri principes fidelitate obligati sint majestati nostre regie, decens tamen et honestum fore reputamus ut specialibus eos exhibitionibus et benefactis excitemus ad diligendum nos sincerius. Nam lentescere solet affectus quem non fovet familiaritas et non firmat beneficium aut benevolentia singularis. Pensantes ergo ardua obsequia que Ratisponensis ecclesia progenitoribus nostris et nobis impendit fideliter, recompensanda ea duximus sue devotioni beneficio speciali. Sane omne jus quod episcopus Ratisponensis quiscumque hactenus in civitate Ratisponensi ab imperio habere consuevit, et honestas consuetudines quas cives ejusdem civitatis eventu qualicumque ad nostram potestatem retorserant, dilecto consanguineo nostro Chuonrado Ratisponensi episcopo recognovimus et plene restituimus; volentes eandem civitatem universaliter sub antiquo jure ipsum respicere imperio conservandam. Fontes quoque

salinarum et cathmias sive materias auri, argenti, plumbi, cupri, sive aliorum metallorum cujuscumque generis, in possessionibus ecclesie Ratisponensis, vel in fundis quocumque jure dominatus aut patronatus ad eandem ecclesiam Ratisponensem pertinentibus inventas et inveniendas, ipsi ecclesie Ratisponensi perpetualiter contulimus; inventas autem et inveniendas in fundis hereditarii patrimonii ipsius episcopi Chuonradi, sibi specialiter contulimus jure feodi, et eas, ut predistinctum est, utriusque tam ecclesie videlicet quam ipsius episcopi usibus presenti scripto nostre majestatis inviolabiliter confirmavimus, sicut et firmum volumus permanere. Propter majorem autem firmitatem, nomina testium qui huic nostro facto interfuerunt duximus esse subnotanda.

Testes autem hii sunt : Otto dux Meranie, comes Guncelinus de Krozuk, Anshelmus marscalcus, Eberhardus de Sluzzelberch, Ratoldus de Perg, Liupoldus et Hildeboldus fratres de Grindelah, Hawardus de Outingen, Goezwinus Ante portam, Chuonradus de Schrotshoven, Heinricus de Eberspiunde, Ruodigerus Thelonearius, Liupoldus Prager, Baldewinus Ante urbem, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi, et regis Sycilie. (*Monogramma.*)

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XVIIII, indictione VIII, regnante domino Friderico secundo Romanorum et Sycilie rege glorioso, anno regni ejus in Germania VII, Sycilie vero XXII.

Datum apud Nurenberch, septimo kalendas decembris, indictione prescripta.

Fridericus, Romanorum rex, Lodowico duci Bawarie, palatino comiti Reni, ejusque haeredibus omne genus metalli, quod in

Apud Nuremberg, 26 novembris.

terris patrimonii et feudi ipsius repertum fuerit, in rectum feudum concedit.

(Editum ap. Tolner, *Cod. diplom. Palatin.*, p. 67. — Freher, *Origin. Palat.*, part. II, p. 81, c. 17. — Gebwold, *Epist. mon. ad Freher.*, ex arch. Bav., n. 6. — Goldast., *Constit. imperial.*, tom. I, p. 298. — Lünig, *Reichsarchiv*, t. VIII, p. 128. — Scheid, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 653. — Aettenkhofer, *Gesch. der Herz. von Bayrn*, p. 159, num. 2. — *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 88-89, num. DCXLV, ex originali, cujus sigillum periit, superstite duplici funiculo serico purpurei coloris.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Dignum est et consentaneum rationi ut hii qui ad exaltationem nostram votis fidelibus et servitiis preclaris aspirant, a munificentia nostra ampliora beneficia consequantur. Hac itaque consideratione inducti, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris notum facimus, quod nos attendentes sinceram fidem et devotionem nec non et obsequia que dilectus consanguineus noster Lodowicus dux Bawarie, palatinus comes Reni, majestati nostre frequenter exhibuit et inantea poterit exhibere, ex certa scientia et de mera liberalitate nostra, donavimus sibi et heredibus suis et in rectum feudum concessimus omne genus metalli tam in auro et argento, quam in aliis, quod in terris patrimonii et feudi sui fuerit repertum, cum omni jure et utilitate exinde proveniente, et quam nos et imperium percipere deberemus. Statuimus igitur et auctoritate regia districte precipimus ut nulla umquam persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hanc nostram concessionem venire presumat. Quod qui presumpserit offensam nostram et gravem indignationem incurret, et pro pena temeritatis sue centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ad hujus autem nostre donationis et concessionis memoriam, presens privilegium inde scribi et sigillo magnificentie nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Conradus Ratisponensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Otto dux Meranie palatinus comes Burgundie, comes Conradus de Mosburc, Gevehardus langravius de Luckinberc, Diepuldus

frater ejus, Anselmus marscalcus de Justingen, Ramungus de Swabahc, Albertus Lupus, Albertus Rindismul, et alii quamplures.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Syfredi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, indictione octava, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno regni ejus in Germania septimo, et in Sicilia vicesimo secundo, feliciter. Amen.

Datum apud Nuoremberc, sexto kalendas decembris, indictione prescripta.

Fridericus, Romanorum rex, ad preces Gualterii Pennensis episcopi, privilegium ab imperatore Henrico sexto patre suo Pennensi ecclesiae indultum renovat et confirmat. Apud Nuremberg, novembri.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra,* t. I, p. 1131 et 1133. Ex originali bullam auream quae a solita figura non abhorret descripsit Lucentius, *ibid.*, p. 1132.)

Federicus II, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera que pro salute nostra expendimus, ea nobis magis prodesse cognoscimus que locis divinis et venerabilibus misericorditer elargimur. Eapropter notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod Gualterius venerabilis Pennensis episcopus, dilectus fidelis noster, ad presentiam nostre majestatis accedens, nobis humiliter supplicavit ut privilegium Pennensis ecclesie, olim a domino imperatore felicis memorie patre nostro concessum, confirmare de nostre celsitudinis gratia dignaremur. Cujus itaque privilegii tenorem fore prospeximus qualiter ipse dominus imperator dive recordationis omnia privilegia eidem Pennensi ecclesie ab imperatoribus Romanorum Carolo, Ludovico, Ottone et aliis imperatoribus necnon et regibus Sicilie Rogerio

et Willielmo indulta confirmavit : civitatem videlicet Pennensem cum omnibus suis possessionibus cum Sancto Joanne de Cypresso, Cese, Octo (*a*), villa de Paternella (*b*), casale quod situm est inter predictam civitatem et collem de Mercato, Metze (*c*), castellum de Colle alto, ecclesiam Sancte Marie de Piziano, ecclesiam Sancti Petri de Laureto cum ecclesiis et possessionibus ejus, ecclesiam Sancti Serotini, ecclesiam Sancti Paterniani, ecclesiam Sancte Barbare, ecclesiam Sancti Angeli, ecclesiam Sancti Andree, ecclesiam Sancti Antimi de civitate Sancti Angeli, ecclesiam Sancte Marie de Moscufo, ecclesiam Sancte Marie de Planella, Sanctum Petrum de Asmarico, Sanctum Laurentium de Fabrica, Sanctam Mariam de Civitaquana, Sanctam Mariam de Cateniano (*d*), Sanctam Mariam de Bivio (*e*), Sanctam Mariam de Ulmeto, Sanctam Mariam de Adro (*f*), Sanctam Mariam de Trivio (*g*), Sanctum Clementem de Balbiano, Sanctum Petrum ad Pennensem, Sanctam Mariam de Robilia (*h*), Sanctum Georgium ad Ornanum, Sanctam Rufinam de Aquilano, Sanctum Angelum de Pletro (*i*) cum earum justis possessionibus, et quidquid liberalitate principum, concessione pontificum, oblatione fidelium, seu quolibet alio modo juste (*j*) et rationabiliter potuerit adipisci. In ipso etiam privilegio videmus contineri qualiter ipse dominus imperator eidem ecclesie concesserit et confirmaverit duo castella, Colle altum videlicet et Pluvianum (*k*), ut dominus (*l*) de ipsis castellis predictis et omnes eorum homines perpetuo civitatem Pennensem inhabitent et Pen-

(*a*) In priore exemplari *Oteto.*
(*b*) Ibidem *Posternella.*
(*c*) Ibidem *Mele.*
(*d*) Ibidem *Cuseniano.*
(*e*) Ibidem *Bitejo.*
(*f*) Ibidem *Atrio.*
(*g*) Ibidem *Furno,* male.
(*h*) Ibidem *Tubila.*
(*i*) Ibidem *Puteo,* rectius. De his variantibus, cf. infra ad mensem junium 1221.
(*j*) In priore exemplari abundat vox *emanavisse.*
(*k*) In priore *Pulianum.*
(*l*) Sic; verisimiliter tamen *domini.*

nensi episcopo ligium hominium et fidelitatem exhibeant et respondeant eidem, sicuti alii homines qui eamdem civitatem inhabitant, salvis debitis rusticorum que ipsis dominis debentur (*a*). Insuper in ipso privilegio continebatur ut Pennensis ecclesia cum omnibus possessionibus suis ad nullum alium nisi ad ipsum dominum imperatorem et successores ipsius et heredes teneatur habere respectum. Nos igitur supradicti episcopi supplicationem benignius admittentes, tam ipsius domini imperatoris patris nostri felicis memorie quam supradictorum imperatorum et regum privilegia munimine regio pro nostre salutis remedio confirmamus; statuentes firmiter et regia precipientes auctoritate ut nullus sit qui eamdem ecclesiam Pennensem contra privilegia nominata impedire aut molestare presumat. Ad hujus autem nostre confirmationis memoriam, presens privilegium inde fieri fecimus, bulla aurea nostre celsitudinis roboratum, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Nuremberg, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, mense novembris (1), indictione VIII, regnante domino nostro Frederico, Dei gratia II Romanorum rege invictissimo et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania VII, in Sicilia XXII, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Sancti Johannis de Steingaden praedium Chinderiet confert et donat, quod sibi Heinricus de Ebenhofen transmisit et donavit. Apud Augustam, 29 decembris.

(*a*) Totius hujus loci ordo cum privilegio de anno 1221 non optime concordat.

(1) In priore copia legitur 1209, *X mensis novembris,* in altera 1220, 19 *mensis novembris,* ambo male. Priorem vero magis se veritati accommodare arbitramur, dum numerum anni litteris sane explanatum scriptor ita legerit ut verbum *decimo* in notationem diei mensis erronee converterit.

(Editum ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 90, n° DCXLVI, ex originali cujus sigillum cum segmento ut videtur membranaceo periit.)

F., Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum ex debito regie majestatis omnia que ad honorem et commodum ecclesiarum Dei scimus esse profutura, promovere teneamur, ea sincero affectu per omnia prosequi cupientes, ubicumque ad nostram devenerint presentiam ad effectum perducere volumus et de futuro cautelam adhibere nostre protectionis. Hinc est quod omnibus presens scriptum respicientibus notum esse cupimus quod Heinricus de Ebenhoven predium suum in Chinderiet cum omnibus pertinentiis suis per manum fidelis nostri de Tannenberc Berhtoldi transmisit ad nos et nobis donavit, omne jus et proprietatem quod in eo habebat nobis penitus resignando, rogans ut nos eamdem proprietatem et donationem ecclesie Sancti Johannis in Stangadem (Steingaden) conferremus. Nos quoque juxta peticionem suam jam dictum predium contulimus et donavimus ecclesie antedicte cum omni jure ad ipsum pertinente. Ut autem in posterum [a] predicti viri successoribus aut aliquo aliorum sepedicta ecclesia gravamen subire in ipso predio non timeatur, sigilli nostri munimine idem donum propensius confirmavimus, appositis testibus talem donationem nobis datam et a nobis ecclesie prenominate inspicientibus in nostri presentia.

Hii testes sunt : Otto Frisingensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Bertoldus de Nifen, Heinricus de Nifen, Berhtoldus de Tannenberc, Eberhardus dapifer de Tanne, Engelscalcus et Hermannus de Hageneberc, et alii quamplures.

Datum apud Augustam (1), anno dominice incarnationis millesimo CC. XX (2), IIII kalendas januarii, indictionis VIII.

---

(1) De curia apud Augustam circa Natale domini celebrata, vide infra litteras Friderici ad papam, 19 febr. 1220.

(2) Imperialem scribam in hoc instrumento anno nativitatis in 25 decemb. incipiente, minime vero anno incarnationis usum fuisse facile patet, tam ex indictione Cesarea quam ex itineris ordine et primi testis nomine. Qui quidem Otto episcopus Frisingensis vita excesserat 17 maii 1220.

Fridericus, Romanorum rex, notum facit Albertum Tridentinum electum per sententiam principum obtinuisse quod nullus pro violenta mulieris oppressione bonis suis abjudicatus, sine voluntate feodotarii aliquid de feodo ordinare possit, et qui proscripto adjutorium dederit, eamdem poenam in persona et rebus pati debeat. Augustae, 31 decembris.

(Edit. ap. B. de Hormayr, *Tirol. Gesch.*, t. I, pars II, p. 208. — *Beitrag. zur Gesch. Tirols*, t. II, p. 246. — Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 234, e transumpto ann. 1220, ind. VIII, die mercurii 10 exeunte januario, Tridenti confecto et a Chmelio ex archivo Vindobon. communicato.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis fidelibus suis hanc paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Dilectus princeps et fidelis noster A. Tridentinus electus, nuper apud Augustam in presentia nostra constitutus, per sententiam principum et aliorum fidelium nostrorum obtinuit quod cuicumque pro violenta alicujus mulieris oppressione bona sua in judicio fuerint abjudicata, idem de cetero sine plena (*a*) voluntate feodatarii nichil de feodo suo possit aut debeat facere vel ordinare. Item quesivit et obtinuit quod quicumque aliquem proscriptum vel bannitum, postquam a suo judice fuerit denuntiatus et interdictus, receperit, et consilium vel adjutorium dederit, eamdem penam in persona, domo ac rebus aliis pati debet et subire, que ipsi proscripto seu bannito de jure debetur.

Datum Auguste, pridie [kalendas] januarii, indictione VIII.

Henricus Suevorum dux, (Friderici Romanorum regis filius), Augustae, 28 decembris.

(*a*) In impressis *manu;* sensus vero requirit *plena* vel *mera*.

Dietonem abbatem de Füssen et conventum ejus sub speciali sua protectione recipit, eique confirmat possessiones ibidem expressas, salvo servitio quod sibi et suis haeredibus erit exhibendum.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXXIV, p. 99, sed germanico sermone translatum et insertum in privilegio pariter germanice scripto Liupoldi Austriae ducis, de ann. 1396.)

In dem namen Vatters, Suns und des Hailigen Gaistes. Wir Hainrich von Gotes gnaden hertzog zu Swaben bekennen als oft wir zu solichen Gotzhausern und gaistlicher ordnung die zu Gotesdienst und vebung geordnet ist und ouch die darzu furdern, daz wir denn unser sel ainen segen sagen und ouch mit dem segen finden daz ewig leben. Und darumb tuen wir kunt allen geloebigen Kristan leuten daz wir unsern getrewen und erwirdigen apt Dieten zu Fuessen, von seiner diemuetigen bett wegen und ouch von seiner convent brüder gaistlicher ordnung wegen, in unser gnad und besundern schirm durch unser sel hails willen genomen haben, als ouch unser vatter Fridreich der ander erwirdig Romische kunig, alle zeite ain merer des reichs, als ouch in seinem brif den er dem Gotzhaus daruber geben hat (1) offenlichen erzelt ist; und von dem gewalt und willen desselben unsers vatters, vestnen wir daz vorgenante gotzhaus mit allen seinen leuten und guten, ligenden und varenden, mit unser besunder warnung unsers schirms. Westnen und widergeben wir von unser sel hails, willen als ouch unser vatter, dem vorgenanten Gotzhaus dem apt und desselben gotzhaus convent brüdern eweclich ze besitzen und ze behaben die gegen und daz ertrich ze Aschow mit aller fryhait und mit allen nutzen und rechten die dazu gehörent, von dem hof Musov bis in den Hornbach, als lang, als weit und als brait das begriffen hat, daz sy mit vollem gewalt von unser fryhait und gnaden in derselben gebiet, als weit das begriffen hat uberal uf den ebnin und uf den bergen wol buwen und tun mugen was sy dunket daz in und irem Gotzhaus nutz und gut sey; also daz sich nieman ander in der gegen kains rechten

(1) Vid. supra, p. 555, privilegium dat. 10 septemb. 1218.

noch dienst underziehe, denn allain der apt des vorgenanten Gotzhausz, usgenomen der dienst die wir und unser erben daselben haben sullen, als hertzog Welf, hertzog Chunrat zu Swaben, kunig Philippus, unsern vordern seligen, gewonlich da gehebt haben. Und daruber von rechter und gewisser erkantnusse geben wir ouch wider dem vorgenanten Gotzhaus dem apt und denselben convent brüdern zu Fuessen die gegen ze Eisenried, die gegen ze Aitrang, die gegen ze Sachssenried, die gegen ze Hochenfurth, die gegen ze Reichlingen ouch mit allem dem daz darzu und darin gehoeret, doch ouch usgenomen der dienst die uns und unsern erben davon gehoeren sullent. Und daraumb setzen wir mit disem brief und gebieten auch vesteclichen daz niemand anderwie der genant oder gehaissen wer (wie) daz vorgenante Gotzhaus an seinen vorgenanten gutern und andern seinen guten klainen noch grossen nicht irr noch laidige noch dehainerlay schaden tu. Wan wer das tett, der wisse daz er uns damit grosslich erzürnte, und ouch unser ungenad darumb habe.

Geben ze Augspurg, nach Christs geburd tausent zwai hundert zwaintzig iare, des fünften kalendas januarii.

Latinam restitutionem addimus:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nos Heinricus Dei gratia dux Suevorum recognoscimus quoties domibus Dei et religioso ordini qui servitio Dei et divino cultui mancipatur et personis ibidem existentibus subvenimus, quod nos pro nostra anima benedicimus et cum hac benedictione nobis vitam eternam preparamus. Unde notum facimus omnibus devotis Christi fidelibus quod nos fidelem nostrum et venerabilem abbatem Dietonem Faucensem, ad instantem suam supplicationem et propter religiosam fratrum ejus conventus conversationem in nostram gratiam et specialem tuitionem pro anime nostre remedio susceptum habere volumus, ad imitationem patris nostri Friderici secundi reverendi Romanorum regis, semper augusti, sicut in ejus privilegio quod eidem monasterio super hoc concessit manifeste continetur; atque de auctoritate et voluntate ejusdem patris nostri recepimus prenominatum claustrum cum omnibus suis hominibus et bonis presentibus et futuris sub speciali nostre protectionis presidio. Confirmamus et restituimus pro remedio anime nostre de voluntate patris nostri prenominati monasterii abbati et ejusdem monasterii conventus fratribus in perpetuum possidendam et habendam curtem et provinciam in Aschowe cum omni libertate, et cum omnibus uti-

litatibus et juribus ibidem pertinentibus a curia Musowe usque in Hornbach, juxta quod tam in longum quam in latum terminis continetur, ut cum plena auctoritate nostre libertatis et gratie potestatem habeant, sicut termini ibidem extenduntur, tam in planitiis quam in montibus excolendi et faciendi quidquid pro sua et sui monasterii utilitate et bono duxerint faciendum; ita quod nullus alius in ipsa provincia quicquam juris vel servitii sibi vendicet, nisi prefati loci abbas, salvo servitio quod nos et heredes nostri ibidem habere debemus, sicut dux Welfo, Chunradus dux Suevorum, rex Philippus, predecessores nostri bone memorie, habere consueverunt. Insuper ex recta et certa scientia restituimus quoque prenominati loci abbati et ejusdem conventus fratribus Faucensibus curtem in Eisenried, curtem in Aitrang, curtem in Sachssenried, curtem in Hochenfurth, curtem in Reichlingen cum omnibus earum appenditiis, salvo quoque servitio quod nobis et nostris heredibus exinde erit exhibendum. Statuimus igitur hoc edicto et districte precipimus ut nulla omnino persona dictum vel prenominatum [abbatem] necnon et predictum monasterium in suis antedictis bonis et aliis suis prediis parvis vel magnis molestare neque damnum eis irrogare presumat. Quod qui fecerit, sciat se gravem iracundiam nostram nostramque offensam incursurum.

Datum Auguste, anno Christi nativitatis millesimo ducentesimo vicesimo, quinto kalendas januarii.

Apud Augustam, decembri.

Andreas Lupinus, regis Friderici vallettus, Richero episcopo Melfiensi ejusdem regis familiari donat tenimentum Lampidiati fluvii, sibi a regia majestate concessum.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacra,* t. IX, p. 275. Exhibemus tantummodo chronologicas notas cum testium nominibus tunc in Germania apud regem commorantium, dum reliqua parum ad materiam nostram attineant.)

. . . . . . Scriptum per manus Johannis Tirjecto (de Trajecto) regii notarii. . . . . .

Actum est hoc apud Augustam, anno dominice incarnationis M. CC. XX (1), mense decembri, indictione VIII.

---

(1) Notandum quod in hoc instrumento notarius, licet de regno Siciliae sit oriundus, anno incarnationis pro anno nativitatis indifferenter utitur.

Ego Andreas Lupinus, domini regis vallettus, supradicta confirmo.

Ego Riccardus sale regie camerarius subscripsi, etc.

Ego Philippus de Matera Sicilie scrinarius (1), testis sum.

Ego Jacobus Calager (de Calatagirone), domini regis notarius, me subscripsi.

† Signum crucis proprie manus Jacobi Francisci.

Ego Benedictus de Anglone, domini regis vallettus, testis sum.

ANNO 1220. — INDICTIONE 8.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiae Ottenburensi libertatem ab antiquis regibus et imperatoribus illi collatam confirmans, privilegium a Friderico I, avo suo, anno 1171, 7 maii concessum, renovat ac inserit; advocatiam vero Ottenburensis ecclesiae, per Conradum abbatem sibi in feudo traditam, filio suo Heinrico, duci Suevorum et rectori Burgundiae concedit, indulgetque ut ministerialibus liceat feuda, ad imperium seu ducatum spectantia, dare ecclesiae praedictae. Apud Weingarten, 4 januarii.

(Editum ap. *Tausendjährigen Ottobeyren*, p. 87 et 88. — FEYERABEND, *Ottobeuerns Jahrbüchern*, t. II, p. 834, num. 9.— *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 91-93, nº DCXLVII, ex originali, cujus sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis viridis, rubri et albi coloris; quorum tamen pars maxima disrupta est.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper au-

---

(1) Forsitan magister scrinii, primus ut videtur sub cancellario minister.

gustus, et rex Sicilie. Si loca religiosa et ea que divinis sunt cultibus deputata, regum seu imperatorum felicium predecessorum nostrorum donis ditata sunt et privilegiis roborata, dignum judicamus et honestum dona ipsa et privilegia in perpetuum confirmare. Notum itaque fore volumus omnibus imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos Outtenburnensis ecclesie libertatem, ab antiquis regibus et imperatoribus sibi collatam, nequaquam infringere aut diminuere, sed cohroborare et ampliare potius cupientes, scriptum predecessorum nostrorum Lotharii et domini Friderici avi nostri (1) imperatorum felicis memorie, propter veritatis evidentiam, placuit nobis in presenti pagina interserere, ut deinde nostre traditionis et filii nostri Henrici Suevorum ducis et rectoris Burgundie possimus edicta, ordinatione apponere competenti. Est autem hujus modi scriptum imperatoris Lotharii (2).

« Privilegia venerande ac sancte congregationis Outtenburnensis cenobii a domno antecessore nostro Karolo Romane magno sedis advocato nec non per Ottonem imperatorem ejusdem successorem cum regionis Suevorum beato videlicet Oudalrico Augustensis ecclesie simulque sancto Constantiensis ecclesie Counrado presulibus et duce Burchardo ceterorumque principum (*sic*) ejusdem provincie confirmata, quoniam divina gratia sublimati successores predictorum extitimus imperatorum, omnimodo in antiqua dignitatis libertate stabilire, stabilita corroborare, corroborata sigillare decrevimus. Statuimus itaque secundum ab antecessoribus nostris ejusdem prefate ordinata et confirmata abbatie privilegia, defuncto quolibet abbate fratres inter se liberam ac canonicam

---

(1) Notandum primam privilegii partem a Friderico primo indulti hic desiderari. At nihil novi animadvertendum, quum, excepto exordio, totum reliquum locum a verbo *Notum* usque ad *imperatoris Lotharii* presens instrumentum pene omnino referat, salvis verbis competenter mutatis. Privilegium Friderici primi integrum exhibetur ap. *Monum. Boic.*, t. XXIX, p. 399-401, ex originali, unde exscripsimus.

(2) Lotharium tertium esse cujus diploma confirmatorium hic inseritur, licet redactionis forma vetustior videatur, patet ex mentione abbatis Ottenburensis Ruperti, qui praefuit ab anno 1102 usque ad 1145. Cujus quidem diplomatis ad ann. 1135 vel 1136 referendi nullibi extat aut originale aut copia authentica. Vid. *Monum. Boica,* t. XXIX, p. 403, not. *b* et *c*.

electionem sine cujusquam contradictione secundum sancti et eximii patris Benedicti regulam habeant, quem meliorem et utiliorem sibi invenerint. Sin autem, quemcumque divina gratia ad hanc ordinaverit dignitatem ubicumque reperiatur, abbas ejusdem claustri constituatur, constitutus nobis ceterisque successoribus nostris representetur, representatus per regalia sublimetur confirmatus. Quisquis autem abbas inibi constituatur, ab omni liber regio negotio Deo liberius quatenus deserviat expediatur, nichil ut ab eo duos preter unius coloris canes exigatur, idque religiose congregationis cenobio in testimonium libertatis aeternaliter relinquatur; eo tamen tenore ut predia cum mancipiis deliberatione communis consilii pro libertate prefata ab eadem abstracta regia potestate cunctis in beneficium ducibus Alamannie concedantur, quorum nomina sunt hec : oppidum Ovmundingen, Trunchensperch, Hovsen, Dietricheshoven, Wienhusen, Wale cum decimis in Hilargewe, advocatia ecclesie in Stainhaim, advocatia ecclesie in Kirctorf. Decime autem prefatorum prediorum a curtis villicorum in domum elemosinarum pauperes ad reficiendos secundum antiqua statuta ad nos delata eodem tradantur. Precipiendo vero precipimus ne quis ejusdem abbatie advocatus quasi hereditario jure inibi constituatur, sed quilibet voluntate abbatis fratrumque suorum pro defensione ejusdem monasterii eligatur. Commissa vero advocatia, pro regio jure nobis ceterisque successoribus nostris facta jurisjurandi fidelitate, similiter juret abbati quod secundum posse et nosse justus ac utilis advocatus in res et homines predicti monasterii existat, et quicquid placitando acquisierit, una parte sibi retenta, duas persolvat abbati et nullum preter se advocatum vel exactorem constituat nec aliquid privati vel publici muneris vel a loco vel ab homine ejusdem monasterii quasi ex debito vel ex statuto jure exigat amplius. Ad unumquemque locum quem abbas ad placitandum ordinaverit cum XII viris totidemque equis semel tantum in anno veniat, nisi pro necessitate aliqua ab abbate ejus vel ministris sepius advocetur, ac tunc honeste procuretur. Item infra locum vero monasterii vel alia eodem pertinentia loca nullum unquam legitimum placitum instituat omnino interdicimus, nec aliquos de familia ejusdem cenobii sive ministeriales sive servos sine justa

deliberatione suorum consociorum damnet vel aliqua injuria offendat. Qui tamen ministeriales optimo quo fruuntur Fuldenses et Augenses jure potiantur, et ut in omnibus abbati promptiores existant et fideliores, ab omni eos regie servitutis debito absolutos esse volumus. Si autem in aliquo istorum deviaverit, nisi infra XL dies resipuerit, gratia nostra successorumque nostrorum sine spe recuperationis privatus deponatur. Et ne forte aliquis advocatus aut tirannus eo licentius sibi usurpet aut vendicet aliquid ex his que sunt abbatis et fratrum ejus, quasi nostri juris non sit, noverint omnes fideles nostri quemadmodum domnus Karolus imperator primitus magis pro defensione quam servitutis utilitate suscepit, ita et nos strenuissimos rectores et defensores esse sciat. Preterea firmissime statuimus ne quis abbatum de prediis sive de reditibus ecclesie que in presentiarum possidere cernitur seu in futurum possidenda acquisierit, aliquam inbeneficiare presumat personam, sed omnia integre ad usus fratrum conserventur et inconvulsa. Hoc si quis quod absit ad sui ipsius perditionem temerare presumpserit, dignitate sibi collata careat et alius dignus abbas pro eo eligatur, qui hec inviolabiliter conservet. Abbas et monachi ibidem Deo servientes a consuetudine Hirsaugensium quam hactenus habuisse videntur, declinare nullo modo presumant, sed in proposito sancti viri Roudberti abbatis divinis orationibus insistendo vigilanter persistere contendant. Ministeriales quoque ejusdem ecclesie a regali expeditione et a servitio quod vulgo dicitur Herstiure penitus absolvimus, similiter et homines (*a*).

Ut igitur tam domini imperatoris Lotharii scriptum quam nostre traditionis edictum omni evo ratum conservetur et a nulla persona seculari vel ecclesiastica valeat immutari, presentem inde paginam sigilli nostri impressione jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Hartwicus Augustensis episcopus, Couno Radisponensis episcopus, Otto et Hartmannus comites de Kirchberg, Theobaldus et Henricus comites de Lechesgemounde, Couno de Megelingen, Degenhardus de Hallenstain, Vitegov de Albegge, Diemo de Gundeluin-

(*a*) Non dubitandum quin ad haec verba privilegium Lotharii tertii seu potius ejusdem privilegii excerpta finem capiant.

gen, Arnoldus de Biberbach, Walterus dapifer, Cuonradus pincerna, Henricus marshalcus, Hartmannus camerarius, Diepoldus Gusse.

Ego Heinricus imperialis aule cancellarius, vice Christiani Moguntini archiepiscopi et archicancellarii, recognovi.

Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec dominice incarnationis anno M. C. LXX. I, indictione IIII, regnante domno Friderico Romanorum imperatore glorioso, anno regni ejus XVIIII, imperii vero XVI, feliciter. Amen. Datum apud Werdam, nonis maii.

Ut igitur tam domini imperatoris Lotharii scriptum quam domini Friderici avi nostri imperatoris memorie felicis edictum omni evo ratum conservetur et firmum, et a nulla persona seculari vel ecclesiastica valeat immutari, eorum privilegia duximus perpetuo confirmanda. Et quia insuper advocatiam prefate Outtenburnensis ecclesie, in feudo per Conradum abbatem ejusdem monasterii nobis traditam et concessam, supradicto filio nostro duci Suevorum et Burgundie rectori concessimus (1), statuimus ut advocatia ipsa nullo modo alienetur, sed eidem duci filio nostro dabitur annuatim de qualibet huoba sita in ea parte, que Geu dicitur, modius tritici, et modius siliginis, et agnus, vel decem et octo denarii, et de qualibet huoba sita in parte illa, que Tan dicitur, maltarum avene, et agnus, vel decem et octo denarii; de villa vero Outtenburnensi dabuntur annuatim sex libre in collecta. Indulsimus etiam una cum ipso filio nostro, ut liceat ministerialibus et a nobis feuda habentibus, ad imperium seu ducatum spectantia, dare ecclesie Outtenburnensi ea pro suis animabus. Item si minister ejusdem filii nostri, super ipsa ecclesia constitutus, circa ipsum monasterium aliquid nequiter egerit, ad preces abbatis debeat amoveri. Ad cujus rei perpetuam firmitatem, presens privilegium inde fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum.

---

(1) Cf. reversalem ipsius Henrici exinde paginam, scilicet super Ottenburensi advocatia, ap. Feyerabend, *Ottobeu. Jahrbuch.*, t. II, p. 834. Notae chronologicae omnino desunt.

Hujus rei testes sunt : Heinricus major Constantiensis prepositus, imperialis aule protonotarius, Conradus burgravius de Nuoremberc, Conradus de Loubon, Evirhardus dapifer de Tan, Conradus et Evirhardus de Wintersteten, Burchardus de Hohenburg, Henricus et Volricus de Shonegge, Wolfsatil, Haldewanc, Suigerus de Mindelberc, Ortolfus Constantiensis canonicus, Walterus de Egge, et alii quamplures.

Datum apud Wingarten, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, pridie nonas januarii, indictione octava, regnante domino nostro Friderico illustrissimo Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo, et in Sicilia vicesimo secundo, feliciter. Amen.

. . . . Henricus, Suevorum dux et rector Burgundiae, jura confirmat quae pater suus ecclesiae de Weingarten contulit, tam in agris quam in pratis et in decimis novalium in sylva Altdorfensi scilicet Honriet excultorum.

(Inedit. ex originali in arch. Stuttgart.; quod nobis communicavit Kauslerus, *Privilegiorum Wurtembergensium* editor egregius. Ex filis sericis rubri flavique coloris pendet sigillum equestre, cerae farina intermixtae impressum, in duo fragmina diffissum, habens in legenda reliquias : HENRICVS. . . . . . . EVIE.)

H., Dei gratia Suevorum dux et rector Burgundie. Justis postulationibus benig[n]itati nostre convenit aures inclinare et ecclesias Deo dicatas in suo jure perpetualiter conservare. Notum sit omnibus hominibus tam posteris quam presentibus quod singula jura que pater meus ecclesie Wingartensi auctoritate regia contulit, tam in agris quam in pratis et in decimis novalium que in silva Altorfgensi, scilicet Onriet, excoluntur, auctoritate nostra confirmamus; ratum habentes quicquid ab ipso circa utilitatem ejusdem ecclesie pie factum esse dinoscitur. Nos ergo indempnitati ipsius providere volentes, districte precipimus, ut nulli un-

quam hominum licitum sit hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ausu temerario contraire. Quod si quis presumpserit, pene statute in privilegio patris nostri (1) per omnia subjacebit.

Testes hujus rei sunt : Fridiricus de Boungartin, C. de Wintirstetin, prepositus de Shuzinriet, B. de Winidon, H. de Engirdiwilari, et alii quamplures (2).

Fridericus, Romanorum rex, coenobio Sancti Petri in Augia (Weissenau) quamdam partem praedii sui in Honriet juxta sylvam Altdorfensem siti, propter ejusdem coenobii in pascuis et pratis penuriam, contradit. [Weingarten, ineunte januario.]

(Inedit. ex cod. tradit. Augens. in Biblioth. Vadiana civit. S. Galli, fol. 74, inter Kausleri schedas.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Ad eterni regis premium promerendum spectare dinoscitur summeque beatitudinis gaudiis se non modicum acconciliare videtur, immo utriusque vite prosperos eventus indubitanter sibi adoptat, qui ecclesias Dei et sacra loca et personas Deo dicatas, quibus gladio materiali uti non licet nec pugnare datum est, sublimare, manutenere et clipeo fortitudinis defensare studuerit; presertim eas quas sacra religio admodum commendat et fulgidas reddit, ut ibi famulantium Deo corda in amore Christi jugiter ardescunt et ad illam celestem patriam totis viribus omnique desiderio dulciter ac vehementer anhelant. Hujus rei intuitu et omnibus vigilanti animo perspectis et consideratis, animo munificentie nostre subiit ut nos quandam partem

---

(1) Cf. supra p. 386, privilegium Friderici regis, 20 junii 1215.

(2) Notae chronologicae desunt. Non vero dubitandum quin res ad ineuntem januarium pertineat, quo tempore Henricus cum patre suo apud Weingarten morabatur.

predii nostri in Ounnriet juxta silvam Altorfiensem siti cum omni jure contraderemus cenobio Sancti Petri principis Apostolorum in Augia; fratribus et sororibus inibi degentibus in hoc providentes ut de cetero in pascuis et pratis habundent, quorum hucusque ut sepius audivimus magnam penuriam habuerunt. Ut autem hec traditio nostra rata permaneat et inconvulsa perseveret, sigilli nostri impressione jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Anshelmus de Justingen marscalcus, Eberhardus dapifer de Waltpurc, Cuonradus de Winterstetten, Dieto de Eihstegen, Bernhardus minister de Ravenspurc (1). . . . .
. . . .

[Januario-junio?]

Narratio concessionis coenobio Augensi a Friderico Romanorum rege de parte quadam sylvae Altdorfensis in Honriet factae, quam idem rex dum in Weingarten moraretur ad instantiam Ulrici praepositi Augensis donavit, et post assignationem terminorum per Bernhardum ministrum de Ravenspurg denuo litteris suis confirmavit.

(Inedit. ex cod. tradit. Augens. in Biblioth. Vadiana civit. S. Gall., fol. 208 et seq., inter Kausleri schedas.)

Teste rei memoria propagatur in posterum, cum venit auctoritas et robur firmius a testimonio litterarum. Declaretur igitur tam posteris quam modernis quod eo tempore quo illustris Romanorum rex et Sycilie Fridericus cruce signatus ad suscipiendam coronam romanam se prepararet ut inde (*a*), Deo favente, mare transfretaret, dum semel in eodem ne-

(*a*) In codice *se preparet et in*, minus recte.

---

(1) Licet notae chronologicae desiderentur, ex testium nominibus et narratione quae sequitur, facile liquet hanc concessionem apud Weingarten ineunte januario fuisse factam.

gotio promovendo apud Winegarten esset, accessit ad eum Volricus prepositus Augensis, et inter alia necessaria exponens sibi quantam penuriam ecclesia Augensis haberet in feno et in pascuis, multum supplicavit ut per ejus clementiam eorum in hoc subveniretur inopie. Fuit autem hec petitio in capella Sancti Nicolai, dum jam missa celebraretur, et interfuerunt huic petitioni Anshelmus de Justingen marscalcus, Eberhardus de Walpurc dapifer, Cuonradus de Winterstetin, Dieto de Eihstegen, Bernhardus de Ravenspurc qui tunc fuit minister regis. Hii omnes multum cum preposito regi instabant. Rex vero a predictis marescalco et dapifero et aliis qui aderant coepit querere ut si peticioni prepositi vellet acquiescere, ubi opportunitatem id faciendi possit habere. Responderunt quod in sylva Altorfgensi optime posset si vellet, in loco ubi dicitur in Honriet; ibi essent loca paludosa sibi non multum utilia, et tamen preposito et ecclesie sue ad talem necessitatem qualem ipse peteret satis idonea. Placuit enim hoc regi, et vocato ad se Bernhardo ministro, jussit eum accedere ad locum sibi denominatum, et ut preposito et fratribus suis in tantum de eadem silva assignaret quantum eis ad faciendum novalia sua et prata competenter possit sufficere. . . . . Quod ita factum est. . . . . . . Statim post discessum domini regis, Bernhardus minister, assumptis sibi custodibus ejusdem silve qui vulgo dicuntur Vorstare et aliis convicinis eorum et vocato preposito et quibusdam fratribus suis, accessit ad locum in Honriet, sicut rex preceperat, et certis metis et terminis in eadem silva eis assignatis, jussit ne ulterius procederent et fossatis partem eorum circumvallarent. Hee sunt autem mete et termini ejusdem predii : in superiore parte versus Sulpach extenditur spatium in directo a prato regis usque ad viam que ducit versus Wilare et a loco illo extenditur aliud spatium per eandem viam usque ad pratum Heinrici Hunpizen. Hec est inferior pars, per viam illam dividitur pars nostra manifeste in longitudine a silva regis. Quamvis forte non fuit necesse, tamen propter majorem cautelam, dum eodem anno iterum dominus rex venisset ad Winegarten (1), sepedictus prepo-

---

(1) Verisimiliter mense junio 1220, quo exeunte rex Fridericus circa partes Ulmae versabatur. Nulla vero alia notitia superest, unde res certior appareat.

situs petiit denuo ab ipso ut donationem quam gratia sua fecerat ecclesie sue in Honriet, literis patentibus et sigillo suo dignaretur confirmare. Obtinuit enim hoc apud regem, et date sunt sibi litere confirmationis cum sigillo domini regis, per manus Heinrici de Tanne protonotarii (*a*) et majoris ecclesie Constantiensis prepositi.

Apud Hagenowe, januario.

Fridericus, Romanorum rex, donationem omnium bonorum confirmat ab Heinrico et Friderico fratribus de Hohenloch domui Sanctae Mariae Theutonicorum factam, et privilegium Herbipolensis episcopi inserit quo bona ista nominatim exprimuntur.

(Ediderunt Hansselmann, *Dipl. bew. des haus. Hohenl.*, t. I, p. 373.— Ussermann, *Episc. Wirceb.*, p. 54. — Hammer, *Beitrage zur genealog. des hauses Hohenl.*, p. 59-60.— Stillfried, *Monum. Zoller.*, tom. I, p. 32.— Hennes, *Cod. diplom. ordin. S. Mariae Theuton.*, p. 45, n° 44.— Coll. cum duabus pergamenis originalibus, optimae fidei, quae in archivo Stuttgartensi asservantur. Utrumque sigillum nitide impressum massa cerae rubrae conflatur, unum e filis sericis viridis et violacei coloris dependens, alterum e filis violacei coloris et flavi.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Licet regi regum pro gratia quam fidelibus suis misericorditer et tam universaliter quam specialiter elargitur nec reges possint nec principes condignis servitiis respondere, tamen et vigilandum est eis et totis studiis intendendum ut in omnibus quibus possunt munificentie divini culminis obsequantur. Ea itaque consideratione inducti, religionem sacre domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum ubi assiduum prestatur clementie divine servitium attendentes, privilegium Herbipolensis episcopi qualiter Heinricus et Fridericus fratres de Hohenloch, Altissimi gratia desuper inspirante, rebus caducis et

(*a*) In codice *annotarii*, male.

secularibus vilipensis, prefate domui hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Hierusalem se reddiderunt et omnes proprietates suas eidem domui absolute et libere tradiderunt, presenti privilegio confirmamus; tenorem privilegii ejusdem episcopi huic nostro privilegio inserentes :

Otto, Dei gratia Herbipolensis episcopus. Ut ea que apud mortales geruntur negocia stabili in perpetuum vigeant firmitate, efficax et auctorabile scriptorum requiritur testimonium et munimen. Noverit igitur omnium Christi fidelium universitas ad quos presens pagina pervenerit quod dilecti nostri nobiles pueri et fratres de Hohenloch Heinricus et Fridericus, gratia Altissimi desuper inspirante, regno mundi et cunctis oblectamentis seculi contemptis, excussis ab omni munere manibus, nudi nudum Christum sequi cupientes, omnes suas proprietates domui hospitalis Beate Virginis in Hierusalem transmarine que Theutonicorum dicitur, nostro favore et plenario fratrum suorum Gotfridi et Conradi ad hoc accedente consensu, absolute et libere tradiderunt. Bona autem predictorum fratrum sunt hec : proprietas in Hagensprunen, molendinum in Elpershem, quatuor mansi et sylva in Schonbuhel, silva Camerforst apud Herewigeshusen, tercia pars nemoris in Holembach cambita ab Andrea, proprietas apud Igelstrut et Acendorff, due domus et unum pomerium apud Wicartesheim; omnis proprietas in Gayslichsheim, scilicet curia ecclesiastica, curia Ratsames, curia Hiltbrandi, curia Rutheri, domus et hortus ecclesiastice domus, et hortus Tilholzes, domus Wurzberg, domus juxta cimiterium, domus Rabenoldi; proprietas decem solidorum annuorum in Bolzhausen; proprietas septem unciarum Buttert; proprietas in Trickertsberg ad talentum annuatim; proprietas in Storkheim que Ludwig dicitur; proprietas in Bozbeldesdorf; proprietas in Rumpach; curia in Obernhoffen; item fabrica in Genlichsheim. Ut autem felix et laudabilis jamdicta ipsorum donatio omnibus in posterum temporibus inviolabilis et rata consistat, nos presentem super ea cartam conscribi et tam nostri quam aliorum presentium sigillorum appensionibus fecimus communiri. Acta sunt hec anno episcopatus nostri tercio decimo.

Ad ipsius itaque donationis et privilegii supradicti episcopi firmitatem

et robur perpetuo valiturum, presens privilegium inde fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt : Hermannus marchio de Baden, comes Sibertus de Werda, comes Heinricus filius ejus, Conradus burggravius de Nuremberg, Gerlachus de Butingen, Rainaldus dux Spoleti, Rudolphus advocatus de Raprehtiswilar, Rudolphus de Husinberc, Anshelmus de Raboldestein, Cono de Tuiffen (1), Conradus pincerna de Scipfa, Berengerus frater ejus, Rudolfus de Ratzinhusen, Conradus de Werda, Heinricus magister coquine de Rotenburc, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi et gloriosi Romanorum regis, semper augusti (*Monogramma*), et regis Sicilie.

Et ego Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sigfridi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense januarii, indictione octava, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia victoriosissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie; anno vero Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo secundo, feliciter. Amen.

Datum apud Hagenowe, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Hagenowe, januario.

Fridericus, Romanorum rex, privilegium Herbipolensis episcopi inserendo confirmat, quo Henricus et Fridericus nobiles pueri de Hohenloch ex una parte, Gotefridus et Cunradus fratres eorum ex altera mutuis inter se compromissionibus de bonorum cuique cedentium proprietate convenerunt.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgartensi. Sigillum cerae rubrae pendet laqueis sericis viridis et amarantini coloris.)

(*a*) Bona ut credimus lectio, licet ex forma duplicis *F* non bene liqueat annon *Tuiften* seu *Tuisten* quoque legi possit.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Quia et ad laudem regum et quam maximum fidelium commodum provenit, si pacta que inter eos et maxime inter fratres quos sepius sortiri contingit eveniunt, sine mutatione perdurant, decet magnificentiam regiam et fidelibus expedit ut quicquid inter fideles suos ex communi compactione statuitur, regio munimine confirmetur. Notum itaque fore volumus tam presentibus quam futuris quod nos compromissiones et conventiones habitas inter pueros de Hohenloch, videlicet Henricum et Fridericum ab una parte et Gotefridum et Cunradum fratres eorum ab altera, juxta quod eas coram episcopo Herbipolensi fecerunt, presenti serenitatis nostre privilegio confirmamus; tenorem privilegii ejusdem Herbipolensis episcopi huic nostro privilegio inserentes :

Octo, Dei gratia Herbipolensis episcopus. Ne laudabilibus fidelium actibus propter fluxos et labiles temporum cursus longa vetustatis surrepat oblivio, necessarium est eos memorabili scriptorum testimonio commendare. Noverit igitur tam presentium etas quam futurorum successura posteritas quod in nostra constituti presentia dilecti nostri nobiles pueri de Hohenloch, Heinricus et Fredericus ab una parte, Gotefridus et Cuonradus fratres eorum ab altera, mutuis inter se compromissionibus et condictis taliter convenerunt quod Heinricus jamdictis suis fratribus Gotefrido et Cuonrado omnem suam proprietatem in Holenbach et omnes suos proprios homines tam milites quam rusticos proprios dedit, preter eos rusticos de Mergentheim, et eos qui alias bonis suis et proprietatibus sunt annexi. Fridericus similiter eisdem suis fratribus omnes suos homines proprios tam militaris quam rustice conditionis quodam modo qui vulgo Dinge dicitur deputavit, preter homines suos de Mergentheim et de Husen : eo videlicet pacto quod predicti Gotefridus et Cuonradus omnes Heinrici et Friderici proprietates manu et calamo sicut moris est penitus abdicarunt; constanter quoque et firmiter promiserunt quod cum sorore sua Kunegunda ut ipsa in maturis annis easdem similiter proprietates abdicet, ordinent et disponant. Et super eo omnem que ab

ipsis requisita fuerit et ubicunque voluerint se facturos certitudinem promiserunt; eo excepto quod feoda ipsorum que a manu nostra et ab Herbipolensi tenent ecclesia non vacabunt. Preterea pro portione bonorum Friderici in Mergentheim in proprietate eorum Enkersberge unius sibi libre dederunt redditus annuatim, ubicumque eos in bonis eisdem voluerit acceptare. Pro bonis etiam matris sue que ipsa in Mergentheim quodam jure quod Lipgedinge nominatur habet, eidem Friderico cui post obitum matris eadem bona cedere deberent, proprietatem in Storkheim que Ludewici dicitur tradiderunt. Ut autem predictorum veritas perpetua vigeat firmitate, nos ipsis petentibus presentem super ea cartam conscribi et ipsam tam nostro quam ipsorum sigillis fecimus communiri. Acta sunt hec episcopatus nostri anno terciodecimo.

Ad ipsius igitur conpactionis et privilegii ejusdem Herbipolensis episcopi robur perpetuo valiturum, presens privilegium exinde fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis communitum.

Hujus rei testes sunt : Hermannus marchio de Eadem (*sic*), comes Sibertus de Werda, comes Heinricus filius ejus, Cuonradus burgravius de Nurenberc, Gerlachus de Butingen, Rainaldus dux Spoleti, Rudolfus advocatus de Raprehtiswilar, Rudolfus de Husinberc, Anshelmus de Raboldestein, Cuno de Tuiffen, Cunradus pincerna de Scipfa, Berengerus frater ejus, Rudolfus de Razinhusin, Cunradus de Werda, Heinricus magister coquine de Rotenburc, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, gloriosi Romanorum regis, semper augusti (*Monogramma*), et regis Sicilie.

Ego Cunradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifredi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense januarii, indictione octava, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia victoriosissimo Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo, et in Sicilia vicesimo secundo, feliciter. Amen.

Datum apud Hagenowe, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, privilegium Herbipolensis episcopi inserendo confirmat quo Andreas de Hohenloch in servitium hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum se transferens, plura de bonis suis ibidem expressa, habita prius cum fratribus suis Gotefrido et Cunrado conventione, eidem domui absoluta et libera tradidit et donavit.

Apud Hagenowe, januario.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgartensi. Sigillum cerae rubrae pendet laqueis sericis flavi et amarantini coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Licet Regi regum pro gratia quam fidelibus suis misericorditer et tam universaliter quam specialiter elargitur nec reges possint nec principes condignis servitiis respondere, tamen et vigilandum est eis et totis studiis intendendum ut in omnibus quibus possunt munificentie divini culminis obsequantur. Ea itaque consideratione inducti, religionem sacre domus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum attendentes, privilegium Herbipolensis episcopi qualiter Andreas de Hohenloch ad honorem Beate Virginis in servitium ejusdem hospitalis se transtulit et de bonis suis plura cum fratribus suis habita conventione donavit, presenti privilegio confirmamus; tenorem privilegii ejusdem episcopi huic nostro privilegio inserentes:

Otto, Dei gratia Herbipolensis episcopus. Ne propter diutina temporum curricula memorabiles mortalium actus obliviose vetustatis oblinat antiquitas, opere pretium est ipsos tenaci scriptorum testimonio commendare. Notum igitur esse volumus omnibus tam presentibus quam futuris quod dilectus noster Andreas de Hohenloch, cum in servitium Dei et beate Marie Virginis se transferre proposuit, accessit in presentiam nostram una cum fratribus suis Gotefrido et Cunrado, ut ea que inter se et

suos homines familiariter sub juramento tractaverant, coram nobis et baronibus terre et ministerialibus nostris publicata finaliter terminarent; sic convenientes quod prefatus Andreas predictis Gotefrido et Cunrado castra, feoda, homines tam militaris quam rustice conditionis, cum consensibus dominorum suorum a quibus eadem feoda tenuerat, sub hac forma reliquit: videlicet quod Gotefridus et Cunradus donaverunt Andree proprietates subscriptas, triginta jugera proprii vineti Wicharresheim: Sconebuhel cum omni jure et decima medietate silve Kamervorst que fuit Friderici fratris eorum, lacum in Beulichesham, molendinum et ortum, curiam in Sunderenhoven juxta pontem et omnem proprietatem in Mergentheim, utrumque castrum, silvam Keterete, Vishweide intubera et tubereia pascua, teloneum et decimam ibidem; eo videlicet modo quod si eam liberam et solutam facere nequiverit in proprietate sua ubicumque acceptare voluerit Andreas et hii qui vices suas agunt, plus talento uno annuatim ipsis quam eadem decima valeat proprietatis libere assignabunt et cetera omnia, sicut felicis memorie pater eorum et patruus absolute et libere tenuerunt, preter homines militaris conditionis et rusticos quos nunc ibi habent et eosdem sibi retinent, excepto Bertoldo quem Andree jam dederunt: que omnia jam Andree cedent, preter bona que mater eorum ibi tenet que Lipgedinge dicuntur, que post obitum ipsius Andree totaliter cedere debent; presertim si que in predictis proprietatibus portiones occulte ab aliquibus detinentur, easdem statim cum scite fuerint liberas facient et solutas. Kunigundin etiam sororem suam quam secundum predicta juramenta sua honorifice maritare promiserunt, ad hoc ut ipsa in omnibus prefatis proprietatibus in maturis annis omne suum jus abdicet, ordinent et disponant. Preterea si qui hominum eorum Dei intuitu et spe retributionis eterne se et sua ad domum predictam transferre voluerint, ipsi a bonis eos nec debent nec possunt propositis impedire. Super predictis omnibus et maxime super bonorum quacumque impetitione, sub juramento prestito hec eorum promissio intercessit quod ipsi a quocunque vel quantumcumque proprietates eedem fuerint impetite, ipsi eas a quocunque fratrum domus commoniti infra tres menses faciant absolutas. Quod si minus fecerint, cujuscunque portionis eorumdem bonorum quam

impetitur partem, alias in proprietate sua duplabunt; quod si nec hoc fecerint, omnia ipsorum feoda que a nobis et ecclesia nostra tenent nobis et ecclesie vacabunt. Ubicumque itaque et coram quocunque et quantumcunque requisiti fuerint, hanc vel aliam securitatem sub predicto juramento facere tenebuntur. Predictis preterea Gutefrido et Cunrado quod omnia hec rata et firma secundum juramentum suum observarent publice confessis, idem Andreas omnes jamdictas proprietates cum omni suo jure et omnem suam super predictis postulationem et respectum domui hospitalis beate Virginis Transmarine in Jerusalem que Teotonicorum dicitur, cui et seipsum Sancti Spiritus gratia dedit inspirante, absolutas et liberas tradidit et donavit. Et ut predicta ipsius donatio et omnium predictorum veritas que secundum jamdictorum fratrum Gotefridi et Cunradi sacramentum et confessionem acta sunt, rata et firma inviolabiliter observentur, nos ad ipsorum petitionem presentem cartam conscribi et tam nostro quam ipsorum et aliis que presenti carte appensa sunt sigillis ipsam fecimus communiri.

Hiis itaque Gutefrido et Conrado coram nostra presentia constitutis, sacramentum quod coram episcopo fecerunt in nostri etiam presentia sub pena feudorum que ab imperio et a nobis tenent prestiterunt, et domui et fratribus hospitalis se firmiter per omnia observaturos obligarunt. Ut autem hec rata et firma permaneant, hanc paginam inde scriptam fieri fecimus et sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Hermannus marchio de Baden, comes Sibertus de Werda, comes Henricus filius ejus, Cunradus burgravius de Nurenberc, Gerlachus de Butingen, Rainaldus dux Spoleti, Radulfus advocatus de Raprehtiswilar, Rudulfus de Husinberc, Anshelmus de Raboldistein, Cono de Tuiffen, Cunradus pincerna de Scipfa, Berengerus frater ejus, Rudulfus de Razinhusin, Cunradus de Werda, Henricus magister coquine de Rotenburc, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi et gloriosi Romanorum regis, semper augusti (*Monogramma*), et regis Sicilie.

Ego Cunradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis

aule cancellarius, vice domini Sigfridi Maguntine sedis archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense januarii, indictione octava, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo secundo. Amen, feliciter.

Datum apud Hagenowe, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Hagenowe, januario.

Fridericus, Romanorum rex, confirmat traditionem seu venditionem villae de Langheim et pertinentiarum ejus ab ecclesia Sancti Jacobi Babenbergensis Hermanno magistro hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum factam, sicut ex privilegio Ekberti Babenbergensis episcopi constat, cujus tenor ibidem inseritur.

(Ediderunt Pistorius, *Amoenitates,* t. VII, p. 2223.— Hennes, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theutonic.,* p. 47, n° 45. Coll. cum origin. in archivo Stuttgartensi.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Ut per gratiam quam Rex regum suis fidelibus misericorditer elargitur, plus devoti reges et principes videantur, vigilandum est eis et totis studiis intendendum ut in quibuscumque possunt munificentie divini culminis obsequantur. Notum itaque facimus universis quod nos attendentes devotam religionem sacre domus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum, pro salute quoque nostra et remedio animarum fidelium augustorum parentum nostrorum reverende memorie, traditionem quam Babenbergensis episcopus de villa Langen et pertinentiis ipsius ville fecit fratri Hermanno magistro hospitalis Sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani, presenti privilegio confirmamus, tenorem privilegii episcopi supradicti huic nostro privilegio inserentes :

Ecchebertus, Dei gratia Babenbergensis episcopus, omnibus hanc paginam inspecturis gratiam in presenti et gloriam in futuro. Cum hominum etas se nunquam in eodem statu representet et temporis lapsus oblivionem inducat, consentaneum est rationi ut ea que bona fide contrahuntur scripture serie roborentur. Sane presenti scripto duximus declarandum quod cum ecclesia Sancti Jacobi Babenbergensis villam Langen pluribus annis infructuose possedisset, ut propter varias imperii turbationes et totius Alemanie crebras bellorum tempestates nulla eidem de bonis eisdem utilitas provenerit, magistro Hermanno hospitalis Sancte Marie Teotonicorum Ierosolimitani redditus eosdem dicte ecclesie canonici vendiderunt pro quadringentis et quinquaginta marcis fini argenti. Quod ab eodem magistro sub tali recepere conditione ac juramento astricti, ut idem argentum in nullius unquam usum conferretur, sed intactum conservaretur, donec in redditus alios ecclesie utiles emptionis titulo impenderetur. Nos itaque villam Langen cum ecclesia parochiali, cum silva, pratis, pascuis, agris cultis et incultis, viis et inviis, et omnibus pertinentiis, magistro contulimus memorato, in plena synodo que tunc temporis extitit in majori ecclesia celebrata, sub decreto et assensu omnium tam majoris ecclesie quam Sancti Jacobi canonicorum et approbatione ministerialium ecclesie plurimorum. Ut igitur hec traditio nostra hospitali Sancte Marie solempniter celebrata firma perpetuis temporibus existat, sigilli nostri munimine duximus roborandam. Acta sunt hec pontificatus nostri anno sextodecimo.

Preterea donationi canonicorum Sancti Jacobi et confirmationi memorati episcopi benignius annuentes et regalis munificentie beneficium adjicientes, damus et perpetuo confirmamus domui hospitali Sancte Marie Teotonicorum regalem bannum nostrum, quem in supradictis bonis de Langen hactenus imperium habuit et nos visi sumus habuisse. Ad hujus autem nostre confirmationis et donationis perpetuam firmitatem, presens privilegium inde fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt : Hermannus marchio de Baden, comes Sibertus de Werda, comes Heinricus filius ejus, Cunradus burgravius de Nurenberc, Gerlachus de Butingen, Rainaldus dux Spoleti, Rudolfus advocatus

de Rappertiswilar, Heinricus magister coquine de Rotenburc, Rudolfus de Huzinberc, Cono de Tuiffen, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Romanorum regis, semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Cunradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifredi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense januarii, indictione octava, regnante domino nostro Friderico illustrissimo Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regiminis ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo secundo, feliciter. Amen.

Datum apud Hagenowe, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Hagenowe, 4 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, cives de Mollesheim fideles suos sub speciali protectione sua recipit et bonas eorum consuetudines confirmat : scilicet de exemptione servitii, de facultate nulli respondendi nisi coram ejusdem loci judice, et de quibusdam aliis privilegiis quibus tempore praedecessorum suorum uti solebant.

(Edit. ap. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 336, n° CCCCXII, ex autogr. in tabul. episcop. Argent.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Dignum est et rationi consentaneum ut quos in servitiis nostris ferventes semper invenimus et paratos, eos munificentie nostre beneficiis curemus ampliare. Quapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris notum facimus quod nos attendentes grata et accepta servitia que fideles nostri cives de Mollesheim nobis hactenus exhibuerunt et dante Domino in posterum poterunt exhibere, advertentes nichilominus puram eorum fidem et devotionem quam

semper progenitoribus nostris conservarunt, recepimus eos et bona eorum tam mobilia quam immobilia sub specialem majestatis nostre protectionem; confirmantes eis et concedentes bonas eorum consuetudines et universa jura que temporibus progenitorum nostrorum et usque nunc habuerunt : videlicet ut quicunque in ipso loco residentiam habuerint, nullum facere alibi servitium teneantur vel ad id faciendum ab aliquo compellantur. Quicumque etiam ibidem mortuus fuerit, masculus vel femina, nulli de jure quod vulgariter dicitur Val vel Butel heredes eorum superstites respondere tenebuntur, sed hereditatem et bona alia sine alicujus molestia obtineant. Si quis etiam illic civis fuerit et residentiam habuerit, coram nullo alio judice quam qui ejusdem loci judex fuerit per nos constitutus de quacumque causa contra eum objecta respondebit. Preterea omnia bona ibidem illud nobis prestabunt servitium quod pie memorie imperatori Friderico avo nostro et patri nostro imperatori Heinrico prestare consueverunt. Apud Argentinam et in aliis civitatibus et locis nostris predicti cives nullum amplius exsolvere cogantur thelonium, nisi illud quod temporibus predictorum progenitorum nostrorum exsolvere consueverunt. Statuimus igitur et regio firmiter precipimus edicto ne quis sepefatos cives nostros contra hanc nostram concessionem et confirmationem molestare unquam audeat aut jura eorum que ipsis indulsimus in parte aliqua diminuere vel violare. Quod qui fecerit, majestatis nostre iram et gravem offensam se noverit incurrisse, et in vindicta sui reatus auri puri libras sexaginta componat, dimidium camere nostre, reliquum passis injuriam persolvendum. Ut autem hec omnia robur obtineant perpetuum, hanc paginam inde conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Augustensis episcopus, Henricus Basiliensis episcopus, Hugo Morbacensis abbas, Wolframus abbas Wizenburgensis, Hermannus marchio de Baden, Conradus burcgravius de Nuerimberc, Rudolphus de Huesinberg (*a*), Anshelmus de Rapoltstein, Rudolfus advocatus de Raprehtswilare, Johannes de Girsperc, R. de Razenhusen, et alii quamplures.

(*a*) Apud Schoepflinum *Vuesinberg*, minus recte.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M.CC.XVIIII (*a*), pridie nonas februarii, indictione octava.

Apud Hagenowe, 10 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem Werneri praepositi, ecclesiam Matton dictam, sitam in comitatu Burgundiae inter lacus (Interlaken), in sua protectione suscipit, donationes a praedecessoribus suis ei factas confirmat, jusque ei de electione praepositi et advocati corroborat.

(Edit. ap. *Soloth. Wochenblatt.*, ann. 1828, n° 30, p. 314.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, in perpetuum. Regali convenit excellentie illorum petitioni maxime condescendere qui pauperum vitam eligentes, religionis cultui operam dantes, idcirco bona temporalia contemnunt ut sibi mereantur celestia. Quorum pie intentioni cooperatores esse volentes tam presentibus quam futuris notificamus quod nos devote petitioni viri religiosi Wernheri prepositi acquiescentes, necnon etiam consilio curie nostre et primatibus (*sic*) ecclesiam Sancte Marie Virginis sitam in Lausanensi episcopatu in comitatu Burgundie inter lacus, Matton vulgariter nuncupatam, sub nostre tuitionis mundiburdum suscepimus, suscepteque nostra authoritate hanc contulimus libertatem ut ab omni vestitura et actione immunis, soli Deo quiete et libere serviens, domum orationis se solummodo esse recognoscat. Unde etiam de mera regie benignitatis benevolentia omnia instrumenta sive statuta eidem loco a divis predecessoribus nostris inclitis Romanorum regibus seu imperatoribus tradita regali sanctione confirmamus. Hujus autem domus fundator Selgerus de Oberhofen cum ceteris boni propositi cooperatoribus existens canonicam ibidem vitam

(*a*) Luce clarius 1220, neque 1219 ut in Regestis suis posuit Boehmerus.

secundum regulam Sancti Augustini instituit, rogans eam dedicari in honore Matris Domini et omnium Sanctorum. Volentes itaque firmum et indivulsum esse bone institutionis propositum, precipiendo jubemus ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, nulla denique magna parvave persona prenominate ecclesie fratres vel res ad usus eorum in presenti contraditas vel que in posterum eidem ecclesie contradite fuerint, divestire, molestare, inquietare presumat. Sub eadem etiam tuitione regie autoritatis fundum in Grindelwald a Schonecca usque ad Alpiculum et ad glaciem inferiorem et alteram partem fundi in Isenwald prius quidem regno pertinentes, quos dive memorie Conradus, Romanorum rex secundus, a duce Conrado de Zaeringen deliberatos ipso consentiente contradidit, propter que avus noster Fridericus imperator felicis recordationis eosdem prenominate ecclesie regaliter confirmavit, nos indissolubiliter omnino confirmantes consignamus; hoc edicto regali statuentes ne aliquis successorum nostrorum regum seu imperatorum vel alia quevis persona hujus nostre confirmationis statutum irritare presumat. Super hec si quis fratribus prefate ecclesie aliquid agrorum, vinearum, silvarum, alpium, pratorum seu aliarum rerum ad honorem regni pertinentium et absque tributo manentium donaverit, a nobis in Domino Jesu Christo eorum religioni dono datum habebitur. Preterea decernimus ut confratres ibidem Deo servientes, sicut liberam de constituendo sibi preposito habent electionem, ita et advocatum quem voluerint eo pacto et jure assumant ne advocatia ad heredes advocati traducatur, et tali electione a preposito investitus, a rege et ut justitia exigit regali banno investiatur; ita ut penitus ea careat, si eis malum aliquid ab eo illatum, intra terminum quadraginta dierum secundum voluntatem eorum non fuerit emendatum. Ad hec subjicientes sancimus ut nullatenus advocato vel alicui hominum sit licitum commissionem advocatie vel in pignore ponere vel alicui in feudo conferre. Si quis autem hujus nostre confirmationis statutum quocunque in aliquo in tempore (*sic*) infringere tentaverit, centum libras auri purissimi componat, medietatem camere nostre, reliquam vero prefato monasterio soluturus. Et ut hec verius credantur et omni deinceps tempore inviolabiliter ob-

serventur, hoc scriptum sepedicto cenobio indulsimus, sigillo majestatis nostre roboratum.

Hujus rei testes sunt : Henricus Basiliensis episcopus, Hugo abbas Murbacensis, Theodoricus prepositus Monasteriensis in Arbona, Conradus comes de Zollre, Udalricus comes de Helfinstein, Hermannus marchio de Baden, Rudolphus comes de Nuwenburg, Heinricus de Kiene, Johannes de Stretelingen, Burcardus de Egerdin, Cuno de Jegisdorf, Conradus de Walcheringen.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi et semper augusti, et gloriosissimi regis Sicilie, in perpetuum.

Ego Conradus (*a*) Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice Sigfridi Moguntine sedis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Actum anno Domini M. CC. XX, indictione octava, regnante domino Friderico invictissimo Romanorum rege, semper augusto et glorioso rege Sicilie, anno Romani regni ejus octavo, Sicilie vero vicesimo primo.

Datum apud Hagenowiam, anno et indictione suprascriptis, quarto idus februarii, feliciter.

Apud Hagenowe, 10 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae promissionem renovat quod, postquam fuerit imperii coronam adeptus, filium suum Henricum emancipabit, regnumque Siciliae ab Ecclesia Romana tenendum ei relinquet et usque ad legitimam ejus aetatem per personam idoneam gubernari procurabit; addito quod si filium suum absque haerede et germano mori contingat, eidem succedat in regno pro tempore vitae suae.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 105, nº 323, ex *Titoli del dominio della sede apost.*, p. 292.)

(*a*) In impresso *Burcardus*, male.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo Honorio, etc. Fridericus, etc. Cupientes tam Ecclesie Romane, etc. [*Sequitur sicut in privilegio dato apud Argentinam, 1° julii 1216, p. 469, verbis competenter mutatis et cum additione quae supra.*]

Datum apud Hagenowe, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo, IV idus februarii, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae scribit se innovasse privilegium de regno Siciliae filio suo resignando, licet speret quod in vita sua de benignitate pontificis hoc regnum tenendum habebit. Notum facit quid egerit de negotio Terrae Sanctae et quomodo in tali proposito poterit retardari; addens se ad populum Romanum Fuldensem abbatem mittere, qui cives moneat ut erga Romanam Ecclesiam se cum omni reverentia gerant.

Apud Hagenowe, 19 februarii.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.,* t. I, ad ann. 1220, § I-V, e regest. Honor., lib. IV, epist. 682. Desiderantur tamen lacunae quaedam, quarum praecipuam supplemus.)

Sanctissimo in Christo patri et permaximo benefactori suo domino Honorio, Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus eadem et sui gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, commendationem et reverentiam tam debitam quam devotam. Exhibitam nobis in nostris negotiis, petitionibus et necessitatibus universis vestre gratie plenitudinem devote recognoscimus et recognoscentes apostolice sanctitatis pedibus humiliter inclinamus, utpote qui per Romane Ecclesie et vestre paternitatis grata subsidia et favorem reminiscimur nos adeptos quidquid honoris et glorie possidemus. Verum si ad tot beneficia et tantorum cumulum meritorum nostra, prout cupimus et debemus, devotio non respondet, non minus fervet interius voluntatis affectus, quem utique quoties expedit libenter producimus in effectum.

Sane petitionibus et preceptis vestris que per magistrum Alatrinum subdiaconum et capellanum vestrum nostre celsitudini direxistis, sicut promisimus, per magistrum Bonumhominem de Gajeta, Messanensem decanum, notarium et fidelem nostrum, incontinenti post reditum ejus promptum et benivolum curavimus impertiri assensum, excepta innovatione privilegii de regno Sicilie, quam nobis sub spe obtinendi a vestra paternitate ipsius regni in vita nostra dominium, reservantes, per Tarentinum electum vestre supplicavimus sanctitati. Sed postquam novimus vestram exinde voluntatem, privilegium ipsum duximus innovandum; addito tamen quod si charissimum filium nostrum absque herede et germano mori contingat, succedamus eidem in tenendo in vita nostra ab Ecclesia regnum ipsum; quod per ejusdem electi litteras intelleximus a vestra nobis benignitate concessum. Nihilominus adhuc de vestra benevolentia et de nostra quam ad Ecclesiam et vos gerimus devotione non modicum confidentes, petitionem de ipsius regni nobis in vita nostra dominio reservando, cum in vestra fuerimus presentia constituti, a vestra beatitudine obtinere speramus. Quis enim devotior inde erit Ecclesie quam qui Ecclesie ubera suxisse recolit et in ejus gremio suscepisse inde custodiam et etatis ac salutis et honoris augmentum? Quis fidelior, quis accepti beneficii magis memor? Quis de gratitudine commendabilior existimari potest quam is in quo crescit cum fide devotio? Acceptorum beneficiorum tenax memoria perseverat, et sue devotionis debitum, se cognoscens videlicet debitorem, solvere nititur juxta benefactoris arbitrium et mandatum. Si quidem susceptam gratiam recognoscimus, si jugiter profitemur eamdem, dictus capellanus vester qui summa cum diligentia et devotione improbus et importunus insistit ad Ecclesie procuranda negotia, non ignorat et poterit firmiter protestari; et in hoc etiam potest intelligi evidenter quod prefatum filium nostrum uberibus matris Ecclesie nutriendum elegimus et ipsius cure fiducialiter committendum. [Pergit rex, in curia apud Nurembereh solemniter celebrata, recepto a quibusdam principibus qui illuc convenerant juramento de itinere secum arripiendo, disposuisse aliam curiam Augustae, celebrare ubi ab aliis principibus juramenta recepit; se equidem paratum accinctumque itineri, sed crucesignatos, eorum culpa

quibus ipsorum censuris ecclesiasticis ad iter compellendorum provincia injuncta erat, rebus bello necessariis non instructos. Proindeque, si ita pontifici visum fuerit, hoc suscepisse consilium] : Verentes ne arripientibus nobis iter, illi remaneant et sub occasione aliqua nos relinquant, decrevimus eos premittere ante nos si de vestre fuerit arbitrio voluntatis, et nos subsequi prout decet. Sed timemus ne si ad hec obnixius intendamus, dum circa eadem fuerimus occupati, aliqui dies possint ultra prefixum nobis terminum preterire (1). Quod quidem non in fraudem loquimur, teste Deo, cum in procinctu simus itineris et parati ad ipsam diem, et tam honorem Ecclesie quam negotium crucifixi per Theutoniam efficaciter procuremus, facientes jurare milites strenuos et electos ad pugnam ut nobiscum debeant transfretare, ac paces et treguas in quantum possumus prorogantes pro eodem negotio melius exequendo. . . . .

. . . .

Super his et aliis nuncios destinamus ad pedes vestros latores presentium magistros Stabilem et Petrum, notarios et fideles nostros, qui vobis faciant plenam fidem de adventu principis memorati (2). Quem ecce mittimus ad vos et populum Romanum ut vestre paternitati devotionem nostram et principum voluntatem exponat, expositurus nihilominus tam

---

(1) Huc pertinet epistola auctoris incerti quam retulit Hahnius, *Collect. monum. vet. et rec.*, t. I, p. 361. Extat quoque in praecipuis litterarum Thomasii de Capua codicibus, ubi eamdem contulimus, et est ita : « Mixturam quamdam timoris et gaudii littere attulere per P. quondam » exhibite, quum de incolumitate vestra recepta notitia habuit filius vester unde gaudeat; sed » de dubiis eventibus objecta presumptio diligentis animo aliquid intulit ad timorem. Fuit igi- » tur qui sollicitaret et fratres, et relevati sunt predicatores in Alamania, Hungaria et Anglia; » et renovata est excommunicatio in imperio in omnes crucesignatos, nullius excepta persona, » nisi in proximo martio iter arripiant et prosequantur arreptum. Ecce dominus rex sollicitavit » omnes maritimas civitates de regno ut preparent galeas, que multe sperantur. Verum de » ipso rege non creditur quod ante augustum pertranseat, sed sunt quidam principes qui non » creduntur ipsum in passagio expectare. Et quidem credebatur, sicut vobis per alias litteras » intimavi, ut in isto martio transiret; sed quedam impedimenta ipsum hactenus retardarunt, » de quibus per Dei gratiam est expeditus omnino. »

(2) Scilicet *Fuldensis abbatis*, de cujus legatione in loco paulo supra praetermisso sane mentio fuit. Hoc ille in mandatis habebat, ut obnixius circa Romanam coronationem instaret.

per litteras nostras quam viva voce senatori et populo Romano devotionem quam gerimus ad Ecclesiam et personam vestram, et attentius moniturus eosdem ex parte nostra ut se gerant taliter circa Ecclesie et vestram reverentiam et honorem quod in adventu nostro eos merito commendare possimus et ad merita respondere; significantes eisdem quod si secus facerent, quod non credimus, cum prebere nobis debeant devotionis exemplum, Ecclesie matri nostre quam modis omnibus confovere ac defensare tenemur, et vobis deesse aliquatenus non possemus, etc.

. . . .

Datum apud Hagenowe, XI kalendas martii, indictione VIII.

Apud Spiegelberg, 24 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, inhibet ne Wernerus de Bolanden sive quilibet alius Herdensem ecclesiam in aliquibus bonis suis inquietare praesumat.

(Edit. ap. *Histor. et comment. acad. Theodoro-Palatinae,* t. II, p. 77, num. XI, minus vero ut credimus integre. Originale apud Carlsruhe asservari dicit Mone, *Anzeigen,* ann. 1837, p. 138.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, etc., et rex Sicilie. Quia serenitatis interest regie locis ac personis religiosis pacem et tranquillitatem providere liberali affectu, Herdensi ecclesie que nullo medio nostram regalem respicit advocatiam, progenitorum nostrorum imperatorum liberalitate et exemplo securitatem ac pacem curamus procurare. Ne igitur quisquam ulla ductus temeritate prefatam ecclesiam in aliquibus bonis suis ubicumque locorum sint, sive Wernherus de Bolanden in bonis suis Dandestat et Rorbach aut alias sive quilibet alius in aliis rebus seu personis suis, inquietare presumat districte inhibemus. Ut autem subjecte pagine robur constet, eamdem nostri sigilli duximus insigniis insignire.

Testes Cunradus imperialis aule cancellarius idemque Metensis et Spirensis episcopus, Wolframmus abbas de Wizzenburc, Gerhardus comes

de Ditse, Eberhardus comes de Eberstein, Henricus et frater ejus Albertus de Niffen, viri nobiles.

Datum apud Spigelberg (1), anno Domini M. CC. XX, VI kalendas martii.

Fridericus, Romanorum rex, papam rogat ut Firmanos cogat ad quaedam ablata mercatoribus Bononiensibus restituenda; seque excusat quod Firmanis tanquam civitati imperii mandata direxerit et banna imposuerit, dum ea fecerit nesciendo quod ista civitas esset de marchia Anconitana et sic de jure Romanae Ecclesiae. Apud Hagenowe, 29 februarii.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 105, n° 326, ex copia sibi a Pertz communicata. Coll. cum indicib. in collect. Laporte du Theil, ann. IV, n° 699.)

Datum apud Hagenowe, pridie kalendas martii, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, claustro sanctimonialium beati Christophori apud Papiam possessiones tam praesentes quam futuras confirmat, praecipitque ut nulla persona eidem claustro super his damnum inferre praesumat. Apud Hagenowe, 10 martii.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 105, n° 327, ex transumpto de anno 1311 ap. Mediolanum.)

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M. CC. XX, X martii (*a*), indictione VIII.

(*a*) In notatione diei vox omissa videtur : forsitan *X* [*kalendas*] *martii*, (21 febr.).

---

(1) Arx cujus vix nomen hodie remanet, juxta Hertam ad Rhenum, canonicorum regularium ordinis S. Augustini ecclesiam. In eodem loco datum est privilegium Philippi regis Romanorum, ann. 1200, indict. III, III kal. mart., *ibid.*, p. 76.

[Viterbii, martio.] Honorius papa Friderico Romanorum regi processus terminum non sine multa querela usque ad calendas maii proximas prorogandum concedit, hortaturque illum denuo ut tandem se Christi athletam et Terrae Sanctae defensorem ostendat.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1220, § VI, e regest. Honor., lib. IV, epist. 692.)

Honorius, etc. Friderico, etc. Sinceris, etc. . . . . Porro qui satis diligit satis timet; unde non mirum si de retardato processu tuo in subsidium Terre Sancte tibi timeamus et nobis : tibi ne per toties repetite dilationis instantiam offensam, quod absit, potentissimi regis incurreris, nobis, ne facultate prorogationum hujusmodi causam illius summi pontificis qui pro salute populi in ara crucis se ipsum obtulit hostiam Deo patri, videamur negligenter reliquisse. Verum adhuc instas ut adjiciatur quarta dilatio, et non intendis quod citatus tribus edictis si ad judicium venire contemnit, potest contumacie reprehendi. Sed scimus quod ad purgationem more nonnullas causas excusationis allegas; scimus etiam quod non sic eas interpretantur emuli ut amici. Nos autem ne tam chari filii famam exponere videamur contemptui, usque ad kalendas maii proximas tui processus terminum prorogamus. . . . . Sane considera, considera cujus sit causa que geritur quia Christi, cujus commodum quia prosequentium ipsam, cujus gloria quia totius populi christiani; et negligis esse prosecutor cause Dei, procurator commodi tui et christianitatis athleta. Et quidem ad ista te Dominus beneficiis allicit, miraculis provocat, et exemplis informat: beneficiis allicit, quia tam depressum aliquando sic tandem erexit in altum; miraculis provocat, quia de Damiata munitissima civitate plene desiderium pusilli exercitus christiani spe jam debilitata perfecit; informat exemplis, quia non solum nobiles et potentes, sed etiam pauperes

et debiles hoc salubre negotium sunt aggressi. Quapropter diligenter advertat rex tam grandis et nobilis, tam potens et fortis, quod in iis eo minus excusationis competere poterit quo plus videtur suppetere facultatis. Exurgat igitur excellentia regia, exurgat princeps egregius, quoniam ut speramus paratus est Dominus grandem offerre triumphum qui multam jam attulit de paucorum labore coronam. Accingere, accingere gladio circa femur, potentissime principum terrenorum. Accingere in humilitate potens; accingere in potentia humilis, ut non in brachio tuo confisus, de manu Altissimi suscipias in tanti consummatione negotii gloriam que speratur (1).

Parentius, urbis Romae senator, nomine totius populi Romani Friderico Romanorum regi scribit quantum ex insinuatione abbatis Fuldensis legati ejus gaudium susceperit quod ipse in proximo sit Romam venturus ad recipiendum imperiale diadema; grates agit de bona voluntate quam erga Romanos ostendit; addit insuper se et illos circa Romanam Ecclesiam obedientiae filios, si quid discordiae emerserit, ad eam sedandam propensius enixuros, ut coronationis solemnitas in Urbe per summum pontificem quiete peragatur. [Martio exeunte.]

(Edider. Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I ad ann. 1220, § VIII, e regest. Honor., lib. IV, epist. 693. — Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 241.)

Gloriosissimo domino Frederico Dei gratia regi in Romanorum imperatorem electo, semper augusto et regi Sicilie, Parentius eadem gratia alme

---

(1) Notae chronologicae desunt. Non vero dubitandum tam ex numero epistolae quam ex ordine rerum quin circa vicesimum martii diem reponenda sit. Adest in regestis sub nº 700 altera epistola qua summus pontifex Fridericum regem, filium ejus Henricum et eorum terras in sua speciali protectione denuo recipit. Datum Viterbii, XVII kalendas aprilis (16 martii).

et venerande Urbis illustris senator et populus universus Romanus, salutem et hostium tam visibilium quam invisibilium celitus ac inimicorum crucis victoriam gloriosam et post imperii terreni sceptra longeva ac felicissima gaudia regni celestis ineffabilia vel aliter salutem et Romani imperii monarchiam feliciter gubernare.

Dulcis et letabunda materia super receptione litterarum vestrarum nobis a serenitate vestra transmissa publiceque in Capitolio perlecta corda nostra multimodis gaudiis exhilaravit, et gaudia que se in corde totius reipublice non capiebant, cum jucunditate foras fecit patenter exire, nec immerito. Intelleximus enim tum ex ipsarum serie litterarum, tum per honorabilem, providum et discretum virum . . . abbatem Fuldensem legatum et nuncium ac principem serenitatis vestre, quod vos qui ad Romani imperii apices estis electi, almificam Urbem, senatum populumque Romanum et totam rempublicam sincera diligitis affectione et ejus augmento et promotioni efficaciter intendere disposuistis, et ut nomine, ita et re Romana respublica imperiali celsitudine decorari, magnificari possit merito et augmentari. Ad quod magnificentiam regiam invitant senatus et Romanorum circa vos stabilis et pura sinceritas et indefessa et merita fructuosa in vestris agendis a senatu et populo multifariam multisque modis ostensa et in Urbe honorificentia presentialiter regie majestati exhibita. Super quo rerum omnium auctori quantas possumus laudes referimus, qui vos ad fastigia Romani imperii sublimavit et magnificentie vestre celitus inspiravit quod talem circa nos et Romanam rempublicam geritis voluntatem; ipsum Altissimum modis quibus possumus deprecantes ut sublimitatem vestram in tali circa nos conservet sinceritate et vobis Romani imperii gubernacula concedat per longa temporum spatia feliciter gubernare. Nos ergo de tanta magnificentia indubitata fiducia confidentes, adventum vestrum tota mente cupimus et optamus, parati et expositi in omnibus et ad omnia cum Romane Ecclesie et alme Urbis honore que imperiali debeant et possint celsitudini complacere. Et ille dies nobis jucundus et festivus occurret, quo serenitatem vestram tempore coronationis presentialiter poterimus intueri et laudes tante magnificentie debitas exhibere; et quicquid profectus poterimus et honoris imperatorie majes-

tati gratanter curabimus exhibere. Super eo autem quod per easdem litteras et nuntium rogastis et monendo sollicitastis ut Romanum pontificem, communem omnium patrem et vestrum et nostrum, sic propensius honorare curaremus ad ipsius benedictionem et gratiam redeuntes, quod ad instar nostre devotionis nationes cetere sint devote et vos qui estis Ecclesie lacte nutriti et obedientie filius et Romane Ecclesie advocatus pariter et defensor ad grates nobis reddendas sitis omni tempore fortiter illigati, gratum gerimus et acceptum, et regiam serenitatem dignis in Domino laudibus commendamus, et cum multa gratiarum prosequimur actione regie serenitatis sinceritatem quam, ut ex ipsarum litterarum tenore perpendimus evidenter, vos circa nos gerere plurimum gratulamur. Proinde presentibus litteris regiis sensibus innotescat quod nos in eo proposito firmi sumus et stabiles ac fuimus semper ut ea facere velimus et operari que Romane Ecclesie que non ab homine, sed ad ipso Jesu Christo est in Urbe fundata, honorem respiciant et incrementum, nec de iis que possumus et debemus quidquam aliquando pretermittere quod ad conservandum inter nos et Romanam Ecclesiam indissolubile vinculum dilectionis et pacis facere videatur; et a benedictione ejus et latere nunquam discessimus nec dante Domino discedemus. Nam Romana Ecclesia nostra specialis est mater quam non offendimus, sed diligimus et veremur. Jucunda satis est, sicut nostis, matris Romane Ecclesie et filiorum dilectio, cum ipsa mater de nostro profectu et nos filii versa vice de matris exaltatione letemur; et inde est quod inter alios dilectos filios et devotos quos ubique terrarum mater sibi Ecclesia generavit, nos speciales et proprios reputat et in nos affectum totius charitatis effundit, et nos inter alios et pre aliis semper habuerit et habebit dante Domino suum propugnaculum speciale, et nos ad depressionem illorum qui contra Ecclesiam matrem et dominam nostram superbie calcaneum erexerunt, quidquid favoris et auxilii potuimus curavimus indulgere, utpote qui honorem ejus non alienum, sed proprium reputamus. Verum si que est vel erit, quod absit, discordia inter ipsam et nos, sic ad eam sedandam propensius intendemus quod in adventu vestro in pace et quiete vestre coronationis solemnitas in Urbe per summum pontificem peragetur. Rogamus itaque majestatem

regiam quatenus Ecclesie Romane exaltationi ac nostre prout convenit intendatis, ut de fidelibus fideliores regie magnitudini semper assurgere teneamur; quia quicquid commodi vel honoris ipsi feceritis, nobis qui sumus Ecclesie catholici filii, reputabimus esse collatum.

Apud Hagenowe, 7 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae respondet super ejus intercessione pro comite Raynerio, cum iste se et suam terram frequenter persecutus nec usurpatis territoriis contentus de sanguine suo sitierit, hac ratione cum in Alemanniam sine salvo conductu venerit, hunc incarcerari fecisse; et cum etiam idem comes et ejus fautores de Tuscia hostiles apparatus contra Siciliam intentarent (1), se Pisanis jussisse ut eorum in Siciliam passagium interciperent. Caeterum se propter papales preces paratum dicit ad comitem sine graviori poena liberum dimittendum, dummodo prius terra quam in Sicilia occupavit restituatur.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 105, n° 328, ex copia ipsi ex arch. Vaticano a Pertz communicata.)

Datum apud Hagenowe, VII idus aprilis, indictione VIII.

Viterbii, 10 aprilis.

Honorius papa Friderico Romanorum regi respondet se legatum

---

(1) Hic agitur de Raynerio de Manente, de quo supra in epistola Neapolitani archiepiscopi, p. 46 et 48. Ille vir Tuscia oriundus et Pisanorum amicus, Marcualdo et Capparono addictissimus fuerat. Cf. OGER. PANIS, *Annal. Januens.*, ad ann. 1204-1205, ap. MURATOR., *Script.*, t. VI, p. 389, 391, 392, et praecipue ad ann. 1207, p. 395, ubi dicit : « Pisani cum navigio Panormum euntes, variis cogitationibus pleni, totam terram cum Raynerio de Manente qui comitem se appellari faciebat et Caparrono, habere sperarunt. . . . Cancellarius cum suo exercitu super eos felicem fecit insultum et ipsos terga vertentes fugavit et interfecit. »

ejus abbatem Fuldensem recepisse; et licet in occasione simili praedecessores ejus archiepiscopum vel saltem episcopum mittere solerent, se nihilominus ejus honori intendere velle; dum ejus exaltatio sit Terrae Sanctae et ecclesiasticae libertati plurimum utilis, nec non ad haereticorum et turbulentorum oppressionem necessaria.

(Memorat. in *Indice litter. Honor.*, fol. 170, n° 695, in collect. Laporte du Theil ap. Biblioth. reg. Paris. Cf. de Raumer, *Gesch. der Hohenst.*, t. III, p. 180.)

Datum Viterbii, IV idus aprilis, pontificatus nostri anno IV.

Fridericus rex curiam habuit celebrem, prioribus dissimilem, in Frankenfort. Ibi omnes principes filio suo Heinrico fidelitatem fecerunt. Ibi ordinata est via de consecratione imperii Romae suscipienda, de transitu ad orientalem ecclesiam liberandam de potestate Agarenorum.... Coguntur etiam omnes signati abire, tam principes quam inferiores personae. In hac curia leges sunt renovatae et jura et telonea indebita deposita. Rein. Leod. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 386. Cf. Godefr. Colon., *Ibidem*, p. 354, et *Hist. imperat.* ap. Mencken, *Script.*, t. III, p. 121. ....

Fridericus, Romanorum rex, Joanni Virdunensi episcopo et universis ejusdem civitatis civibus mandat ne quis a familia Virdunensis ecclesiae et canonicorum aliquam exactionem vel talliam extorquere praesumat. Apud Francfort, 16 aprilis.

(Edid. Sudendorf, *Merkwürdige urkunden für die Deuts. Gesch.*, erst. Theil, p. 95, n° XLVII, insertum in privilegio Henrici Romanorum regis, dat. 30 martii 1227. Titulum autem et notas chronologicas addimus ex *Chartulario Virdunensi* a Waitz apud Boehmerum laudato.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, dilecto principi suo Joanni Virdunensi episcopo et universis ejusdem civitatis civibus gratiam suam et omne bonum. Noverit universitas vestra quod relatione Th. Virdunensis decani necnon et aliorum veraciter intelleximus quod, licet ab antiquis temporibus tota familia Virdunensis ecclesie simul et canonicorum soleat esse libera et immunis ab exactione cujuslibet prestationis et tallie, attamen civium universitas ab ipsis canonicis metu et violentia eos a civitate et propriis domibus expellendo extorserunt ut quedam pars dicte familie exactioni et tallie subjaceret, sicut ceteri cives civitatis. Verum quia ad majestatem nostre dignitatis pertinet privilegia ecclesiarum et libertates conservare illibatas et illesas et ea que violenter sunt extorta nulla ratione habere rata, familiam ecclesie Virdunensis dicte restituimus libertati; mandantes et firmiter authoritate culminis imperialis precipientes ne quis eam cuicunque exactioni vel tallie attentet subjicere; quod qui fecerit indignationem regiam se noverit incurrisse.

Datum apud Frankfort, anno dominice incarnationis M. CC. XX, XVI kalendas maii, indictione VIII.

Apud Frankenfort, 17 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, archiepiscopo Coloniensi ecclesiam Sancti Servatii in Trajecto intus et exterius regendam et modis omnibus defendendam committit.

(Inedit. e chartul. MSS. S. Servatii in Bibl. reg. Paris., t. II, fol. 121; t. III, fol. 11 verso et 234 recto.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex

[Sicilie], dilecto principi suo et archiepiscopo venerabili Coloniensi gratiam suam et omne bonum. Cum de misericordia Dei et ordinatione tua et aliorum principum nostrorum ad recipiendam coronam fines Alemannie sumus egressuri, ecclesiam Sancti Servatii in Trajecto quam speciali amplectimur affectu, in personis, causis (?) et aliis ad ipsam ecclesiam spectantibus et rebus universis regendam intus et exterius modisque omnibus defendendam tue specialiter committimus dilectioni; rogantes attentius quatenus oculos perspicaces et cordis sollicitudinem ad eamdem ecclesiam benigne convertens, non patiaris eam [in] personis aut rebus aliquatenus gravari, et si quis ipsam in suis personis aut rebus presumpserit temerie (*sic*), temeritatem ipsius usque ad plenam satisfactionem auctoritate nostra compescas.

Datum in Franckenfort, XV kalendas maii, indictione VIII..

Fridericus, Romanorum rex, universis per Lombardiam, Romaniolam, Tusciam atque per totam Italiam constitutis nuntiat se ad eos Conradum, Metensem et Spirensem episcopum, legatum praemittere, cum plena vicibus suis agendi per eorum partes potestate.

Apud Frankenvort, in curia solemni, 17 aprilis.

(Edider. Senckenberg, *Corp. jur. feudalis*, p. 760. — Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 235.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et Sicilie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ceterisque ecclesiarum prelatis, marchionibus, comitibus, capitaneis, valvasoribus et nobilibus, potestatibus, consulibus seu rectoribus et communitatibus omnium civitatum et oppidorum, simul et rectoribus atque populo et universis per Lombardiam, Romaniolam et Tusciam atque per totam Italiam constitutis gratiam et bonam voluntatem suam. Post multas imperii perturbationes post obitum Heinrici patris nostri imperatoris sedatis Teutonicis seditionibus et pace ubique constituta, cum jam simus accepturi benedictionem imperialem, ut inde pro-

positum reformande pacis et unitatis et concordie, nobis et imperio admodum necessarie, per Lombardiam, Romaniolam, Tusciam seu totam Italiam firmiter habeatis, premittimus ad vos legatum nostrum a latere episcopum Spirensem et Metensem Conradum, nostre imperialis aule cancellarium, ut ipse fidelitates et alia jura a vobis recipiat et discordiis tollendis nobis viam planam faciat, quatenus adire ad coronam possimus. Notum facimus vobis quod huic legalem dedimus potestatem supponendi civitates, burgos, castra, villas, marchiones, comites, capitaneos et valvasores seu quoslibet per universam Italiam et partes ejus constitutos banno nostro et extrahendi; faciendi concessiones, penas etiam exigendi, conficiendi tabelliones, dandi possessiones et restituendi, habendi etiam jus animadvertendi in facinorosos necnon vicibus nostris agendi, prout commodum et honestum erit imperio; ratum habituri quicquid ille statuerit. Decernimus ne ab eo fiat appellatio. Mandamus etiam ut ei tanquam nobis obtemperetur.

Datum in Francfort in curia solemni, anno Domini M. CC. XX, XV kalendas maii.

Apud Francfort, 19 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, pro fide et devotione Ottonis Ultrajectensis episcopi, ei concedit licentiam in alio loco ubi voluerit infra territorium ejus theloneum de Gheyn sine impedimento locandi et constituendi.

(Edit. ap. ANT. MATTHAEUM, *De nobilit.*, lib. III, p. 830. Correctius vero ap. BONDAM, *Charterboek der Hertogen van Gelderland*, t. I, p. 322.)

Fredericus secundus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Regalis excellentie deposcit benignitas ut eos ampliori favore et gratia in agendis suis respiciamus, quos ad exaltationis nostre gloriam ferventes invenimus et fideles. Quapropter noverint universi fideles imperii presentes et futuri quod nos considerantes puram fidem

et ferventem dilectionem quam dilectus consanguineus noster Otto Trajectensis episcopus ad sublimitatis nostre promotionem constanter exhibet et est exhibiturus, de consueta majestatis nostre clementia damus et concedimus ei plenam auctoritatem et licentiam ut theloneum quod ex concessione imperatorum sive regum ab antiquo tenuit in loco qui Geyne dicitur, in alio sibi commodiore loco ubi voluerit infra territorium suum locet et constituat, et super hoc nullius unquam persone habeat impedimentum. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, hanc cartam inde conscribi jussimus et bulla nostra communiri.

Testes hii sunt : dominus Sifridus Mogontinensis archiepiscopus, dominus Enkelbertus Coloniensis archiepiscopus, dominus Theodericus Treverensis archiepiscopus, dominus Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, dominus Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Hugo Leodiensis episcopus, Theodericus Monasteriensis episcopus, Chuonradus Ratisponensis episcopus, Hartvicus Eistadensis episcopus, Ludewicus dux Bawarie, Heinricus dux Brabantie, Walrammus marchio Namurcensis, . . . marchio de Bathen, Gerardus comes Gelrensis, Willehelmus comes Hollandie, Theodericus comes Clivensis, Arnoldus comes de Los, Gerhardus comes de Are, Heinricus comes de Seyna, Otto comes de Tekeneburg, Hermannus de Lippia, Wernerus de Bonlant imperialis aule dapifer, Anselmus de Justinkin marscalcus, Heinricus et Hartwicus magistri coquine, Philippus de Bonlant, et alii quamplures fideles imperii.

Datum apud Frankevord, anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo vicesimo, tertio decimo kalendas maii, indictione octava. Data vero per manus domini Chuonradi Metensis et Spirensis episcopi, imperialis aule cancellarii.

Fridericus, Romanorum rex, ad petitionem Ottonis Ultrajectensis episcopi, privilegium ab avo suo Friderico primo imperatore civibus Ultrajectensibus concessum confirmat, quo theloneo exi- Apud Frankenfort, 19 aprilis.

muntur apud Werdam, sicut quondam apud Thiel exemptione fruebantur, excepto marino theloneo quod Zeetol dicitur.

(Edider. Heda, *Hist. episc. Ultraject.*, p. 212. — Pontanus, *Hist. Gelr.*, lib. VI, p. 126. — Mieris, *Charterboek der grafen van Holland*, t. I, p. 178. — Bondam, *Charterboek*, t. I, p. 320.)

Fridericus secundus, Romanorum rex, semper augustus, et Sicilie rex. Pium duximus et equissimum decernimus progenitoris nostri, videlicet divi imperatoris beate memorie domini Friderici avi nostri, factum solemne et benignum, suas quoque justissimas concessiones usquequoque ratas habere et inviolabiliter conservare; ipsis etiam robur regaliter prestare et firmamentum. Accessit sane ad presentiam majestatis nostre dilectus consanguineus noster Otto Trajectensis episcopus cum privilegio ecclesie sue a memorato imperatore domino Friderico solemniter in hunc modum concesso :

Fredericus, divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Nostri juris et misericordie est ut ex injuncto nobis a Deo supereminente dominationis officio injuriis gravatos liberemus et unicuique deputata jura in suo statu inviolabiliter conservemus. Noverit itaque tam presens etas quam futurorum posteritas quod cives Trajectenses ad nostre majestatis presentiam Thyle nullum pro quo gravabantur telonium se debere asseruerunt. Nos autem ad hujus rei veritatem cognoscendam scabinis nostris Thyle pro veritatis exquisitione ipsos transmisimus, quorum judicio et juramento prestito Trajectenses obtinuerunt se nullum apud Thyle debere thelonium, nisi de extranea regione et transmarinis partibus, quod vulgo vocant Overwiede Haff, navigando venerint. Preter hoc autem quocumque alio tempore Thyle venientes mensura modii et hame et pondere trutine indiguerint, de quolibet horum denarium unum persolvent. Quia igitur thelonium de Thyla consilio curie nostre apud Werdam transtulimus, sicut unicuique jus suum conservare tenemur, sic et Trajectensibus antiquam consuetudinem et justitiam conservatum esse decernimus. Ea propter justitiam quam apud Thylam quondam Trajectenses habuerunt, apud Werdam vel si forte in posterum a Werda in

alium locum telonium translatum fuerit, imperiali auctoritate perpetualiter eis confirmamus; ab omni telonio tam apud Werdam quam apud Thylam ipsos absolventes, excepto marino thelonio quod vulgo Zeetol dicitur (1).

Cum igitur clementie nostre tam pia concessio et decens bene placeat, ipsam ratam habemus et regali munificentia confirmamus; volentes quod hec eadem concessio de memorato telonio secundum formam privilegii prescripti inviolabili perpetuitate conservetur. Inhibemus etiam ne aliquis hominum contra hanc confirmationem nostram temere presumat venire; quod si quis attentaverit, decem libras auri purissimi, dimidiam partem imperiali fisco, reliquam vero sustinentibus injuriam pro satisfactione componat. Ad hujus autem rei confirmationem, presentem inde paginam conscribi et sigillo nostro insigniri precepimus.

Testes autem sunt : dominus Sifridus Moguntinensis archiepiscopus, dominus Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, dominus Theodoricus Treverensis archiepiscopus, dominus Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, dominus Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, Hugo Leodiensis episcopus, Theodoricus Monasteriensis episcopus, Conradus Ratisbonensis episcopus, Hartewicus Eistadiensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie, Henricus dux Brabantie, Walramus marchio Namurcensis, . . . marchio de Baden, Gerardus comes Gelrie, Wilhelmus comes Hollandie, Theodoricus comes Clivensis, Arnoldus comes de Los, Gerardus comes de Are, Henricus comes de Zeine, Otto comes de Tekeneburch, Harmannus de Lippia, Wernerus de Boland imperialis aule dapifer, Anselmus de Justing marescalcus, Henricus et Hartewicus magistri coquine, Philippus de Boland, et alii quamplures fideles imperii.

Datum apud Frankenfurt, anno Verbi incarnati M. CC. XX, XIII kalendas maii, indictione VIII. Data vero per manus domini Conradi episcopi Metensis et Spirensis, imperialis aule cancellarii.

---

(1) Desunt chronologicae notae, quae ita sunt : Datum ap. Trifels, 2 augusti 1174. Cf. BOEHMER, *Regest.*, p. 106, nº 333.

Apud Frankenfort, 19 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, decano et capitulo de insula Sancti Suiberti apud Kaiserswerd confirmat redditum ecclesiae de Brühl, quem eorum praepositus Philippus ad meliorationem eorum praebendarum liberaliter eis donavit.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 106, n° 334, ex codice Redinghovenii, ap. Monachium, t. VI, f. 93.)

Datum apud Frankenwurt, anno Domini M. CC. XX, XIII kalendas maii, indictione VIII.

Apud Frankenvurt, 19 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, fenestrarum reparationi, librorum innovationi, officinarum conservationi ecclesiae Aquensis providens, statuit ut haec ecclesia primo quartam partem oblationum trunci ante paradisum locati et postea medietatem ad id percipiat.

(Edidit LACOMBLET, *Urkundenb. für die gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 47, n° 84.)

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Notum sit omnibus presentem paginam inspecturis quod cum prepositus Aquensis, quicumque fuit hactenus pro tempore, ad fenestrarum ecclesie Aquensis reparationem, ad librorum qui usu deperirent innovationem, ad conservationem omnimodam officinarum de sue prepositure proventibus teneretur, et ex negligentia prepositi et suorum contigerit pluries ecclesiam in officinis suis gravem sustinere jacturam; nos ejusdem ecclesie desiderantes indempnitati cavere et utilitati prospicere, de consensu fidelis nostri Ottonis prepositi et capituli Aquensis

statuimus ut ad instaurationem predictorum ecclesia memorata quartam partem oblationum trunci ante paradisum locati, quamdiu capsa ad laudem Beate Virginis fabricatur, percipiat; qua perfecta, medietas preposito, reliqua vero medietas ecclesie cedat ex integro. Quod si forte oblationes respectu ejus valoris cujus nunc sunt, adeo contingat minorari, ut ad prenominata medietas oblationum non sufficiat, dictus prepositus vel ejus successor oblationi que pro tempore proveniet de suo tantum adjiciat ut ecclesia secundum Deum conservetur indempnis. Ut igitur hec nostra constitutio rata permaneat et inconvulsa, presentem paginam inde conscriptam sigilli nostri impressione fecimus communiri.

Datum apud Franckenwurt, anno Domini M. CC. XX, XIII kalendas maii.

Fridericus, Romanorum rex, statuit ut decimae vinearum in Sinzig, Aquensi ecclesiae attinentes, in locis ubi portiones ad dolia deferuntur integraliter persolvantur. Apud Frankenfort, 19 aprilis.

(Edid. CHRIST. QUIX, *Geschichte der Stadt Aachen*, cod. diplom., p. 95, nº 128.— Memorat. ap. LACOMBLET, *Urkund. für die gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 64, not. 3.)

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Ea que cultui divino, animarum saluti et ecclesiarum profectui perspicimus provenire, quanto nos divina clementia pre ceteris in arce temporalis dignitatis excellentius sublimavit, tanto propensius tenemur ampliare. Considerantes igitur ecclesiam Aquensem cui inter alias ecclesias speciali[us] tenemur, dampnificari non modicum, ex eo quod decime vinearum in Sintzge eidem ecclesie attinentes hactenus minus debite sunt solute, eo quod quilibet pro motu sue voluntatis infra vineas decimas ecclesie debitas vel minus plene dabat vel omnino subtrahebat, consuetudinem que in ecclesie dampnum et animarum evidens vergit detrimentum vo-

lentes penitus deponere, statuimus et sub obtentu gratie nostre firmiter precipimus ut quilibet decimam (*a*) solutis in locis qui Heggen vulgariter nuncupantur, ubi portiones suas ad dolia sua deferunt, ibi decimas ecclesie fideliter cum integritate persolvant; ad quod et alii qui per jumenta vel alio modo portiones suas deferunt, teneantur etiam astricti. Ut autem hec nostra constitutio rata et inconvulsa permaneat, presentem cartam inde conscriptam sigilli nostri impressione fecimus communiri.

Datum apud Frankenvort, anno Domini millesimo ducentesimo XX°, XIII kalendas maii.

Apud Frankenvort, 20 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, praeposito et capitulo Sancti Adalberti de Aquis concedit, propter damna quae sustinuerunt, ut sex praebendas vacantes retinere possint et bona remota pro vicinioribus et utilioribus commutare.

(Edid. CHR. QUIX, *Geschichte der Stadt Aachen*, cod. diplomat., p. 49, n° 72, ex chartul. S. Adalb.)

F. Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie, dilectis suis preposito et capitulo Sancti Alberti de Aquis gratiam suam et omne bonum. Quia veraciter intelleximus quod ex multa spoliatione advocatorum aliisque pluribus ex causis gravia dampna jamdiu sustineatis, adeo quod stipendium cujuslibet tam modicum sit quod inde nec etiam victum necessarium possit habere, conservationi vestre intendere cupientes, clementer indulgemus quatinus sex cum vacaverint non locatas prebendas retineatis, de quarum stipendiis reliqui fratres in sustentatione necessaria competens subsidium percipiant, usque dum dante Domino ecclesia vestra in aliis redditibus possit emendari. Ad hujus itaque rei promotionem, placet nobis ut si qua bona remote sita que vobis minus utilia sunt habetis, illa utili et sano consilio in alia que

(*a*) Verisimiliter autem legendum *decimani*.

vobis viciniora sint et utilitati vestre magis proveniant sive [per] emptionem et venditionem vel alio modo locare vel commutare valeatis; ita tamen quod jus nostrum et imperii salvum sit ac indempnitati redituum ecclesie quos nunc habet omnimodis provideatur, quod in nullo per vos (*a*) minorentur vel distrahantur.

Datum Frankenwort, XII kalendas maii.

Fridericus, Romanorum rex, burgensibus Wormatiensibus privilegium avi sui Friderici primi, datum Wormatiae 20 octobris 1156, renovat tam de libertate civitatis quam de administratione justitiae, statuitque Wernerum et Philippum fratres de Bolanden qui eisdem burgensibus auxilium et consilium praebeant. Apud Frankenvort, 20 aprilis.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 107, n° 338, ex MORITZ, *Ursprung von der freyen Reichs-statt Worms*, p. 156 et 159.)

Hujus rei testes sunt, etc. [*Iidem qui supra, nisi quod adduntur :* Otto Ultrajectensis episcopus, Heinricus dux Suevorum et rector Burgundie].

Datum apud Frankenvord, anno Domini M. CC. XX, XII kalendas maii, indictione VIII. Data vero per manus Conradi, etc.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Beatae Virginis situm in monte juxta Bopardiam in specialem protectionem suam recipit, eique omnia bona in presens et in futurum confirmat, jubens ut ab onere et servitio quolibet quietum et liberum permaneat. Frankenvort. 22 aprilis.

(*a*) In impresso *per nos*, male.

(Edidit WILH. GUNTHER, *Cod. diplomat. Rheno Mosellanus*, t. II, p. 140-141 (Coblentz, 1823). Sigillum cereum in tabulis describitur ad finem libri, n° II).

Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie. Ad eterni regni premium et temporalis vite decursum prosperiorem nobis proficere credimus, si loca Deo dicata promovemus et eorum paci studemus diligentius intendere. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris quod nos monasterium beate Marie Virginis, situm in monte (1) juxta muros Bobardie, in specialem majestatis nostre protectionem recepimus cum personis ibidem Deo servientibus; eique confirmamus omnia bona que nunc habet vel in posterum dante Domino poterit adipisci cum omni jure et utilitate ad ipsa pertinente vel que poterunt quocumque modo ad ea juste provenire; statuentes et firmiter precipientes ne aliqua unquam humilis vel alta persona jamdictum monasterium in personis aut rebus ad ipsum pertinentibus aliquo modo turbare vel gravare presumat vel aliquam exactionem, precariam vel aliam quamcumque, ipsis imponere, quia volumus quod ipsum monasterium cum omnibus personis et bonis que nunc habet vel in posterum poterit adipisci, ab omni data, onere et servitio quolibet quietum et liberum permaneat in perpetuum. Elemosinas quoque quas antecessores nostri Romanorum reges vel imperatores pro remedio animarum suarum ipsi monasterio beate Virginis Marie contulerunt, et nos simili modo in salutem anime nostre ipsi conferimus in perpetuum possidendas. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, presentem paginam inde conscriptam majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum Frankenwort, anno Domini M. CC. XX, X kalendas maii.

Apud Frankfort, in solemni curia, 23 aprilis.

Principes imperii pro omni discordia sopienda et pace totaliter

(1) Scilicet germanice *Marienberg*.

inter imperium et ecclesiam reformanda, sicut tempore Innocentii tertii Ecclesiae Romanae super privilegiis a Friderico rege ipsi datis consensum praebuerunt, ita nunc eadem approbant tam super facto imperii quam super facto regni Siciliae.

(Edider. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1274, § XI. — Lunig, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 873. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIX, p. 169. — Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 397; ex confirmatione principum data Lugduni, 6 junii 1274. — Nomina principum quae ibi desiderantur, nonnisi ex sigillis si modo supersint exhibere liceret.)

Nos principes imperii universis presentem paginam inspecturis. Ut tollatur de medio omnis materia scandali, dissensionis seu etiam rancoris occasio inter ecclesiam et imperium, et ii duo gladii in domo Domini constituti intime dilectionis federe copulati exurgant in reformationem universi populi christiani et merito mundo appareant in omnem exhibitionem justitie et veritatis illa duo magna luminaria posita in medio firmamenti, et nos in opere et voluntate filii inveniamur omni tempore devotionis et pacis, qui tam Ecclesiam quam imperium confovere tenemur ac etiam unanimiter gubernare; quicquid ipsi sancte Romane Ecclesie matri nostre factum est per dominum nostrum Fridericum, Dei gratia Romanorum regem, semper augustum, et regem Sicilie, per privilegia seu etiam scripta sua, pro omni discordia sopienda et evitanda in posterum et pro pace totaliter reformanda pariter et observanda, ut sit in omnibus eisdem omni tempore idem velle et idem nolle et nos bonorum operum sectatores feliciter gaudeamus nostri nomine principatus, sicut olim ad petitiones et preces necnon et mandatum predicti domini nostri regis Friderici tempore bone memorie domini Innocentii III pape, pro bono pacis ad omnia scandala evitanda, ipsi sancte Romane Ecclesie super privilegiis ipsius regis sibi datis nostram tum voluntatem prebuimus et consensum (1), sic nunc eamdem voluntatem et consensum nostrum noviter innovamus (2) et per omnia approbamus; et ut hec nostra vo-

(1) Cf. litteras Ludovici Bavariae ducis, ad suum locum supra memoratas, p. 319 et not. 1.
(2) Scilicet super privilegio et juramento denuo apud Hagenowe, septembri 1219, editis.

luntas et approbatio sive renovatio a nobis ipsi sancte Romane Ecclesie in perpetuum observentur, ut liqueat in effectu in testimonium illi et ad perpetuam memoriam nostri, hoc presens scriptum inde fieri fecimus nostrorum sigillorum munimine roboratum, super omnibus privilegiis ab ipso rege usque nunc sibi datis et etiam adhuc dandis, tam super facto imperii quam super facto regni Sicilie; ita quod imperium nihil cum dicto regno habeat unionis vel alicujus jurisdictionis in ipso (1).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XX.

Datum apud Frankenfort in solemni curia, IX kalendas maii, indictione VIII.

Apud Frankenfort, 25 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, subcantori et capitulo capellae suae Panormi iterato et firmiter mandat ut Gualfredo, nepoti Messanensis archiepiscopi, cui cantoriam ipsius capellae concessit, in omnibus justitiis ejus et rationibus intendant.

(Edit. ap. *Tabular. reg. ac imper. capellae divi Petri*, p. 43, n° 24, ex MSS. Anton. Amici. Mendose vero ad ann. 1205 reponitur.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, succentori et capitulo sacre regie cappelle Panormi fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Fidelitatem vestram bene scire credimus qualiter nos cantoriam ipsius cappelle nostre Panormi Gualfredo, nepoti venerabilis Messanensis archiepiscopi (2) dilecti familiaris nostri, et clerico nostro benigne concessimus et serenitatis nostre litteras super hoc vos jam credimus recepisse (3). Verum sicuti auribus nostris innotuit, de

---

(1) Nunc agitur de privilegio apud Hagenowe renovato, 10 februarii 1220.

(2) Mongitore ap. Pirrum, *Sicil. sacra*, t. II, p. 1360, non inspecto isto documento, perperam arbitratur Gualfredum istum eumdem esse qui in diplomate Nicolai I, archiepiscopi Messanensis, anno 1176 se testem subscripsit.

(3) Vide supra p. 698, 699.

dicta cantoria integre sibi minime respondetis; devotioni vestre iterato damus firmiter in mandatis quatenus dicto Gualfredo clerico et fideli nostro tanquam vestro cantori benignius intendentes, in omnibus justitiis et rationibus eidem cantorie spectantibus debito honore et reverentia intendatis et respondeatis; mandatum nostrum taliter implentes ut devotionem vestram exinde merito commendemus.

Datum apud Franchenfort, XXV aprilis, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, in favorem principum ecclesiasticorum, sibi hactenus et nunc in electione filii sui Heinrici in regem assistentium, generali privilegio quaedam gravamina eorum tollit, circa spolia, thelonea et monetas, circa homines ecclesiarum et feoda earum, circa excommunicatos, etc.

Apud Frankenfort, 26 aprilis.

(Hoc privilegium omnibus praelatis concessum sub forma generali, diverse ex diversis exemplaribus impressum habetur ap. HEDA, *Histor. episc. Ultraject.*, p. 193 et 201.— LUNIG, *Pars gener. continuat.*, t. II, p. 145, et *Spicileg. eccles.*, I Theil, p. 169.— SCHANNAT, *Hist. Wormat.*, probat., p. 101, 103.— SENCKENBERG, *Corp. jur. feudal.*, p. 547-549, num. 13. — GOLDAST., *Constit. imper.*, t. III, p. 657. — BONDAM, *Charterboek*, t. I, p. 331-333. — *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 96-99, n° DCXLIX. — GELEN, *De Engelberto*, p. 202.— WOLCKERN, *Hist. Norimb.*, p. 36.— FALCKENSTEIN, *Cod. Nordgav.*, p. 62. — HONTHEIM, *Hist. Trevir.*, t. I, p. 657.— GUDEN, *Codex diplomat.*, t. I, p. 469.— WURDTWEIN, *Subsid. diplomat.*, t. IV, p. 401. — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 235; cujus collationem accurate factam nunc secuti sumus. Bullae aureae quae pluribus exemplaribus appendebat effigies apud Hedam in Buchelii notis exhibetur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, omnibus in perpetuum. Digna recolentes animadversione quanta efficacia et fide dilecti fideles nostri principes ecclesiastici nobis hactenus astiterint, ad culmen

imperii nos promovendo, promotos in ipso firmando et demum filium nostrum Heinricum in regem sibi et dominum benevole atque concorditer eligendo (1); censuimus eos per quos promoti sumus semper promovendos, et per quos firmati sumus una cum ipsorum ecclesiis semper fore nostra defensione contra noxia queque firmandos. Igitur quia in eorum gravamina quedam consuetudines, et ut verius dicamus abusiones, ex longa perturbatione imperii que per Dei gratiam nunc quievit et quiescit inoleverant, in novis theloneis, in monetis que se invicem ex similitudinibus imaginum destruere consueverant, in guerris advocatorum, et aliis malis quorum non est numerus; statutis quibusdam eisdem abusionibus obviavimus : primo promittentes quod nunquam deinceps in morte cujusquam principis ecclesiastici reliquias suas fisco vendicabimus; inhibentes etiam ne laicus quisquam aliquo pretextu sibi eas vindicet, sed cedant successori si antecessor intestatus decesserit; cujus testamentum si quod inde fecerit volumus esse ratum. Si quis vero contra hanc constitutionem reliquias sibi vendicare presumpserit, proscriptus et exlex habeatur et feodo sive beneficio si quod habet permaneat destitutus. Item nova thelonea et novas monetas in ipsorum territoriis sive jurisdictionibus eis inconsultis seu nolentibus non statuemus de cetero; sed antiqua thelonea et jura monetarum eorum ecclesiis concessa inconvulsa et firma conservabimus et tuebimur; nec ipsi ea infringemus nec ab aliis ledi permittemus modis aliquibus, utpote monete turbari et vilificari solent similitudinibus imaginum, quod penitus prohibemus. Item homines quocumque genere servitutis ipsis attinentes, quacunque causa se ab eorum obsequiis alienaverint, in nostris civitatibus non recipiemus in eorum prejudicium, et idem ab ipsis inter se eisque a laicis omnibus inviolabiliter volumus observari. Item statuimus ne quis ecclesiam aliquam in bonis suis dampnificet occasione advocatie eorundem bonorum; sed si dampnificaverit dampnum in

(1) Nunc prima vice Heinricus cum titulo regis Romanorum electi in instrumentis memoratur. Cum autem vicesimo die hujus mensis dux Suevorum et rector Burgundiae adhuc sit vocatus, necesse fit ut sub isto intervallo electio celebrata fuerit; verisimiliter etiam 23 aprilis, eo ipso die, ut censuit Boehmerus, quo principes reversalibus ad papam litteris se subscripserunt.

duplo restituat et C marcas argenti camere nostre solvat. Item si aliquis eorum vassallum suum qui eum forte offendit, jure feodali convenerit et sic feodum evicerit, illud suis usibus tuebimur; et si ipse feodum de bona et liberali sua voluntate nobis conferre voluerit, recipiemus amore vel odio non obstante. Quocumque autem modo sive etiam ex morte infeodati, principi ecclesiastico feodum aliquod vacare contigerit, illud auctoritate propria immo violentia nullatenus invademus, nisi de bona voluntate liberalique concessione sua potuerimus obtinere, sed cum effectu suis usibus studebimus defensare. Item sicut justum est excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis viva voce vel per litteras eorum vel per honestos nuncios fide dignos nobis denunciati fuerint, vitabimus et nisi prius absolvantur, non concedemus eis personam standi in judicio; sic distinguentes quod excommunicatio non eximat eos a respondendo impetentibus, sed sine advocatis; perimat autem in eis jus et potestatem ferendi sententias et testimonia et alios impetendi. Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis, excommunicationem si excommunicatos in ea ultra VI septimanas perstitisse predictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscriptio subsequetur, non revocanda nisi prius excommunicatio revocetur. Sic utique aliisque modis omnibus justo videlicet et efficaci judicio ipsis prodesse atque preesse firmiter compromisimus, et ipsi versa vice fide data promiserunt quod contra omnem hominem qui tali nostro judicio ipsis exhibendo violenter restiterit, nobis pro viribus suis efficaciter assistent. Idem constituimus ut nulla edificia, castra videlicet seu civitates, in fundis ecclesiarum, vel occasione advocatie vel alio quoquam pretextu construantur; et si qua forte sunt constructa contra voluntatem eorum quibus fundi attinent, diruantur regia potestate. Item inhibemus ad imitationem avi nostri felicis memorie imperatoris Friderici ne quis officialium nostrorum in civitatibus eorumdem principum jurisdictionem aliquam sive in theloneis sive in monetis seu in aliis officiis qualibuscunque sibi vendicet, nisi per VIII dies ante curiam nostram ibidem publice indictam, et per VIII dies post eam finitam; nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere presumant jurisdictionem principis et consuetudines civitatis. Quotienscunque autem ad aliquam

civitatem eorum accesserimus sine nomine publice curie, nichil in illa juris habeant, sed princeps et dominus ejus plena in ea gaudeat potestate. Sane quanto fidem ampliorem predictorum principum circa nos intelleximus, tanto excellentius eorum profectibus semper intendimus prospicere. Et quoniam acta hominum oblivio inimica memorie per longam temporum evolutionem sepelire solet, diligentia vigilantiori adhibita hec nostre gratie beneficia ecclesiis impensa perpetuari volumus. Statuentes ut heredes nostri et successores [in] imperio ea rata conservent et exequantur et faciant in subsidium ecclesiarum a laicis universaliter observari. Et ut futuris innotescant et a presentium non excidant memoria sive notitia, ea fecimus huic pagine annotari et paginam subnotatione nominum eorum qui interfuerunt, principum videlicet, et sigilli nostri munimine insigniri.

Testes hii sunt : Sifridus Mogontinus archiepiscopus, Theodoricus Treverensis archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Cuonradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Ekebertus Babenbergensis episcopus, Cuonradus Ratisponensis episcopus, Hartwicus Eihstetensis episcopus, Heinricus Wormatiensis episcopus, Otto Trajectensis episcopus, Theodoricus Monasteriensis episcopus, Hwardus (Hugo) Leodiensis episcopus, Engelhardus Niwenburgensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus, H. Havelbergensis episcopus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie (*Monogramma*).

Ego Chuonradus Metensis et Spyrensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Mogontini archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XX°, indictione VIIII, regnante domino Friderico secundo Romanorum et Sycilie rege glorioso, anno regni ejus in Germania VIII°, in Sycilia vero XXIII° (1).

Data aput Frankenfort, VI° kalendas maii, indictione prescripta.

---

(1) Indictio et annus regni Siculi unitate abundant. Una enim VIII legi debet, alter XXII, dum vicesimus tertius annus non ante diem 17 maii sequentis initium capere potuerit.

Fridericus, Romanorum rex, qui imaginem monetae Nurembergensis secundum imaginem monetae Ratisponensis fieri prius permiserat, nunc in gratiam civitatis Ratisponensis et totius Bawariae hoc fieri prohibet, perpendens damna gravissima, quae ejusmodi similitudinibus proveniunt.

Apud Frankenfort, 26 aprilis.

(Editum in Ried, *Cod. diplom. Ratisb.*, t. I, p. 324, num. 341, et in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 94-95, num. DCXLVIII, ex originali in archivo civit. Ratisbonae.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sycilie, omnibus in perpetuum. Quia frequenter edictum speciale serpere solet in detrimentum universitatis et quod statuitur ad tempus observatur in evum, indempnitati omnium atque singulorum secundum equitatis normam prospecturi, nihil quod equitati obviet et fidelibus nostris dampnum seu gravamen subroget statuere volumus; immo taliter a nobis vel a quocumque statutum irritare semper studebimus, maxime cum de majestatis nostre gremio non solum emanare non debeat quicquam juri contrarium, verum limes equitatis et justitie a nobis cum decenti districtione summo firmitatis robore ampliari. Sane inducti ipso equitatis zelo ac prece obsequiisque dilectorum consanguineorum et fidelium nostrorum Chuonradi venerabilis episcopi Ratisponensis et Lodewici illustris comitis palatini Reni ducis Bawarie, imaginem monete Nurembergensis quam secundum imaginem monete Ratisponensis fieri permiseramus, immo statueramus, omitti et deleri fecimus; statuentes ne de cetero neque temporibus nostris neque postea aput Nurenberch moneta fiat que contineat imaginem similem imagini monete Ratisponensis, sed aliam ab ista tam alienam ne aliqua similitudo imaginum contuentibus de ipsis ingerat ambiguitatem. Idem quoque districte inhibemus per omnes civitates Bawarie sub pena severe ultionis, nolentes alios fovere in injuriis a quibus ipsi desistimus,

maxime cum in talibus similitudinibus et tamquam idemptitatibus monetarum dampna lateant universalia, et ex ipsis generalius proveniat dispendium provinciis et hominibus quam ex gwera vel causa aliqua temporis sive aeris particulari. Ut autem hujus nostre gratie beneficium tam prefatis fidelibus nostris et eorum successoribus et civitati Ratisponensi quam etiam toti Bawarie ratum permaneat in perpetuum et irrevocabile ab omnibus nostris heredibus et successoribus in imperium, presentem paginam inde conscribi fecimus eamque subnotatione testium et nostri sigilli (1) munimine roborari.

Testes hii sunt : Sifridus Moguntinus archiepiscopus, Theodoricus Treverensis archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Albertus Meideburgensis archiepiscopus, Hugo Leodiensis episcopus, Ekebertus Babenbergensis episcopus, Hartwicus Eihstetensis episcopus, Otto Trajectensis episcopus, Heinricus Wormatiensis electus, Engelhardus Niwenbergensis episcopus, Heinricus Basileiensis episcopus, Heinricus dux Brabantie, Heinricus de Niffen, Anshelmus marscalcus de Justingen, Chuonradus de Werde et Volricus de Leren aule nostre regie camerarii, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi, et regis Sycilie. (*Monogramma.*)

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XX, indictione VIIII[a], regnante domino Friderico secundo, Romanorum et Sycilie rege glorioso, anno regni ejus in Germania VIII°, in Sycilia vero XXIII° (2).

Data aput Frankenfort, sexto kalendas maii, indictione prescripta.

---

(1) Notandum quod, licet in ipso instrumento nulla bullae aureae mentio fiat, bullam auream appendisse adhuc annis 1815 ac 1823 testantur novissimi scriptores Ried in *Cod. diplom. Ratisb.*, t. I, p. 326, et de Lang, in *Regest. Boic.*, t. II, p. 104. Anno 1834 jam fuerat avulsa, remanentque tantum fila serica viridis ac rubri coloris.

(2) Vide supra p. 768, not. 1.

Fridericus, Romanorum rex, Henrico duci Lotharingiae feudum, sicut a Philippo Romanorum rege tenebat, concedit, cum sexaginta plaustris vini tam apud Bopardiam quam apud Alsatiam percipiendis. Apud Francfort, in solemni curia, 29 aprilis.

(Edit. ap. BUTKENS, *Trophées du Brabant*, preuves, t. I, p. 65. — LUNIG, *Cod. Germ. diplom.*, t. II, p. 1089.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus ad quorum notitiam presens pagina pervenerit salutem et suam gratiam. Notum facimus quod pensatis meritis et inspecto diligenti servitio fidelis principis nostri Henrici ducis Lotharingie, communi consilio principum et voluntate, concessimus eidem tale feodum quale a predecessore nostro felicis recordationis Philippo Romanorum rege tenebat et per ejus patentes litteras (1) habebat confirmatum. Sexaginta vero plaustra vini que a nobis tenet in feudum pro medietate recipiet apud Bopardiam, pro alia medietate apud Alsatiam; inhibentes firmissime ne quis contra hanc nostre concessionis paginam ausu temerario venire presumat. Quod si quis eumdem super jamdictis vexaverit aut quidquid molestie intulerit, sciat offensam regie majestatis se incursurum.

Testes sunt : Moguntinus, Trevirensis et Coloniensis archiepiscopi et cancellarii imperii, palatinus dux Bavarie, lantgravius Thuringie, comes Hollandie, marescallus imperii, Wernerus (*a*) dapifer, Philippus de Bollandia, et alii complures.

Datum apud Frankefort in solenni curia, III kalendas maii, anno M. CC. XIX (2).

(*a*) Ap. Butkens *Wilhelmus*, male.

---

(1) Hoc privilegium pluries editum datum est Confluentiae, 12 novembris 1204. Cf. BUTKENS, opere citato, p. 55, et MIRAEUS, *Oper. diplomat.*, t. III, p. 75.

(2) Sic in chartulario quod dicitur *Registres de Brabant*. Annum vero, in originali omissum, ex amanuensis arbitrio nunc additum fuisse credimus.

Apud Frankenford, in solemni curia, 29 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, nulli hominum in villa Volne et appenditiis jus recognoscit nisi principi suo Henrico duci Lotharingiae.

(Edid. Butkens, *Trophées du Brabant,* t. I, p. 66.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus ad quorum notitiam hec pervenerint salutem et suam gratiam. Notum facimus universis quod in villa que Voelne nuncupatur cum appenditiis nulli hominum jus recognoscimus, nisi fideli principi nostri Henrico duci Lotharingie. Si quis vero super predictis ipsum inquietare presumpserit, sciat se majestati regie contraire. Et ut hec nostra recognitio eidem prosit in posterum, presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Datum in solemni curia apud Frankenforde, tertio kalendas maii, M. CC. XIX (*a*).

Apud Frankenvort, in solemni curia, 30 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, ex generali sententia in curia sua lata notum facit se comiti Gelriae nullam warandiam thelonei vel monetae facere, inhibens ne apud Arnheim, Osterbeck, Lobbede vel in quocumque loco super Rhenum de theloneo seu moneta se intromittat.

(Edider. Matthaeus, *De nobilit.,* p. 219. — Dumbar, *Histor. Daventr.,* t. I, p. 458. — Bondam, *Charterboek,* t. I, p. 333. — Gelen, *De Engelberto,* p. 206. — Pertz, *Monum. Hist. Germ.,* t. IV, p. 237.)

Fredericus, Dei gratia secundus Romanorum rex, semper augustus et

(*a*) Vide supra quod ad praecedens notavimus.

rex Sicilie. Omnibus ad quos presens scriptum pervenerit in perpetuum, notum fieri volumus quod nobis apud Frankenvort in curia solempniter indicta in judicio presidentibus, talis data est sententia et a principibus approbata quod nullam auctoritatem seu warandiam thelonei vel monete in dampnum sive prejudicium alicujus prestare possimus. Cum igitur super theloneo et moneta que nobilis vir comes Gelrie se asserit tenere a nobis, querimoniam non modicam audiverimus, significamus universis quod nullam warandiam thelonei vel monete ei facimus; regia majestate firmiter inhibentes ne vel theloneo apud Arnhem vel Oesterbeke sive Lobedde vel in quocumque loco super Renum vel moneta aliqua de cetero se intromittat, non obstante eo quod se warandiam dicit habere nec obviantibus literis aliquibus a nobis vel nostris antecessoribus impetratis.

Datum apud Frankenvort in curia nostra solempniter indicta, II kalendas maii.

Fridericus, Romanorum rex, Engelberto Coloniensi archiepiscopo mandat ut juxta sententiam in curia sua latam, comiti Gelrensi praecipiat ne iste ullum teloneum ab Arnheim, Osterbeck, Lobbede vel in quocumque loco super Rhenum deinceps accipiat.

Apud Frankenfort, in solemni curia, 30 aprilis.

(Edider. HEDA, *Hist. episc. Ultraject.*, p. 197.— BONDAM, *Charterboek*, t. I, p. 333. — GELEN, *De Engelberto*, p. 206.— PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 238.)

Fredericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, fideli et dilecto principi suo E. sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopo gratiam suam et omne bonum. Nobis apud Franckenvorde in curia solemniter indicta judicio presidentibus, data talis est sententia et a principibus approbata quod nullam auctoritatem thelonei sive warandiam in damnum vel prejudicium alicujus prestare possimus. Cum igitur super teloneo quod nobilis vir comes Gelrensis se asserit tenere a nobis, querimoniam non modicam audiverimus, regia majestate tibi man-

damus quatenus auctoritate nostra et sub obtentu gratie nostre eidem comiti firmiter precipias ut nullum teloneum ab Arnhem vel Oesterbeke seu Lobbede vel in quocumque loco super Rhenum deinceps accipiat, non obstante aliqua warandia, si quam se dicit habere, nec literis aliquibus obviantibus a nobis vel successoribus nostris impetratis.

Datum apud Frankenforde in curia nostra solemniter indicta, II kalendas maii.

Apud Francfort, 30 aprilis.

Fridericus, Romanorum rex, cantori et capitulo capellae suae Panormi districte mandat ut Jacobo de Calatagirone notario et fideli suo primam vacantem praebendam in ipsorum ecclesia conferre debeant.

(Edit. ap. *Tabular. reg. ac imper. capellae divi Petri*, p. 44, n° 25, ex MSS. Anton. Amici. Mendose vero ad ann. 1205 reponitur.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, cantori et universo capitulo cappelle Panormi fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Recolit excellentia nostra jampluries dedisse vobis per nostras litteras in mandatis ut Jacobo de Calatagirone notario et fideli nostro primam vacantem prebendam in ecclesia vestra conferre deberetis, omni difficultate remota. Quod utrum mandatum nostrum super hoc exequistis (*sic*), penitus ignoramus. Unde fidelitati vestre iterato districte precipiendo mandamus quatinus, [si] prebenda aliqua in dicta cappella ad presens vacari contigerit vel quam cito vacaverit, ipsam prememorato notario et fideli nostro debeatis conferre, qualibet contradictione ac difficultate cessante; mandatum nostrum super hoc taliter exequentes ut de cetero vobis scribere non cogamur et devotionem vestram proinde merito commendemus.

Datum apud Frankenfort, ultimo aprilis, indictionis VIII.

Riccardus camerarius regis ad capitulum regiae capellae scribit pro eodem.

(*Ibidem*, p. 44, n° 26, ex eod. codice.)

Dilectis tanquam fratribus et amicis charissimis, universo capitulo regie cappelle Panormi, Riccardus domini regis camerarius salutem et pure sinceritatis affectum. Probitatis et discretionis vestre litteras animo jucundo recepimus et earum tenorem pleno perpendimus intellectu et super negotia vestra talem adhibuimus curam cum studio sollicito quod per exhibitionem operum poteritis plenius edoceri; et sciatis quod voluntatis et propositi nostri talis est vos et negotia vestra tanquam propria procurare et pertractando perducere plenius ad effectum. Preterea ad hoc ut sincere dilectionis vestre linea nobiscum firmiter roboretur, preces vobis pangimus copiosas, rogantes attente ut super factum notarii Jacobi de Calatagirone, cujus devotio nobis habitat intrinsecus, sicuti dominus noster rex per suas litteras vobis mandat, taliter discretionis vestre studium cum opera apponatis efficace, quod per studium vestrum protinus capiat incrementum et dilectio quam in nos geritis in jamdicto notario Jacobo plenius reveletur. Sciatis pro certo quod si in hoc preces nostras audieritis pariter et mandata regia mandabitis executioni, gratum plurimum et acceptum curie residebit, et ecclesie vestre negotia pariter et vestra poterunt de bono in melius augmentari, et ad effectum, cum idem notarius Jacobus domino regi et nobis gratus existat, plenum perduci.

Fridericus, Romanorum rex, confirmat sententiam contra Armannum de Campo et fratres ejus et homines loci de Belbono, Bregusio et Bondo pro canonicis majoris ecclesiae Veronensis latam, prohibens ut nullus contra illam venire praesumat. Apud Frankenfort, aprili.

(Inedit. ex arch. capituli maj. eccl. Veron., in lib. chartac. privileg., fol. 155.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sici-

lie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod canonici majoris ecclesie de Verona, fideles nostri, majestati nostre humiliter supplicarunt ut sententiam contra Armannum de Campo et fratres ejus et homines loci de Belbono et de Bregusio et de Bondo pro ipsis latam nostra dignaretur serenitas confirmare. Nos autem videntes quia eorum peticio equitati et justitie inherebat, predictam sententiam, sicut juste et rationabiliter lata est, duximus de nostra gratia confirmandum, prohibentes et sub pena gratie nostre firmiter injungentes ut nullus de cetero contra ipsam sententiam venire presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostram et penam quinquaginta librarum auri se senciat graviter incursurum, medietatem camere nostre et aliam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus autem rei memoriam, presentem paginam inde scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum apud Frankonfort, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense aprilis, indictione octava.

Apud Frankenfort, 1° maii.

Fridericus, Romanorum rex, scribit Presbytero judici Mantuano se confirmavisse sententiam pro canonicis majoris ecclesiae Veronensis latam a Rufino de Porta Placentino, imperialis curiae judice, contra Armannum de Campo, fratres ejus et homines loci de Belbono, de Bregusio et de Bondo.

(Inedit. ex eod. archivo, *ibidem*, fol. 156.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, fideli suo Presbitero judici Mantuano gratiam suam et bonam voluntatem. Presenti scripto tibi notum facere curavimus quod nos justis precibus canonicorum majoris Veronensis ecclesie annuentes, confirmavimus sententiam latam a Rufino de Porta Placentino, imperialis curie judice, pro majori ecclesia Veronensi et dictis canonicis contra Armannum

de Campo et fratres ejus et homines loci de Belbono et de Bregusio et de Bondo, super eo quod deberent mitti in possessionem predictorum locorum, tam jurisdictionis quam etiam locorum. Mandamus itaque tibi precipiendo quatenus dictam sententiam secundum juris ordinem executioni mandare procures auctoritate nostra.

Datum apud Franchumfurt, kalendis maii, indictione VIII[a].

Fridericus, Romanorum rex, universitatem civium suorum Tremoniensium (Dortmund) in sua protectione suscipit, privilegia eorum confirmat, et eos ab omni theloneo seu exactione in negotiationibus suis per totum Romanum imperium eximit. Apud Francfort, 1° maii.

(Edit. ap. LUNIG, *Reichsarchiv,* t. XIII, p. 441. — THIERSCH, *Der Hauptstuhl zu Dortmund,* p. 70.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Decet regalem clementiam ut ii quos in progenitorum nostrorum et imperii obsequiis ferventes experti sumus et fideles extitisse, a nobis pro labore suo dignam accipere retributionem debeant. Quapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse volumus quod nos, attendentes fidem et devotionem quam universitas Tremoniensium civium erga progenitores nostros Romanorum imperatores et reges semper habuit, considerantes quoque grata obsequia que ipsi cives nobis exhibuerunt laudabiliter et in antea poterunt exhibere, ipsos cum personis rebusque sub nostram et imperii specialem recepimus protectionem, privilegia ab ipsis progenitoribus nostris Conrado rege et Friderico imperatore avo nostro obtenta innovantes, et jura in eis indulta ex certa scientia corroborantes. In primis siquidem regia benignitate ipsis civibus et omnibus eorum posteris concedimus et perpetuo confirmamus ne alicui ipsos super prediis et eorum personis impetenti extra civitatem nostram respondere cogantur, nec coram alieno judice

trahantur in causis, sed tantum in civitate nostra in presentia comitis qui pro tempore fuerit vel judicis sui provide respondeant. Preterea cum ipsi cives necesse habeant cum mercimoniis suis ad diversa provinciarum loca sepius transmeare et suas negotiationes exercere, ne perversorum hominum graventur injuriis, statuimus et illud jus indulgemus ne quis injusta occasione quicumque per limites Romani imperii profecti fuerint per duellum eos impetere possit. Ad uberioris quoque gratie nostre qua predictos cives nostros complectimur indicium, quia nunquam antiqua jura eorum infringere, sed potius volumus conservare, concedimus eis et permittimus ut, sive per mare sive per terram cum negotiationibus suis necesse habeant proficisci, ab omni telonio et aliis indebitis exactionibus ad perpetuum liberi sint et absoluti per totum imperium nostrum. Statuimus igitur et regia auctoritate districte precipimus ne aliqua persona humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, aliquod ab ipsis civibus telonium exigere vel accipere presumat aut jura eorum infringere seu aliquatenus eis obviare. Quod qui fecerit, in vindictam sui reatus centum libras auri examinati componet, dimidium camere nostre et reliquum passis injuriam persolvendum. Ad hujusmodi etiam concessionis et confirmationis nostre memoriam, hanc paginam conscriptam sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Moguntinus archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Theodoricus Trevirensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, . . . imperialis aule cancellarius, Conradus Ratisbonensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie, palatinus comes Rheni, Henricus dux Brabantie, Ludovicus landgravius Thuringie, Henricus comes Ascanie, Wilhelmus comes Hollandie, Hermannus marchio de Baden, comes Hermannus de Wirtenberg, Anshelmus marschallus de Justingen, Conradus pincerna de Schiphen (*a*), Wernerus dapifer de Bonlandia, Philippus frater ejus, et alii quamplures.

Datum apud Franckeforde, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, kalendis maii, indictione octava.

(*a*) Ap. Lunig *de Strapelan*, pessime.

Fridericus, Romanorum rex, privilegium Herbipolensis episcopi inserendo confirmat, quo Gotefridus et Conradus de Hohenloch, postquam de donationibus a fratribus suis Andrea, Henrico et Friderico de Hohenloch domui Theutonicorum factis quaestionem indebitam movissent, saniori moti consilio quaedam propria bona sua praedictae donationi addiderunt, et sub poena feudorum suorum firmam conventionem se habituros promiserunt. Apud Frankenfurt, maio.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgartensi, unde appendet sigillum cereum rubeum, ex filis sericis viridis, flavi et amaranthini coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Licet Regi regum pro gratia quam fidelibus misericorditer elargitur nec reges possint nec principes condignis servitiis respondere, tamen et invigilandum est eis et studiis fidelibus intendendum ut in quibuscumque possunt munificentie divini culminis obsequantur. Ea igitur consideratione inducti, religionem sacre domus hospitalis Sancte Marie Teutonicorum attendentes, privilegium Herbipolensis episcopi qualiter Andreas de Hohenloch ad honorem beate Virginis in servitium ejusdem hospitalis se transtulit et de bonis suis plura cum fratribus suis habita conventione donavit, presenti privilegio confirmamus, tenorem privilegii ejusdem episcopi huic nostro privilegio inserentes :

Otto, Dei gratia Herbipolensis episcopus. Ut laudabilibus et rite consummatis fidelium actibus nulla se oblivionis et retrectationis ex fluxu temporum ingerat dubietas, ad roborandam perpetuam eorum firmitatem efficax et auctorabile scriptorum requiritur testimonium et munimen. Noverit igitur omnium tam presentium etas quam futurorum successura posteritas quod cum dilecti nostri Andreas et fratres sui Heinricus et

Fridericus de Hohenloch, secundum conventionem inter ipsos et fratres eorum Gotefridum et Cunradum factam et ab eisdem fratribus Gotefrido et Cunrado sacramento prestito compromissam, se ipsos cum proprietatibus suis, secundum quod in incliti domini nostri regis Friderici et nostro privilegio continetur, domui beate Virginis in Ierusalem transmarine que Teutonicorum dicitur, Sancti Spiritus inspirante gratia, dedidissent, predicti fratres Gotefridus et Cunradus predicte domus magistro et fratribus super jamdictorum privilegiorum veritate et aliis quibusdam eorum promissionibus sub juramento ipsorum comprehensis, in nostra et capituli nostri immemores facti sui moverunt presentia questionem. Postmodum nichilominus saniori moti consilio et habito prudentum consilio, omnia predicte domus privilegia tam per inclitum dominum nostrum regem Fridericum quam per nos data et propriis ipsorum etiam sigillis insignita liberaliter approbantes, eadem vera esse secundum omnem suam continentiam affirmarunt; cunctis etiam promissionibus quas predicta continent privilegia sub juramento se debere et velle teneri coram nobis et capitulo nostro multisque ministerialibus et civitatis nostre burgensibus publice sunt confessi; et ut amicitia et gratia sinceriori integre cum predicte domus fratribus unirentur, omnem suam portionem in silva Brettenloch, cujus idem fratres ante partem habuerant, liberam et integram predicte domui totaliter reliquerunt; omnia etiam feoda que de proprietate Mergentheim a quibuscumque tenentur penitus abdicantes, taliter proposuerunt ut eadem cunctis postmodum evis a domo Teutonica teneantur. Preterea cum antea sub pena feodorum suorum que ab imperio et a nobis tenent, privilegia prefata et promissiones pretaxatas sub juramento se ratas habituros promisissent, iterato ad confirmandam priorum stabilitatem, sub pena omnium proprietatum suarum tam hominum militaris vel rustice conditionis, castrorum, villarum, quam omnium aliorum que in imperio et in episcopatu Herbipolensi habent, sub juramento et fide data cum melioribus suis hominibus, Gernodo de Zimbern, Hildebrando de Hohenloch, constanter et fideliter promiserunt quod ad omnia tam in privilegiis quam in promissionibus dicta et facta rata servanda firmitate stabili tene-

buntur. Quamlibet nichilominus adhuc certitudinem que ab ipsis requisita fuerit prebituri, hoc addito quod si ex ipsorum negligentia, sicut predictum est, proprietates eorum et feoda ad imperium vel episcopatum devolventur, nunquam eis debent a domino imperii vel ab episcopo restitui vel represtari, nisi monitione magistri domus Teutonice vel rogatu. Ad omnium quoque predictorum firmam observantiam seu a magistro domus seu a quocunque fratrum domus si necessitas exigit commoniti fuerint, et infra tres menses post commonitionem de singulis predictis non satisfecerint, pene perditorum tam feodorum quam proprietatum et hominum sicut prescripsimus subjacebunt. Ut autem predictorum veritas stabili in perpetuum vigeat firmitate, nos tam Gotefrido quam Conrado rogantibus presentem super eis chartam conscribi et tam nostro quam eorum et aliorum que appensa sunt sigillis fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Waldebero abbas Sancti Burchardi, Iringus decanus, Willehalmus novi monasterii decanus, Theodericus prepositus in Houge, Arnoldus prepositus in Onoldispach, Thegenhardus scolasticus, Heinricus custos, Fridericus cantor, Albertus cellerarius, Gerungus de Enkerspge; laici, Siboto de Ezelenhusen, Heinricus de Salhach, Heinricus de Telheim scultetus, Berengerus frater suus, Marquardus Herbest et frater suus Rudegerus, Cunradus Oberti, Bertoldus de Mogo, Heinricus Wolfmari, Heinricus de Wirceburc, Arnoldus de Ufhoven, Hartmodus de Lindenloch, Rappoto, Cunradus et Bertoldus de Hohenloch, Arbertus Vulpes, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, indictione octava, XVIII kalendas maii, anno pontificatus nostri XIII.

Nos itaque ad omnia predicte domus commoda majestatis regie gratiam pro affectu favorabiliter inclinantes, prefati Herbipolensis episcopi privilegium supradictum ratum habentes et firmum ac id ipsum auctoritate regia confirmantes, presens super eo scriptum sigilli nostri appensione jamdicte domui fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Sifridus Moguntine ecclesie, Theodericus Triverensis ecclesie, Engelbertus Coloniensis ecclesie, Albertus Magdebur-

gensis ecclesie archiepiscopi, Egbertus Banbergensis episcopus, Hertwicus Eichstetensis episcopus, Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Cunradus Ratisponensis episcopus, Ludewicus palatinus Reni et dux Bavarie, Ludewicus provincialis comes Turingie et palatinus Saxonie, Heinricus dux Brabantie, Heinricus comes de Anehalt, Fridericus comes de Brenen, Walraven (*sic*) dux de Limburc, Hermannus marchio de Baden, Heinricus de Nife, Gerardus de Diez comes, Cunradus burgravius in Nurenberc, Wernherus de Bonlant dapifer, Philippus frater ejus, Ulricus de Mincenberc camerarius, Anselmus de Justinge marscalcus, Ritzchardus camerarius, Marquardus scriptor; preter hos alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi et gloriosi Romanorum regis, semper augusti (*Monogramma*), et regis Sicilie.

Ego Cunradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense maio, indictione octava, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo, et in Sicilia vicesimo secundo. Amen. Feliciter.

Data apud Frankinfurt, anno, mense et indictione prescriptis.

Frankenfurt, [aprili vel maio.]

Fridericus, Romanorum rex, thelonearii suis apud Werde (Kaiserswerd) mandat ut capitulum ecclesiae de Xanten ab omni theloneo immune relinquant.

(Edider. Binterim et Mooren, *Cod. Rhen. diplom.*, t. I, p. 175.)

Datum Frankenvurt (1). . . . .

---

(1) Desunt omnino chronologicae notae. Boehmerus quoque, *Uneinreihbare stücke*, p. LXXXIII, sub anno 1220 hoc mandatum inseruit.

Honorius papa Conradum scolasticum Maguntinensem, capellanum et poenitentiarium suum, hortatur ad crucesignatos Teutoniae ut votum suum in instanti passagio exequantur compellendos, Fridericum regem monendo ut si ipse transfretare forte nequiverit, crucesignatos ulterius non detineat. [Maio ineunte.]

(Edit. ap. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplomat.*, t. IV, p. 106, ex regest. Honor., ann. IV, n° 744.)

Honorius, etc., dilecto filio magistro Conrado scolastico Maguntinensi, capellano et penitentiario nostro salutem. Experti tue probitatis industriam et fidei puritatem ac per hoc indubitatam de te fiduciam obtinentes, te ad partes Teutonie duximus destinandum (1), ut Terre Sancte succursum secundum datam tibi a Deo prudentiam studeas efficaciter procurare. Tuam ergo sollicitamus prudentiam, auctoritate tibi presentium injungentes quatenus litteras generales quas pro eodem negotio destinamus exponens per totam Teutoniam Christi fidelibus, diligenter ipsos ad celerem dicte terre succursum sedulo exhorteris et auctoritate nostra injungas eis per quos nuper in partibus illis predicari mandavimus verbum crucis ac aliis, prout videris expedire, ut id ipsum sollicite ac fideliter exequantur, cum velimus ut tibi tam a predicatoribus ipsis quam aliis in omnibus que hoc contingunt negotium intendatur humiliter ac devote. Illos vero qui jam sunt crucis caractere insigniti ut votum suum in instanti passagio exequantur monens efficaciter et inducens, eos qui monitis acquiescere non curaverint ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, carissimum in Christo filium

---

(1) Cf. ap. Scheid, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 678, epistolam datam Viterbii, 16 febr. 1220, qua eumdem Conradum episcopis et praelatis Teutoniae papa commendat, quem crucis praedicatorem in Teutoniam mittit.

nostrum F. illustrem regem Sicilie, in Romanorum imperatorem electum, cui super hoc scribimus, sollicite reducendo ut et ipse in eodem passagio juxta promissionem suam studeat transfretare. Quod si facere forte nequiverit, crucesignatos ipsos ulterius non detineat, sed data eis licentia reddendi Domino vota sua, in exercitus Christiani succursum libere transire permittat. Illud autem sollicite caveas ne quis quantum libet pauper a voto crucis ullatenus absolvatur, cum et pauperes plurimum sint necessarii negotio Terre Sancte.

Datum, etc., pontificatus nostri anno IV.

Sequitur in regestis sub nº 745 altera epistola Friderico directa, qua illum papa monet ut transfretet vel crucesignatos dimittat (1). « Ecce dominus, etc. » (*Index epistol. in collect. Laporte du Theil.*)

Hagenowe, 18 maii.

Fridericus, Romanorum rex, praeposito et canonicis cathedralis ecclesiae Augustensis concedit et dimittit advocatias de Aitingen, sub ea pensione, qua eas a patruo suo, Philippo rege, et postmodum habuerunt.

(Editum ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 100-101, num. DCL, ex originali unde sigillum in parte superiori laesum appendet ex filis sericis rubri coloris. — Indigitatum paucissimis verbis a BRAUN in *Der Gesch. der Bisch. von Augsb.*, t. II, p. 236; qui tamen plures de R., scilicet Rapotone praeposito, affert notitias.)

Fr[idericus], Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris gratiam suam et omne bonum. Insinuandum duximus universitati vestre quod nos dilecto capellano nostro R., majoris Augustensis ecclesie preposito, et

---

(1) In ista et praecedenti desunt chronologicae notae. Parum vero dubium fit ex numeris quin inter litteras circa initium maii scriptas recte ponendae sint.

ejusdem ecclesie canonicis dilectis fidelibus nostris, pro salute nostra et ob remedium animarum progenitorum nostrorum, concessimus et habendas dimisimus advocatias de Aitingen, sub ea pensione qua eas a rege Philippo inclite recordationis patruo nostro et postmodum etiam jam dicti prepositi antecessores habuerunt. Volentes ut nostris diebus ecclesia Augustensis super advocatiis illis eam habeat gratiam quam hactenus ab antecessoribus nostris est assecuta. Quapropter mandamus sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nullus sit qui de eisdem advocatiis aliquatenus se intromittat vel memorato preposito aut ecclesie Augustensi ammodo in ipsis dampnum inferat vel gravamen. Quod qui fecerit, majestatis nostre iram et offensam se non dubitet graviter incursurum.

Datum apud Hagnowe, anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo vicesimo, quinto decimo kalendas junii, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem Guidonis de Blandrate, Viglevanum et homines loci ipsius in suum dominium recipit; vetans ne Papienses seu Vercellenses seu Novarienses sive quaecumque alia persona homines Viglevani ad ipsorum dominium cogere praesumant. Hagenove, 21 maii.

(Edit. ap. Biffignandi, *Memor. istor. dell. citt. e cont. di Vigevano,* p. 257; insertum in privilegio confirmationis originali a Ludovico Bavaro indulto apud Papiam, XVI kal. julii 1329, indict. XII, sed minus ut videtur correcte transumptum. Cum etiam memoretur in altero privilegio Henrici VII, dato Mediolani, III nonas martii 1311, indict. IX, ibidem relato, nec ex forma materiam sinceritatis refellendae afferat, difficile Robolinii opinioni adhaeremus; qui quidem (*Notiz. stor. di Papia,* t. IV, pars I, p. 378) hoc documentum, sicut et alterum quod infra exhibebimus, re minus considerata, falsitatis arguit.)

In nomine Domini. Amen. Federicus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Per presentes scripturas notificamus

universis tam presentibus quam futuris quod ad supplicationem domini (comitis) Guidonis de Blandrate fidelis nostri, Viglevanum cum hominibus habitantibus ibi, videlicet tam locum quam homines, in nostrum dominium recepimus; volentes et presentis rescripti auctoritate mandantes quatenus nullus sit qui homines ipsos offendere vel aliquatenus molestare presumat; et cum in nostrum dominium fuerint recepti, volumus ut nec Papienses nec Vercellenses nec Novarienses seu quecumque alia persona homines ipsos vel locum ipsum ad sui jurisdictionem et dominium suum cogere presumant (1), sed semper sint in dominio nostro et sub nostra defensione securi.

Datum apud Agenovem, duodecimo kalendas junii, indictione nona (2).

[Circa maium.] Fridericus, Romanorum rex, notam facit sententiam a scolteto de Hagenovia latam pro Alberone abbate Neoburgense ejusdemque abbatia super duobus mansis in Wimenau a Wernhero de Ettendorf olim pecunia comparatis et eidem monasterio a Philippo rege concessis.

(Edit. ap. WURDTWEIN, *Nov. subsid. diplom.*, t. XIII, p. 251, ex chartul. membran. tabul. Neoburgensis, f. 18.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, et rex

---

(1) Si fides adhibeatur *annotationibus* cujusdam Comii a Robolinio (t. IV, I, 96) laudati, extabat in archivo municipali Papiensi unum diploma ut sequitur : « 1219, s. (secundo, sexto, vel septimo?) kal. septemb., nova concessio facta per imperatorem Federicum II civitati Papiae de loco Viglevani et castri cum omni integritate et jurisdictione. Dat. apud Spiream. » Quod revera omnino a mandato quod exhibemus discrepat. At cum nusquam hoc diploma integrum appareat et insuper notae chronologicae incertae sint, litem judici relinquendam censemus.

(2) Sic, cum his additis verbis *millesimo ducentesimo vigesimo primo,* quae in transumpto minus accurate interpolata arbitramur. Quod non suspicatus Biffignandius, ad 21 madii 1221 apud Aginaviam in Terra Laboris (!!) mandatum reponit. Indictio mendosa in octavam corrigenda est, ut et locus sedis et titulus *Romanorum rex* satis indicant.

Sicilie, presentibus et futuris omnibus hujus scripture pagellam legentibus vel inspicientibus gratiam suam et omne bonum cum salute in perpetuum. A peritioribus et orthodoxis agiographie preceptoribus atque didasculis divine legis audivimus esse scriptum in sacris voluminibus : « Diligite justitiam qui judicatis terram, » et rursus : Juste judicate filii hominum, » et item : « Honor regis judicium diligit. » Quocirca nostris (*sic*) regibus ceterisque principibus convenit ut omnipotentie divine que nos super terram gloria et honore terreno decoravit nobisque gentes et regna subjecit, totis viribus gratias agendo vicem persolvamus ita plane, ut universis subjectis nostris justitiam suam conservantes, eorum paci, saluti et utilitati diligentius intendamus, et inter cetera vel super cetera ecclesias, monasteria et personas religiosas omnipotenti Deo jugiter famulantes, que pro sarisis, pecmatibus ac pugionibus ceterisque armis utuntur saccis, missis, psalteriis et orationibus, ab omni pravorum infestatione summa diligentia defensare contendamus : quod annuente Deo paratissimi sumus ad complendum. Noverint igitur omnes presentia scripta legentes vel audientes quod veniens in presentiam nostram dilectus et venerabilis abbas noster Albero de Novo Castro quod in fundo nostro situm est cum fratribus suis vera relatione significavit nobis quod olim quidam nobilis miles Hezel de Eddendorf de glorioso dive memorie Friderico Romanorum imperatore avo nostro et de patre nostro beate memorie Heinrico feodatus fuerit, et inter cetera feoda sua duos mansos in termino ville que Wiminova vocatur habuerit, quos moriens Wernhero filio suo hereditario jure reliquit; a quo scilicet Wernhero abbas de Novo Castro et fratres sui feoditatem eorumdem mansorum; quia eos suis allodiis contiguos et animalium suorum usibus aptos cognoverunt, pecunia multa et bono poledro comparaverunt, et postea proprietatem predictorum mansorum ab illustrissimo domino beate memorie Philippo rege patruo nostro obtinuerunt. Post mortem vero jamdicti Wernheri, cum uxor ejus et procuratores filiorum ejus predicta bona tanquam si vendita non fuissent in proprios usus contrahere vellent, supradicti fratres scolteto de Hagenova causam coram burgensibus nostris conquerendo suggesserunt. Quo facto, cum idem scoltetus noster prefatam dominam

procuratoresque suos semel et iterum et tertio ad judicium suum secundum judiciariam sententiam citasset ut ab eis cognosceret quid juris in sepedicta terra sibi usurpare vellent, et illi venire vel responsalem pro se mittere neglexissent, ab omnibus in pretorio comparentibus diffinitum est ut fratres de Novocastro terram suam obtinerent, etc. (*sic*).

Scripta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. XX, epacta XIIII, concurrente III, indictione VIII (1).

Spirae, 25 maii.

Fridericus, Romanorum rex, Sifrido archiepiscopo Moguntino concedit argenti fodinam in monte Difendal prope Logenstein (Lahnstein) repertam, cum haec sit in fundo archiepiscopatus.

(Edid. Gudenus, *Cod. diplomat. Magunt.,* tom. I, p. 465, n° 173.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis inspectoribus hujus scripti gratiam suam et omne bonum. Cum ea que serenissimi predecessores nostri felicium recordationum imperatores et reges circa fideles eorum principes munifica olim liberalitate fecerunt, nos stabilire deceat et augere ut crescente in principibus favore nostro propagetur in nobis ipsorum devotio atque fides, recognoscimus et presentibus litteris protestamur quod montem Difendal prope Logenstein, cujus fundi proprietas est ecclesie Maguntine, in quo argenti fossio est reperta, venerabili et dilecto principi nostro Sifrido archiepiscopo Maguntino concessimus; antiqua ejus privilegia imitantes in quibus regalis largitas ejusdem ecclesie archiepiscopis concessit in fundis archiepiscopatus omnia inventa vel invenienda. Ea propter sub gratie nostre mandamus obtentu districte vetantes ne quis in predicto monte presumat

---

(1) Hoc instrumentum quod non sub originali forma, sed ad morem Neoburgensis chartularii rescriptum fuisse suspicamur, ad mensem maium hujus anni nulla alia ex causa nisi ex vicinitate Hagenowe inter et Neuenbourg reposuisse fatemur.

memoratum archiepiscopum usurpatione aliqua impedire. Quod si quis violenter attemptaverit et inique, reus lese majestatis existat.

Datum Spire, VIII kalendas junii, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, ad interventum Ludewici ducis Bavariae et comitis palatini Rheni, fratribus Sancti Petri de Hegene jus patronatus ecclesiae in Lutzelstat confirmat, et nomine concambii ab eisdem praedium in Eisweiler recipit. Spirae, maio.

(Edit. ap. H. Christ. Senckenberg, *Meditationes,* fascic. III, *De splend. gent. Leiningensis,* p. 631; et ap. *Braunschw. Anzeiger,* ann. 1752, p. 988.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus, Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie, omnibus in perpetuum. Quod disponit humana ratio cassatur sepius, si malignantibus non per scripti memoriam malignandi materia succidatur. Elucescat igitur omnibus nostri regni fidelibus presentis pagine inspectoribus quod pro nostrorum remissione peccaminum et eterni patris misericordia consequenda, dilectique nostri Lodewici palatini comitis Reni interventu mediante studioso, sancto Petro in Hegene fratribusque illic Deo devote sub professione beati Augustini militantibus jus patronatus ecclesie baptismalis in Luzelstat et mansum dotalem ipsi ecclesie attinentem cum omnibus suis appenditiis que ad nos spectare dinoscuntur, que presertim dictus comes palatinus eidem ecclesie donare decrevit, que utique in feodo habuit a nobis, confirmamus pacifice in perpetuum possidenda. Deliberavimus enim dignum esse et rationi consentaneum ut spirituale donum loco religionis et cure spiritualium subderetur personarum. Pretaxata vero ecclesia in recompensationem predicte donationis vice versa, nomine concambii et commutationis, ne nos nostrique successores a comite memorato suisque successoribus debito servitio a predicto jure patronatus privemur, predium quod prenominata ecclesia in Eyswilre possedit loco

juris patronatus in Luzilstat assignavit. Ut autem hec donationis confirmatio inconvulsa et firma persistat et ne in posterum aliqua ei subnascatur calumpnia, factum hoc presenti pagine annotavimus sigilli nostri munimine consignari facientes.

Datum Spire, anno incarnationis dominice M° CC° XX°, mense maii, indictione VIII.

Wormatiae, 2 junii.

Fridericus, Romanorum rex, villam suam Pfullendorf in civitatem imperialem erigens, omnia quae observanda sint statuit de libertatibus, de jure civitatis, de aedificandis areis nudis, de molendinis, de munitione urbis et de exemptione civium usque ad sex annos continuos.

(Edidit K. WALCHNER, *Geschichte der stadt Pfullendorf,* urkund. IV, p. 157. — Constanciae, 1825.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regalis eminentie universe (*sic*) decernimus inveterata renovare, dissipata ad honorem et utilitatem imperii recolligere, destructa queque restaurare atque ad eorum relevationem regie eminentie robur et benevolentiam omnimodis adhibere. Considerantes [igitur] dampna atque lesiones que et quas hactenus sustinuit imperium ex dispersione optime ville nostre in Pfullendorff, ex innata quoque nobis munificentia conpassi laboribus et erumpnis quas incole ipsius ville nimio ignis impetu et voracitate nuper sunt perpessi, nolentes super omnia quod ipsi de cetero a malefactoribus et pacis inimicis conculcentur et damna seu incommoda patiantur, sicut hucusque multis retro temporibus (*a*) perpessi sunt, presertim cum locus idem cum omnibus attinentiis suis paterna hereditate

(*a*) In impresso *quibus,* male.

ad nos proprie dinoscatur pertinere, locum ipsum in perpetuam instituimus libertatem, in fundo ejusdem loci civitatem de cetero esse volentes, omnia jura omnesque fructus et honestas consuetudines secundum institutiones et libertates aliarum civitatum nostrarum eidem civitati in Pfullendorff liberaliter impendentes atque presentis scripti nostri patrocinio perpetuo confirmantes. Volumus etiam quod omnes persone que usque ad tempora ista in loco sepedicto commorate sunt, cujuscunque sint conditionis, in jure et honore nunc a nostra recepto largitate de cetero permaneant. Inhibemus omnino ne servus alicujus sive censualis vel cujuscunque sit conditionis, ministerialium tantummodo nostrorum, in civitatem ipsam in jus istud recipiatur, nisi de domini sui fuerit voluntate. Superaddimus etiam ne aliquis in ipsa civitate pro cive habeatur vel jus civis habeat, nisi faciat ibidem residentiam. Regio etiam edicto sanccimus quod quicumque in loco sepedicto civis esse voluerit et jure atque honore ipsius civitatis gaudere voluerit, omnia civitatis faciat servitia, exceptis clericis ad divinum cultum ibidem destinatis. Ceterum decernimus et perpetuo volumus a civibus illis civitatis nostre observari quod si quis civium ejus unam vel plures habuerit areas nudas, scilicet non super edificatas, nec eas a proximo die festo Sancti Michaelis infra spatium unius anni super edificaverit, area illa vel si plures fuerint ad nostrum devolvantur dominium, dummodo paupertas non interveniat vel ejusdem aree ad concivem suum secundum instituta civitatis justa venditio. Si etiam de novo aqueductus ad facienda molendina ibidem capiantur, volumus et statuimus ut molendina illa ad municionem cedant civitatis ad nostram voluntatem. Ad majorem autem gratie nostre circa eumdem locum nostrum evidentiam et quod cives civitatis illius promptiores existant ad ejus constructionem seu ad munitionem, usque ad sex continuos annos ab omni exactione cives ejus qui nunc sunt vel in posterum istis succedent totaliter absolvimus; statuentes tamen quod his annis quolibet anno ad municionem civitatis viginti marce a civibus ejus communiter persolvantur. Verum quia dilectus clericus noster Ulricus hujus facti extitit auctor et fidelissimus cooperator, ex gratia regie serenitatis ipsum et totam familiam suam cum areis suis a tota conditione

prefata volumus esse exemptum. Ut itaque hujus nostre largitatis donatio perpetuo vigore prefatis observetur temporibus nec ab aliquo in posterum valeat aliquo modo infringi, hoc scriptum tam civitati memorate ejusque civibus tam presentibus quam futuris quam etiam (*a*) ad memoriam omnium indulsimus, sigillo majestatis nostre communitum.

Hii sunt testes : Sifridus Moguntinus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopi, Heinricus Wormatiensis electus (*b*), Ekkempertus Babenbergensis episcopus, Ludovicus comes palatinus Reni et dux Bawarie, comes Gerhardus de Diets, Eberhardus nobilis de Eberstein, Henricus nobilis de Niffen, Wernherus de Bonlande (*c*) dapifer imperii et frater suus Philippus, Eberhardus dapifer de Waldburg, Cunradus de Winterstetten pincerna, et alii quamplures.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Seifridi Maguntinensis archiepiscopi, totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Datum Wormatie, in presentia gloriosi Hainrici ducis Suevie in Romanorum regem electi, anno Domini millesimo CC° XX°, indictione (*d*) VIII, IV nonas junii, regnante domino nostro Friderico secundo, divina favente clementia Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie invictissimo, anno Romani regni ejus in Germania octavo, Sicilie vero XXIII°.

Wormatiae, 3 junii.

Ludewicus, palatinus comes Reni et dux Bavariae, donationem juris patronatus de ecclesia in Lutzelstat a comite de Lyningen ecclesiae Hegenensi factam ratam habet, sub conditione restauri competentis ab eodem comite in manus suas faciendi.

(Edit. ap. SENCKENBERG, *Meditation.*, p. 629.)

(*a*) In impresso *quoniam,* male.

(*b*) In impresso *clericus,* male.

(*c*) Ibidem *de Bonde,* male.

(*d*) In impresso pro *indictione* per oscitantiam scriptoris legitur *anno.*

Lodewicus, Dei gratia palatinus comes Reni et dux Bawarie, omnibus in perpetuum. Ut modernorum acta ad memoriam futurorum salubriter perveniant, expedit ea et scripti notitia et testium recordatione in posteros propagari. Tenore igitur presentium omnibus damus agnoscere quod nos honestum fore attendentes et omni juri consentaneum donum spirituale in manus religiosarum redigi personarum, donationem que in jure patronatus ecclesie in Luzelstat et manso dotali eidem ecclesie attinenti cum appenditiis F. comes illustris de Lyningen ecclesie Hegenensi Wormacensis diocesis et fratribus ibidem Deo sub regula beati Augustini devote militantibus fecit, quoniam in hiis ad nos ex merito habetur respectus eo quod dictus comes a nobis ea bona nomine tenuit feodi, ratam habemus, nostrum omnimodis consensum adhibentes et favorem. Ne autem dignitas palatii a dicto comite suisque successoribus debito aliquatenus debeat servitio privari, memoratus comes in manus nostras fideliter compromisit de bonis suis restaurum facere et hujusmodi donationem competenter resarcire. Ut autem hec salubris donatio ad honorem Dei et Ecclesie facta perpetue robur obtineat firmitatis, scriptum presens in testimonium nostro fecimus sigillo consignari.

Testes etiam sunt : Ludovicus comes de Ziegena, Gerardus de Schowinburch, Conradus de Hircisberch, Engilhart de Nidecke, Ulricus marescallus de Scrovenhofin, Henricus Werneri dapiferi de Alceia, Rodulfus de Alceia, Bertolfus Metensis, Bertolfus de Geirswilere, Meingoz de Herpholdisheim, Ulricus de Grindestat, Hugo de Mertinisheim, Burchardus de Wachinheim, Stefanus de Durincheim, et alii quamplures.

Datum Wormatie, presentibus serenissimo domino nostro F. Romanorum rege semper augusto, venerabilibus etiam patribus Coloniensi, Maguntinensi archiepiscopis, episcopis vero cancellario et Babinbergensi cum domino H. electo Wormatiensi, anno Domini M. CC. XX°, indictione VIII, III nonas junii (1).

(1) Adest ap. Senckenberg, *ibidem*, sub anno 1214 (n° 111, p. 627) instrumentum Arnoldi abbatis Murbacensis, qui ecclesiae Hegenensi ecclesias de Luzelstatd et de Hergesheim in excambium praedii cujusdam et allodii contradit. « Hec autem permutatio facta est consensu regis

---

Apud Urbem Veterem, 12 junii.

Honorius papa Alatrino subdiacono et capellano suo mandat ut de manibus Friderici Romanorum regis terram comitissae Mathildis quam resignare intendit recipiat.

(Memorat. ex *Indice litter. Honor.*, f. 191, n° 779, in collect. Laporte du Theil, ap. Bibl. reg. Paris.)

Datum apud Urbem Veterem, II idus junii, pontificatus nostri anno IV.

Apud Urbem Veterem, 20 junii et 4 julii.

Honorius papa archiepiscopo Maguntino mandat ut Fridericum Romanorum regem ex parte sua moneat ad comitem Raynerium juxta promissionem factam libertati restituendum.

(Edit. ap. Wurdtwein, *Nov. subs. diplomat.*, t. IV, p. 110, ex regest. litter. Honor., ann. IV, n[is] 781-796.)

Honorius, etc. Venerabili fratri . . . archiepiscopo Maguntino salutem, etc. Obloquentibus olim multis de eo quod carissimus in Christo filius noster F. illustris rex Sicilie, in Romanorum imperatorem electus, ceperat nobilem virum comitem Reynerium ad presentiam ejus fiducialiter accedentem, ipsi regi super hoc scripta nostra direximus qualia honori ejus et fame vidimus expedire. Ipse vero nobis humili devotione ac devota humilitate rescripsit quod restituta sibi terra sua que dicti comitis nomine tenebatur, ipsum in manibus nostris libere resignaret (1). Cum

---

Friderici qui hec et alia bona in locis conterminis sita in feodo habens, alios eisdem bonis inbeneficiavit, scilicet palatinum et comitem Fridericum de Liningen qui etiam huic concambio consenserunt. »

(1) Vid. supra, p. 750.

igitur terra eadem nuntiis dicti regis sit plenarie, sicut accepimus, restituta, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus eumdem regem ex parte nostra moneas diligenter et prudenter inducas ut juxta promissionem suam libertati restituat comitem memoratum, ut quibus captio ejus occasionem tribuit obloquendi, libera et liberalis ejusdem dimissio materiam tribuat commendandi; nosque cognoscentes devotionem regiam in effectu, dignas ei grates reddere teneamur et dictus comes ac sui qui magni et potentes esse noscuntur, tanto fortius ad regia provocentur obsequia, quanto regalem clementiam erga se senserint proniorem. Hoc autem mandatum nostrum diligenter et sine dilatione studeas adimplere.

Datum apud Urbem Veterem, XII kalendas julii, pontificatus nostri anno quarto.

Eidem archiepiscopo Maguntino super eodem. Datum apud Urbem Veterem, VI nonas julii, anno quarto. — Item duci Austriae et aliis.

Fridericus, Romanorum rex, Fulconem episcopum Papiensem delegat ad componendam discordiam quae hanc civitatem commovebat, eamdemque regendam ei committit, donec imperii cancellarius in Italiam advenerit. Apud Ulmam, 28 junii.

(Memorat. ap. Robolini, *Notiz. stor. di Pavia,* t. IV, pars 1[a], p. 98, qui extractum dicit ex transumpto 10 april. 1489, a notario Mattaeo Paltinieri redacto.)

Datum apud Ulmam, XXVIII junii, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem capituli Salernitani, plancas macellariorum cum domibus quas comes Richar- Apud Ulmam, 30 junii.

dus de Ayello ecclesiae Salernitanae obtulit, perpetuo eidem concedit et confirmat.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra,* t. VII, p. 414.)

Federicus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie, straticotis et judicibus, militibus et universo populo Salerni tam presentibus quam futuris, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Pateat universitati vestre quod ex parte capituli Salernitane ecclesie fidelium nostrorum humiles supplicationes accepimus ut planeas macellariorum cum domibus que olim fuerunt Joannis Greci de Pergula que comes Richardus de Ayello (1) fidelis noster ad quem pervenisse de jure noscitur, ecclesie Salernitane obtulit per scriptum auctoritate judiciaria roboratum, eidem Salernitane ecclesie confirmare nostra serenitas dignaretur. Nos igitur pro reverentia beati Mathei apostoli et evangeliste, necnon pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum recordationis inclyte, plancas ipsius cum domibus, sicut idem comes eidem Salernitane ecclesie eas obtulit, de munificentie nostre gratia perpetuo concedimus et confirmamus; presenti scripto mandantes ut nullus unquam predictam ecclesiam in aliquo contra oblationem ejusdem comitis et hanc nostram confirmationem impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit, pene debite eum volumus subjacere.

Datum apud Ulmam, ultimo junii, indictione VIII, anno vero dominice incarnationis M. CC. XX.

Apud Ulmam, 3 julii.

Fridericus, Romanorum rex, Nicolao Salernitano archiepiscopo et ejus ecclesiae specialiter concedit et confirmat decimas plancarum, platearum, tincte et chalendre in Ebulo et molendinum

(1) Vir ille et frater ejus Nicolaus, archiepiscopus Salernitanus, ambo filii erant illius famosi Matthaei sub Wilhelmo secundo cancellarii. Cf. UGHELLI, *ibidem,* p. 412 et seqq. passim.

Albescendae, nec non omnia jura et rationes quas in Ebulo et pertinentiis ejus possident. Quas litteras Lucas et Johannes Ebuli judices ad requisitionem ejusdem archiepiscopi a notario exemplari jubent.

(Inedit. in archivo Salernit. archiep., ex registro chartac., n° I, fol. 782.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi. Anno ab incarnatione ejus M. CC. XX, et XXII anno regni domini nostri Frederici gloriosissimi Romanorum regis regisque Sicilie et semper augusti, et VIII anno regni domini nostri Henrici regis Sicilie et Italie ejus carissimi filii, mense ottobris, indictione IX, dum in atrio ecclesie Sancti Marci communitas Ebuli ad exequenda servitia regia conveniret, astantibus ibidem notario, Luca et Johanne judicibus, presentibus etiam domino Gualterio venerabili abbate, Sancti Petri archipresbitero et toto clero, abbas Petrus, domini Nicolai Dei gratia venerabilis Salernitani archiepiscopi clericus et nuncius, pro parte predicti domini venerabilis archiepiscopi et ipsius Salernitane ecclesie, bajulo, judicibus et predicte universitati Ebuli litteras regias presentavit, que sunt continentie talis :

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, justiciario et universis hominibus Ebuli fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Noverit universitas vestra quod nuper inter cetera que obtentu retributionis eterne et ad supplicationem Nicolai venerabilis Salernitani archiepiscopi fidelis nostri et Salernitane ecclesie per privilegium nostrum concessimus et confirmavimus, specialiter decimas plancarum, platearum, tincte et chalendre dicti Ebuli eidem ecclesie pertinentes et molendinum Albescende cum aqueductu suo nec non omnia jura et rationes que Salernitane ecclesie in Ebulo et pertinentiis ejus pertinent, eidem archiepiscopo et successoribus ejus et Salernitane ecclesie perpetuo concessimus et confirmamus, sicut in privilegio a nostra majestate eidem ecclesie indulto plenius continetur. Quapropter fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatinus prefatum archiepiscopum et Salernitanam ecclesiam in predictis omnibus et aliis bonis et possessionibus ac juribus eidem ecclesie pertinentibus nullus vestrum offendat,

impediat aliquatenus vel molestet, sed permittat predictum archiepiscopum et ecclesiam ipsam ea omnia sine alicujus molestia quiete et pacifice tenere et possidere.

Datum apud Ulmam, III julii, indictionis VIII[e] (*a*).

Perlectis itaque predictis litteris, dictus abbas Petrus pro parte supradicti domini archiepiscopi nos deprecatus est ut ad cautelam ipsius domini archiepiscopi et Salernitane ecclesie, ipsas litteras in hac charta exemplari juberemus. Cujus precibus annuentes, ad perpetuam memoriam et plenam securitatem ipsius domini archiepiscopi et successorum ejus ac dicte Salernitane ecclesie, taliter tibi Petro notario exemplari jussimus.

Ego qui supra Lucas judex. — Ego qui supra Johannes judex.

Apud Ulmam, 3 julii.

Fridericus, Romanorum rex, Nicolaum archiepiscopum Salernitanum statuit justiciarium totius terrae et hominum Salernitanae ecclesiae cum facultate aliquem virum idoneum loco sui statuendi; quas litteras ad requisitionem ejusdem archiepiscopi quatuor judices justas declarari jubent.

(Inedit. in archivo Salern. archiep., ex copia recentiori sub n° 364 indicata, sed paulo negligentius transcripta, cujus originale reperire non potuimus.)

In nomine Domini Dei eterni Salvatoris nostri Jeshu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo vigesimo, et primo anno imperii domini nostri Frederici gloriosissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie, et octavo anno regni domini nostri Enrici regis Sicilie et Italie. . . . ., mense januario, nona indictione. Ante nos Raynaldum, Bartholomeum, Mansum et Landulfum judices venit Pelegrinus clericus domini nostri Nicolai, Dei gratia venerabilis Salernitani

(*a*) Legitur in copia *XIII*, sed male, cum amanuensis negligenter *X* pro *V* transcripserit.

archiepiscopi, et pro ejus parte ostendit quasdam litteras cereo sigillo ipsius domini nostri Frederici auctoratas (*a*), regis et nunc Dei gratia Romanorum imperatoris gloriosissimi, semper augusti et regis Sicilie, et interius et exterius suo felici nomine rutilantes, que erant continentie talis :

Federicus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, Nicolao venerabili Salernitano archiepiscopo fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Quia te tanquam fidelem et bene meritum diligere et honorare proponimus, et tam gentis tue quam Salernitane ecclesie pacem et indemnitatem volumus providere, de tua prudentia et fidelitate confidentes, statuimus te justiciarium totius terre et hominum Salernitane ecclesie in quibuscumque locis. Quare mandamus honestati tue et precipimus quatenus in tota terra et hominibus Salernitane ecclesie ubicumque fuerint de cetero justitiarii officium exerceas, tanquam justitiarius a nostra majestate statutus ad honorem et fidelitatem nostram; et quia dignitati (*b*) pontificalis officii tui providimus deferendum, in loco tui aliquem idoneum virum statuas qui loco tui justitiarii officium debeat exercere; presenti scripto mandantes universis comitibus, baronibus, justiciariis et bajulis ut de tota terra Salernitane ecclesie se nullatenus intromittant, sed eos ad examen curie tue de quibuscumque causis et absque aliqua contradictione venire permittant.

Datum apud Ulmam, tercio julii, indictione octava.

Cum autem ipse regie littere ostense et lecte fuerunt, quia sigilli cerei forma qua ipse littere (*c*) extant insignite plerisque de facili casibus posset decidere aut etiam eadem sigilli forma tenia aboliri (*d*), propter quod super ipsarum litterarum tenore aliqua oriretur in posterum ambiguitas (*e*), id circo Pelegrinus pro parte ipsius domini archiepiscopi nos affectuose deprecatus est justas ipsas litteras declarari juberemus. Cujus

(*a*) In copia vero *auctoritate*, minus recte.
(*b*) In copia vero *dignitas*, male.
(*c*) In copia vero *linee*, male.
(*d*) In copia vero *sua liniri;* pejus etiam.
(*e*) In copia vero *aliqua objectione in posterum ambiguitate*. Locus mutilus.

nos precibus faventes, ipsas litteras per ordinem in hac te Bartolomeo nomine (*a*) declarare jussimus.

Ego qui supra Raynaldus judex. — Ego qui supra Bartholomeus judex. — Ego qui supra Mansus judex. — Ego qui supra Landulfus judex.

Apud Weissenburg, julio.

Fridericus, Romanorum rex, Caro Montisregalis archiepiscopo restituit, concedit et confirmat possessiones et omnia jura ad ejus ecclesiam pertinentia, tam per Saracenos quam per christianos tempore turbationis illicite occupata, confirmatque eidem omnia privilegia, libertates, bonos usus et approbatas consuetudines.

(Edidit Margarinus, *Bullar. Cassin.*, t. II, p. 249, ex arch. mon. Montis Reg.)

Fredericus II, divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Si regnantis gloriam dona clarificant que largitur, ea sunt que perpetuitate temporis clarior fama concelebrat que pia consideratione sacrosanctis ecclesiis conferuntur, quia sicuti per ea dilatatur ejus hereditas cujus est terra et plenitudo ejus, sic salutis conqueritur meritum ut felici commercio pro temporalibus mereamur eterna. Eapropter notum esse volumus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod cum tu, Care, venerabilis Montis Regalis archiepiscope, dilecte familiaris et fidelis noster, celsitudini nostre supplicasses ut civitates, castella, casalia, villas, ecclesias, possessiones, villanos et jura ecclesie Montis Regalis pertinentia, de quibus turbationis tempore tam per Saracenos quam per christianos in diversis partibus regni nostri occupata sunt et illicite detinentur, tibi et successoribus tuis et ecclesie Montis Regalis in perpetuum restituere, concedere et confirmare nostra magnificentia dignaretur; nos supplicationibus tuis benignitate solita annuentes, considerantes quoque quod ecclesiam Montis Regalis tanquam

(*a*) Legendum vero videtur *per ordinem justas te, Bartolomee, nostro nomine,* etc.

nostram cameram specialem specialiter (*a*) diligere et specialius tueri, augmentare et defensare tenemur, civitates, castella, casalia, villas, ecclesias, possessiones et omnia tenimenta et jura que ex concessione regis Guilielmi II patruelis nostri, ejusdem ecclesie fundatoris, et concessione et confirmatione divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende et nostra vel quocumque alio justo modo ecclesie Montis Regalis concessa, donata et confirmata esse noscuntur, et eidem ecclesie de jure pertinent, tibi et successoribus tuis et ecclesie Montis Regalis de munificentie nostre gratia restituimus, concedimus et perpetuo confirmamus. Confirmamus nihilominus tibi et successoribus tuis et eidem ecclesie omnia privilegia, dignitates, libertates, homines, bonos usus et approbatas consuetudines et premunitates (*sic*) et alia jura eidem ecclesie, tibi vel predecessori tuo, monachis et clericis ac hominibus ejusdem ecclesie ubicumque fuerint concessa. Statuimus igitur auctoritate presentis privilegii firmiter injungentes ut nulla omnino persona magna vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictam ecclesiam contra hanc nostram restitutionem, concessionem et confirmationem aliquatenus impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit, in sue temeritatis vindictam centum libras auri puri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvantur. Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium inde scribi et nostre majestatis sigillo jussimus communiri, anno, mense, die, indictione subscriptis.

Data apud Wizzimburc (1), anno dominice incarnationis M. CC. XX, mense julii, indictione VIII, regnante domino nostro Frederico II, Dei gratia illustrissimo Romanorum imperatore (2), semper augusto et rege Sicilie, anno imperii VIII, Sicilie vero XIII (*b*).

(*a*) Legitur in impresso, sed male : *spiritualem spiritualiter*.

(*b*) Error manifestus. Forte alter *X* omissus est, quum ibi annus regni Sicilie *XXIII* sit legendus.

---

(1) Hic agitur de *Weissenburg*, nunc in Bavaria, non procul ab Eichstadt.

(2) In hoc privilegio ad usum Siciliae redacto Fridericus, licet nondum Romae coronatus, imperator intitulatur, annusque *imperii*, non *regni* dicitur.

Apud Nuremberg, 13 junii.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae pro excusatione sua scribit qualiter apud Frankenford discordia inter Maguntinum archiepiscopum et lantgravium Thuringiae ingruente, principes imperii ex insperato filium suum in regem Romanorum elegerunt ad majorem securitatem imperii; suadet ne de unione imperii et regni aliquam molestam suspicionem sumat. Addit etiam quomodo in expeditione sua fuerit retardatus, tam ex suo cum comite de Urach dissidio, quam ex matrimonio comitis Campaniae cum vidua Lotharingiae ducis.

(Edidit Raynald., *Annal. eccles.*, t. I, ad ann. 1220, § XII et seq., e regest. Honor., lib. V, n° 40. Secundam epistolae partem quam omisit addimus ex Raumer, *Gesch. der Hohenstaufen*, edit. 2ª, t. III, p. 187.)

Sanctissimo in Christo patri Honorio, etc. Fredericus, etc. Quanquam per vestras non receperimus litteras, plurimum tamen intelleximus ex relatu quod Ecclesia mater nostra super promotione charissimi filii nostri non modicum sit turbata, eo quod de ipso jamdudum in gremium suum posito et totaliter mancipato super hoc ampliorem curam et sollicitudinem spopondimus minime habituros, nec post promotionem ejusdem aliquod significavimus apostolice sanctitati, et quod etiam adventum nostrum beatitudini vestre toties nunciatum convincimur usque adeo distulisse; super quibus sanctitati vestre veritatis seriem duximus explicandam. In conspectu namque clementie vestre inficiari nec possumus nec debemus quin erga promotionem unici filii nostri tanquam qui ipsum paternis affectibus non possumus non amare, laboraverimus hactenus juxta posse; quod equidem nequivimus obtinere. Dum autem apud Frankenford, ubi pro licentiandis principibus juxta morem imperii indixeramus generalem curiam, personaliter venissemus, secundum mandatum vestrum accedendi ad pedes vestros iter exinde duce Domino

arrepturi, ex presentia dilectorum principum nostrorum venerabilis . . . Maguntinensis archiepiscopi et lantgravii Thuringie qui ad curiam convenerant memoratam, discordia que jam multo elapso tempore suborta fuerat inter eos, ex accumulatione virium et militie utriusque sic convalescere tunc incepit quod toti imperio discrimen et periculum minabatur. Quod presentes principes attendentes et tanto volentes periculo obviare, se de loco non recessuros aliquatenus juraverunt, nisi prius inter predictos principes dictante sententia juxta posse ipsorum vel compositione amicabili tractaretur, et nos etiam nostris litteris firmavimus illud idem. Cumque super hoc fuisset per principes diutius laboratum, quia labor eorum effectum aliquem non habebat, eo quod nullam inter ipsos poterant concordiam seminare, et ipsa controversia usque adeo insurgebat quod propter discessum nostrum, quem imminere videbant, plura incommoda et maxima dispendia imperii proinde sequebantur; ex insperato presentes principes et maxime illi qui prius promotioni dicti nostri filii obviarant, nobis insciis et absentibus, elegerunt eumdem. Cujus electio cum nobis patefieret, sicut fuerat celebrata absque vestra notitia seu mandato sine quo nihil presumimus nec volumus aliquid attentare, ipsi electioni contradiximus consentire; sed institimus apud eos quod si vellent hoc gratum ac ratum nos habere, quilibet scriptum suum proprio sigillo munitum conficeret ut electionem ipsam vestra sanctitas acceptaret. Fuit etiam ordinatum ut unus ex eis cum processu electionis ejusdem ad vestram presentiam se conferret. Sed postmodum quomodo restiterit, ab ore nostro cum erimus dante Domino coram vobis, vel per A. capellanum vestrum dilectum nostrum clarius audietis. Nihilominus tamen disposuimus quod dilectus familiaris noster C. Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, propter hoc ad pedes vestros accederet; qui etiam annuens votis nostris, cum esset ad instantiam nostram ad iter accinctus, quodam sibi superveniente languore huc usque distulit iter suum (1). Videtur autem nobis, beatissime pater, et presumptione colli-

(1) « Extant in regesti pontificii hujus anni calce (nº 766) Metensis episcopi litterae quibus se tertiana acutissima a persequendo itinere retardatum ait, atque Henrici sine pontificio as-

gimus evidenti quod cum habeatis nos et filium nostrum in visceribus charitatis, non ob aliud promotionem nostri filii gravem fertis, nisi quia de unione regni cum imperio dubitatis. Quod equidem timere aut suspicari non debet Ecclesia mater nostra, quia cum sequestrationem ipsorum modis omnibus affectemus, nobis in vestra presentia constitutis mandatum et desiderium vestrum de omnibus adimplebitur juxta votum. Absit enim quod imperium commune aliquid habere debeat cum regno aut occasione filii nostri de electione sua ipsa ad invicem uniamus; immo eorum unioni ne possit esse temporibus aliquorum, totis nisibus obviamus, prout videbitis operis per effectum, quia in iis et in aliis tales nos exhibebimus apostolice sanctitati quod merito gaudere poterit mater Ecclesia talem filium procreasse. Nam etsi in regno jus aliquod Ecclesia non haberet et nos sine herede decedere legitimo eveniret, prius ipso Romanam Ecclesiam quam imperium dotaremus. Unde de tam evidenti et manifesta turbatione Ecclesie atque vestra quam super promotione dicti nostri filii assumpsistis, miramur. [Licet autem frequentius nobis dicatur totam illam dilectionem quam circa nos ostendit Ecclesia nec sinceram esse neque constantem haberi debere, venenosis obloquentium susurrationibus fidem non adhibemus.] Ecce quod e vestigio sine majori difficultate venimus, nec in veniendo moram protrahemus aliquatenus longiorem. Vestrum erit, pater et domine, in absentia nostra de imperio curam et sollicitudinem obtinere ut filius vester in honore seu dignitate sua nullum pati debeat detrimentum. [Super eo autem quod ad suam in Terram Sanctam expeditionem attinet, memorat se pluries

---

sensu celebratam electionem pluribus coloribus excusat. Ingravescente nimirum inter Maguntinum archiepiscopum atque Thuringiae landgravium bello atque Friderico in Terram Sanctam discessuro, ob incertos rerum eventus expertaque ex crebra imperatorum mutatione mala, ad eligendum sibi ex stirpe regia principem [Germaniae proceres] excitatos fuisse. Addit etiam se olim diu ante electionem celebratam Sedem Apostolicam de celebranda ea electione consuluisse nec responsum ullum elicere potuisse; deinde vero ab uno e cardinalibus amicissimo edoctum fuisse dixisse Honorium nil ad se de electione Romani regis pertinere. » RAYNALDUS, in textu, *ibid.*, § XV. Hanc epistolam datam fuisse Mantuae, II kalendas augusti (31 julii 1220), comperimus ex indice litter. Honor. III, in collect. Laporte du Theil.

indicasse causas unde mora super moram vicissim et saepius ex improviso advenerit. Nunc vero inter multas dilationis causas quae de novo emerserunt, duas tantum annotare satis erit. Primam scilicet, quod cum pro ipsius papae amore comitem Egenonem de Urach in suam gratiam admiserit (1), ea conditione ut decem milites et viginti stipendiarios pararet vigintique millia marcarum exsolveret, quas ipse ad servitium Terrae Sanctae applicandas in animo habebat; idem comes non amplius quam tria millia exsolvit, et frater ejusdem comitis, Portuensis episcopus, cujus in omni casu hostilem erga se animum expertus est, eum a quaque alia obligatione liberum denuntiavit et voti etiam absolutionem ei concessit. Multi alii istiusmodi gratiam postulaverunt, quorum pars, praecipue in Alsatia, evicerunt, pars autem de propria auctoritate sibi dispensare praesumpserunt. Inde secundam causam exponit : cum enim vidua ducis Lotharingiae cum comite Campaniae matrimonium contraxerit (2), et praedictus comes, praeterquam alienigena sit, se proprio motu in possessionem feudorum imperii intromiserit, principes rogaverunt et etiam exigente justitia requisiverunt ut res ista quae tantum ad honorem imperii spectabat ante suum profectum convenienti fine terminaretur. Nunc tamen, hac difficultate expedita, sine longiore mora proficisci disponit, sicut suo et papae desiderio congruit. Concludit Honorio commendans magistrum Petrum de Salerno notarium suum, cui fidem velit adhibere.]

Datum apud Nuremberch, III idus julii, VIII indictionis.

Honorius papa Pelagio Albanensi episcopo, Apostolicae Sedis legato, describit quot summas pecuniarum, per quos et a quibus — Apud Urbem Veterem, 24 julii.

(1) Vide supra p. 671-672, instrumentum quo Fridericus comitem in plenitudinem gratiae suae recipit, sed de conditionibus nulla ibidem mentio fit.

(2) Agitur de Gertrude de Dasbourg, quae post mortem Theobaldi ducis Lotharingiae comiti Campaniae nupsit. Sed mox per censuram ecclesiasticam amovetur. Ex hoc loco mortem Lotharingiae ducis potius anno 1219 quam 1220 adscribendam credimus.

exactas ipsi mittat pro subsidio Terrae Sanctae; et eum hortatur ne deficiat in laboribus, dum Fridericus rex Romanorum, licet variis obstaculis sive propria voluntate usque nunc detentus, in festo Sancti Michaelis tandem sine dubio sit transiturus.

(Memorat. ex *Indice litter. Honor. III,* anno V, n° 1, in collect. Laporte du Theil. Cf. de Raumer, *Gesch. der Hohenst.*, t. III, p. 180.)

Datum apud Urbem Veterem, IX kalendas augusti, pontificatus anno quinto.

Apud Augustam, 27 julii.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam Northusensem reformans in ea praepositum, decanum et canonicos seculares instituit, cujusque jura decernit, exemptiones concedit et in praebendarum auxilium addit bona quaedam ibidem nominata.

(Ediderunt Leuckfeld, in *Antiqq. Walhus.*, p. 353, edit. secund.; et in *Antiqq. Blankenb.*, p. 95. — Ayrmann, *Sylloge anecdotor.*, p. 294. — Lesser, *Hist. Nachricht. von Nordhaus.*, p. 152. — Correctius vero Förstemann, *Geschichte der Stadt Nordhausen* (Halle, 1827), IIª pars, p. 1-3, quem secuti sumus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Cum sicut veris ostenditur argumentis et variorum eventuum opera protestantur, status principis ex soliditate factorum suorum in sui honoris debitis firmitatibus conservetur, et currentibus in stadio virtutibus universis bravio sola perseverantia coronetur, regalis clementie pium votum quod affavente Sedis Apostolice auctoritate, ad consilium principum circa mutationem et emendationem Northusensis ecclesie benigne concepimus, ad reformationem divini cultus in ea presenti privilegio stabilimus; inprimis siquidem statuentes ut quemadmodum ad preces regias apostolica decrevit auctoritas, instituantur in eadem ecclesia prepositus, decanus et

canonici seculares, ita quod ipsius prepositure donatio ad regalem porrectionem pertineat absolute, in humilioris persone dominium nullo unquam tempore transferenda, sed annumeretur aliis prepositturis imperii et gaudeat omni jure pariter et honore prepositus hujus ecclesie quo gaudere prepositi ceterarum ecclesiarum imperii consueverunt; recepturus ab archiepiscopo Maguntino curam ejusdem ecclesie, cum fuerit ab excellentia regia presentatus. Post primam quoque canonicorum institutionem, capitulum ipsius ecclesie eligendi decanum, canonicos et cellerarium liberam habeat potestatem juxta canonicas sanctiones, electumque decanum investiendum preposito representet prestiturum eidem obedientiam debitam et devotam. Canonici autem cum per capitulum memoratum instituti fuerint et ceterarum ecclesiarum more recepti, prebendas suas auctoritate capituli cellerarius amministret, nullum respectum ad prepositum, sed tantum ad capitulum habiturus. Prepositus autem de ipso conventu idoneum constituat scolasticum et custodem, prout ecclesie providerit expedire; et ut hujusmodi institutionis et reformationis exordium pleno regalis gratie favore juvetur, dictas ejusdem conventus personas in perpetuum prorsus eximimus ab omni onere talliarum, ita ut nec occasione petitionum nec exactionum nec munitionis civitatis ipsius aut aliarum penitus collectarum quibuscumque vocabulis exprimantur, de bonis suis aliquid auxilii facere teneantur expensas. Ad hec quascunque possessiones, quecumque bona eadem unquam ecclesia recolitur habuisse vel que in ipsius privilegiis continentur aut scriptis, in mancipiis, agris, vineis, vivariis, piscationibus, molendinis, pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumque decursibus et locis aliis cultis sive incultis, ipsi libere restituimus universa; nullum omnino de bonis ad eandem ecclesiam pertinentibus que per nos aut antecessores nostros alienata sunt aliquo modo warentantes, sicut nec de jure possumus aliquem juxta curie nostre sententiam warentare de illis. Ministeriales autem ejusdem ecclesie, civitatem Northusensem, potestatem judiciariam, monetam et theoloneum in eadem imperio reservantes, pro illis eidem ecclesie compensationem idoneam Domino annuente impendemus; statuentes ut ministeriales ipsi antiqua feuda que abbatissarum olim largitione juste ac rationabiliter sunt adepti, recipiant de manu pre-

positi ecclesie prenotate. Parrochias vero beati Nicolai in foro et beati Petri in monte civitatis ipsius et ecclesiam beate Virginis extra muros que dicitur Novum opus et parochiam in Wechsungen cum omnibus ad eas pertinentiis eorumdem canonicorum usibus assignamus in prebendarum subsidium et augmentum, salvo jure personarum que ipsas ecclesias modo tenent. Providebitur autem per capitulum sepedictum ipsis ecclesiis in divinis officiis competenter. Aliarum autem ecclesiarum pertinentium ad ecclesiam antea dictam donationes et ordinationes ad ejusdem loci prepositum libere pertinebunt. Bona quoque que Rubertus quondam advocatus et ministerialis ipsius ecclesie ab ipsa ecclesia tenebat in feudo, ad easdem prebendas nihilominus assignamus. Areas etiam claustrales et censum arearum civitatis qui Wertzins (1) dicitur, volumus ecclesie sepedicte cum omnibus aliis suis bonis et possessionibus remanere. Ut autem hec nostra reformationis et emendationis institutio perpetuis inconvulsa temporibus perseveret, presentem paginam super hoc conscribi precepimus et imaginis nostre impressione muniri; statuentes et pragmatico sanctientes edicto ut nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostram formam nostre constitutionis presumat infringere vel ei modis aliquibus obviare. Quod qui facere presumpserit centum libras auri componat, quarum medietas cedat fisco et reliqua medietas injuriam passis cedat.

Testes hujus rei sunt : Henricus inclitus filius noster in Romanum imperatorem electus, dux Swevie, Syffridus Maguntinus, Theodoricus Trevirensis, Albertus Magdeburgensis archiepiscopi, Eckebertus Babenbergensis, Otto Herbipolensis, Syffridus Augustensis episcopi, Ludewicus comes palatinus Reni dux Bavarie, Otto dux Meranie, Poppo comes de Hennenberg, Otto comes de Kerchberc, Burchardus comes de Mansveld, Hermannus comes de Waldenberg, Henricus de Niphen, Guncelinus de Crozuc, Anselmus marscalcus, Wernerus dapifer curie nostre, Philippus de Bonlant, et alii quamplures.

---

(1) Ita melius quam *Witzins*, ut apud Leuckfeld legitur, cum hoc verbum clare significet *Wohrtzins*, id est habitationis seu plateae census, nisi quis anteponat *Wrezins*, germanice *Urzins*.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Syfridi Maguntinensis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec apud Augustam, anno ab incarnatione Domini millesimo CC° XX°, indictione octava, regnante domino Frederico secundo, Romanorum rege [semper] augusto et rege Sicilie, anno regni ejus octavo.

Datum Auguste per manum Marquardi imperialis aule notarii, VI kalendas augusti, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, Fulconi episcopo Papiensi denuo mandat ut pacem in civitate Papiensi manutenere procuret. Apud Augustam, 28 julii.

(Memorat. ap. ROBOLINI, *Notiz. stor. di Pavia,* t. IV, p. I, p. 98, qui extractum dicit ex transumpto anni 1489 a notario Matt. Paltinieri redacto.)

Datum apud Augustam, XXVIII julii, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Staingadensi advocatiam bonorum ejus in Sibenaich, a duce Welfone seu a Manegoldo [de Sibenaich] illi collatorum, ab impetitione Heinrici de Sibenaich liberam esse declarat, qui etiam coram rege huic juri et actioni renunciat. Apud Augustam, 30 julii.

(Edit. ap. HUND, *Metrop. Salisb.*, t. III, p. 250, edit. Ratisb.; p. 363, edit. Monac. — SCHEID, *Origin. Guelf.*, t. II, p. 655. — *Monum. Boic.*, tom. VI, p. 510, num. 24; coll. cum originali, unde sigillum laesum praecipue in parte superiori appendet ex duplici funiculo, qui contextus est ex filis sericis rubri, viridis, albi ac purpurei coloris.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum ex debito regie majestatis omnia que vel querimoniose aut aliquorum lite ad nostram adferuntur presentiam, ad tranquillitatem pacis reformare teneamur, maxime tamen ecclesiarum Dei gravamina et injurias pre ceteris extirpare et contra futuros impetus malignorum hominibus sacre religioni dicatis munimen protectionis nostre porrigere et volumus et debemus. Notum igitur esse cupimus presentibus et futuris quod cum quodam tempore de Sibenaich advocatiam bonorum ecclesie in Staingaden ibidem in villa sitorum sibi vendicaret Heinricus de Sibenaich, que soli protectioni nostre et heredum nostrorum sine omni exactione sunt subicienda et a nobis nunquam alienanda aut a nobis progenitis, ipse H. jamdictus et Gebezo venerabilis predicte ecclesie prepositus super hoc apud Augustam ad nostram convenerunt presentiam : ubi sepedictus H. recognoscens se in antedicta advocatia predictam ecclesiam indebite et contra justitiam gravare, omne jus et actionem in advocatiam bonorum supradictorum, scilicet ville totius Sibenaich, ab inclito duce Welfone seu Manegoldo aut quocunque alio Staingademensi ecclesie illic collatorum, in manibus nostris penitus dimittendo resignavit in agris, in pratis, in pascuis, in piscinis et nemoribus et in omnibus pertinentiis ville, ut nec ipse aut aliquis ab ipso genitus aut dolo aut ingenio aliquis subintroductus ab eo postmodum predictos fratres in advocatia predictorum molestare presumeret. Ad cautelam et robur hujus resignationis et decisionem tocius future malignitatis, presens scriptum sigillo nostro communitum predicto preposito G. et confratribus ejus contulimus, et libertatem ejusdem advocatie, secundum quod magnificus proavunculus noster dux Welfo et imperatores augusti avus et pater noster ipsis usque ad tempora nostre exaltationis conservarunt et sigillis et privilegiis confirmarunt, et nos perpetuo ipsis confirmamus et stabilimus.

Testes quoque fideles nostros et imperii in presentia nostra eo tempore constitutos in hujus rei testimonium vocavimus Augustensis ecclesie episcopum S., Heinricum de Nifen, Bertholdum de Tannenberc, Eberhardum dapiferum de Tanne, Swigerum de Mindelberc, Ulricum prepositum de Moringen, et alios quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XX.

Datum apud Augustam, III (1) kalendas augusti, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, memorans quod castrum Schönburg et oppidum Wesel ecclesiae Magdeburgensi transferenda duxerit, statuit ut pueri a ministerialibus imperii ex una parte et a ministerialibus de Schönburg ex altera et invicem procreandi inter imperium et ecclesiam Magdeburgensem aequaliter dividantur. Augustae, 31 julii.

(Edider. SAGITTARIUS, *Histor. ducat. Magdeburg.*, lib. IV, p. 118, ap. BOYSEN, *Magazin*, t. II.—BECKMANN, *Anhalt. histor.*, t. III, p. 437. Coll. cum diplomat. Magdeb. chart., sec. XV, fol. 42 verso, in arch. reg. Berolin., cod. fol. I, 10.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Ut purum sit quicquid circa devotos nostros agimus et sincerum, benignitatis nostre gratiam circa ipsos ampliari volumus potius quam arctari. Unde cum de consensu principum pro debito duorum milium marcarum in quibus dilecto principi nostro Alberto Magdeburgensi archiepiscopo tenebamur astricti, castrum Sconemburch et oppidum Wesele cum omnibus suis pertinentiis, vassallis, ministerialibus, mancipiis et aliis quibuscumque, in dominium Magdeburgensis ecclesie duxerimus transferendum (2), ut inter ministeriales imperii ex una parte et inter ministeriales de Sconemburch Magdeburgensis ecclesie securius matrimonia contrahantur, statuimus ut sive ministerialis imperii ducat ministerialem ecclesie, sive ministerialis ecclesie ducat ministerialem

---

(1) Recte legi debet sic III, cum in *Monum. Boic.*, loco cit., vice notationis *iij kalend.* scribatur *in kalendis* : unde fuit documentum ad primum augusti diem, erronee nostra sententia, rejectum.

(2) Vide supra, p. 463.

imperii, sive filios sive filias procrearint, inter imperium et ecclesiam equaliter dividantur, ut videlicet imperio medietas et ecclesie medietas pertineat puerorum; quod si forsan de aliquo matrimonio provenire contigerit solam prolem, illa sive cedat imperio sive ecclesie, per aliam ubi locus fuerit equipollentem in divitiis et honore parti alteri compensetur. Ut igitur hec constitutio rata perpetuis temporibus conservetur, ipsam presenti pagina confirmamus.

Datum Auguste, II° kalendas. . . . . . (1), indictione VIIIª.

Apud Augustam, julio.

Fridericus, Romanorum rex, passagium sive theloneum in ponte civitatis suae Werdae (Donauwerth) pro libertate omnium inde transeuntium abrogat.

(Edit. ap. *Monum. Boica,* tom. XXXI, pars 1ª, p. 498, e libris copialibus Neoburgicis, secul. XV et XVI.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Eam semper induit misericordiam divina clementia et clemens divinitas tantam jugiter amplectitur pietatem quod quecumque bona fide ac intentione fideli Deo servitia ministrantur, ejus conspectui sunt accepta, et a sua non possunt mirabili providentia sine remunerationibus pertransire tam obsequia quam obsequentium voluntates. Quanto enim servitia sunt majora, tanto speranda sunt premia fidelibus meliora. Unde cum tam reges quam principes ad ipsum oporteat mentem et animum inclinare qui et modica et immensa servitia recipit, et dat cara immo pretiosa pro vilibus et pro caducis ac labilibus dat eterna, nos ad ejus volentes misericordiam habere res-

---

(1) Licet ibi per amanuensis oscitantiam notatio mensis desit, ex loco simul et indictione minime dubitandum est quin vox *augusti* supplenda sit.

pectum, quanto plus possumus ei servire in omnibus cupimus, quia quanto majora servitia fuerint, tanto magis salubre ac solitum sue gratie meritum prestolamur. Notum itaque facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos pro salute nostra et heredum nostrorum necnon pro remedio animarum felicium augustorum recolende memorie predecessorum nostrorum, misericorditer attendentes quam pium sit iniquas conditiones abjicere ac ea que ad onus et exactiones omnium generaliter sunt statuta concedere libertati, maxime de stratis et pontibus unde ceteri homines gradiuntur ad honorem et laudem divini culminis, passagium sive theloneum in ponte civitatis nostre de Werda antiquitus constitutum pro libertate omnium exinde transeuntium removemus; et privilegio presenti statuimus ut in ponte ipso pro passagio sive theloneo nihil in perpetuum requiratur nec transeuntibus inde aliquid exigatur; mandantes firmiter et auctoritate regia firmiter injungentes quatenus nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostram libertatem ausu temerario infringere seu violare presumat. Quod qui presumpserit, centum libras auri componat que nostre camere persolvantur.

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Eggibertus Babinbergensis episcopus, Otto Herbipolensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Cono Fuldensis et Elwacensis abbas, Odacrius Boemorum rex, Lodwicus dux Bavarie comes palatinus Reni, Heinricus marchio Moravie, Conradus burgravius de Nurnberg, comes Artmannus de Wirtenberg, Heinricus de Niffen, Evirhardus dapifer de Walpurg, Conradus camerarius de Werda, Ulricus frater ejus, et alii quamplures.

Ut hec autem rata et firma permaneant, presens inde privilegium fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis magnifici, semper augusti (*Monogramma*), et regis Sicilie.

Ego Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense julii, indictione octava, regnante domino nostro Fride-

rico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Datum apud Augustam, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Augustam, 3 augusti.

Fridericus, Romanorum rex, notum facit universis quod in ponte civitatis suae Werdae theloneum removit, et quum decreverit ut pons ligneus ex lapidibus construatur, mandat ut pro ejusdem aedificatione elemosinas porrigant.

(Edit. ap. *Monum. Boica,* t. XVI, p. 34, in monum. Verdens., n° IX.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, universis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Notum facimus vobis quod nos divino intuitu, pro salute nostra et heredum nostrorum nec non pro remedio animarum felicium augustorum parentum nostrorum recolende memorie, theloneum in ponte civitatis nostre de Werda antiquitus constitutum inde removimus et firmiter statuimus ut per pontem ipsum nullum deinde theloneum requiratur, sed omnes exinde transeuntes libere et sine aliqua requisitione transeant et eant. Ceterum quia statuimus et decrevimus ut ipse pons sicut est de lignis, ita ex lapidibus construatur, mandamus vobis atque precipimus quatenus latores presentium pro edificatione ipsius pontis elemosinas requirentes benigne recipiatis, et prout vobis Deus inspirare voluerit, manus auxilii pro ejusdem edificatione pontis benignius porrigatis; scientes ipsos nuncios sub nostra et imperii ire et redire protectione.

Datum apud Augustam, tertio nonas augusti, indictione octava.

Honorius papa Conrado episcopo Metensi et cancellario injungit ut vigore regii mandati terram comitissae Mathildis Raynaldo Munaldi nuntio suo nomine Sedis Apostolicae resignet. Apud Urbem Veterem, 5 augusti.

(Inedit. ex regest. Honor. III, ann. V, epist. 16, in collect. Laporte du Theil, ap. Bibl. reg. Paris.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Metensi, imperialis aule cancellario, salutem, etc. Tua sicut credimus fraternitas recognoscit qua te prerogativa dilectionis mater tua Romana Ecclesia fuerit amplexata, que ita tibi januam sue bonitatis aperuit ut quadam singulari gratia te duxerit inter ceteros honorandum. Tenere insuper firmum debes quod nos ea te caritatis habundantia prevenimus ut de tuo simus honore solliciti et libenter de hiis que tuum incrementum respiciunt cogitemus. Quare de te Apostolica Sedes et nos cum ipsa confidimus quod memorans eam quam ab ipsa gustasti dulcedinem et considerans rorem tibi sue benedictionis magis ac magis si in ejus devotione perstiteris infundendum, gerere in pectore tuo debeas Ecclesie Romane negotia et etiam ea nobis tacentibus procurare. Quum autem jamdudum regias acceperimus litteras continentes quod regia auctoritate debebas terram comitisse Mathildis dilecto filio Alatrino subdiacono et cappellano nostro nomine Sedis Apostolice assignare, tuque per tuas quas in testimonium reservamus litteras, intimasses te super hoc regium accepisse mandatum, et dictus subdiaconus idem nobis scribere procurasset, mirati sumus non modicum quod cum te intrasse intelleximus Lombardiam (1), nihil est nobis de hiis per te vel dictum subdiaconum nunciatum. De ipsius ergo subdiaconi absentia dubitantes, dilectum filium Raynaldum Munaldi subdiaconum et capellanum nostrum, virum providum et dis-

---

(1) Cancellarius autem exeunte julio jam Mantuam advenerat. Cf. supra, p. 803, not. 1.

cretum, nobis et fratribus nostris sue merito probitatis acceptum, ad te duximus destinandum; fraternitatem tuam rogantes, monentes et hortantes attentius et per Apostolica tibi scripta mandantes quatenus ipsum immo potius nos in eo benigne recipiens et honeste pertractans, terram comitisse Mathildis secundum mandatum regium ei nomine nostro et Ecclesie Romane, omni mora et occasione postpositis, restituas et resignes; ita quod per promptum affectum de tuo regiis videaris beneplacitis adjecisse per quod gaudeamus de gratia quam tibi Apostolica Sedes exhibuit, cognoscentes te ipsam non in vacuum accepisse, ac ad exhibendum habundantius sinceritati tue commodum et honorem, constituamur tibi cum Romana Ecclesia debitores.

Datum apud Urbem Veterem, nonis augusti, anno quinto.

[Adsunt aliae litterae supradicto Raynaldo missae, quibus papa mandat ut Metensem episcopum adeat; illi exponat se peregrinationis in Terram Sanctam mora excommunicationis sententiam incurrisse; ad accipiendum igitur absolutionis beneficium inducat, et praesertim ad reddendam Apostolicae Sedi comitissae Mathildis terram hortetur. Datum apud Urbem Veterem, V idus augusti (9 aug.)].

Apud Augustam, 5 augusti.

Fridericus, Romanorum rex, forum annuale quod hactenus apud Kebel celebrabatur, ad oppidum suum Gelnhausen transfert, omnesque negotiatores ibidem accedentes sub sua protectione recipit.

(Edid. Lunig, *Reichsarchiv,* t. XIII, p. 784.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Significandum duximus vobis quod nos forum annuale quod hactenus apud Kebelii (*sic*) extitit celebratum, ab eodem auferimus loco et transferimus illud ad oppidum nostrum Geilnhausen, ut deinceps illic

octo diebus ante festum Matthei apostoli et evangeliste et totidem diebus post idem festum annuatim celebretur, universos negotiatores cum rebus et mercimoniis suis ad ipsas nundinas accedendo, illic stando et abinde recedendo sub nostram et imperii recipientes protectionem. Mandamus sub pena gratie nostre districte precipientes ut nullus cives nostros de Geilnhausen super iisdem nundinis singulis annis illic habendis impedire audeat, aut negotiatores illuc accedentes in personis aut rebus molestare. Quod qui fecerit nostram et imperii offensam noverit se graviter incursurum.

Datum apud Augustam, nonis augusti, indictione octava.

Fridericus, Romanorum rex, principibus suis, Eckberto Babenbergensi et Ottoni Herbipolensi episcopis, liberam concedit facultatem transigendi de mutuis matrimoniis inter ecclesiarum eorum familias contrahendis, et de contrahentium prolibus inter praedictas ecclesias partiendis.

Apud Augustam, 7 augusti.

(Editum in Stumpf, *Hist. archiv. für Franken*, II, Heft 23; — et ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 102-103, num. DCLII, ex originali in archivo Wirceburg., unde sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia, Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Quanto nos ad seculi regimen pre ceteris excelsius divini altitudo consilii sublimavit, tanto nos ad favorabiles fidelium nostrorum preces debemus non immerito facilius inclinari. Noverit igitur omnium Christi fidelium tam presentium etas quam futurorum successura posteritas quod ad peticionem dilectorum et fidelium principum nostrorum, Eckeberti Babenbergensis et Ottonis Herbipolensis episcoporum, de matrimoniis inter ecclesiarum eorum familias contrahendis et de contrahentium prolibus

inter predictas ecclesias parciendis liberalem eis magnificentie nostre consensum dedimus et favorem. Ratum habentes et presentis scripti ac sigilli nostri munimine confirmantes quicquid ipsi de prudentum ac fidelium suorum consiliis super predictis ac mutuis matrimoniorum contractibus ad ecclesiarum suarum profectus et commoda decreverint ordinare.

Hujus rei testes sunt : Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Ekkebertus Babenbergensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Cuono Fuldensis et Elwacensis abbas; laici, Otacarus rex Boemie, Ludewicus dux Bawarie palatinus comes Reni, Henricus marchio Moravie, Otto dux de Meran palatinus comes Burgundie, Henricus comes de Ortenberch, Ludewicus comes de Zigenhagen, Ludewicus comes de Otingen, Burchardus comes de Mannesfelt, Lampertus comes de Gelichen, Hermannus comes de Waldenberch, Fridericus de Truhendingen, Albertus de Frankenstein, Berhtoldus de Alenvelt, Anshalmus de Justingen marscalcus, Cunradus, Ulricus fratres de Werda, Henricus magister coquine de Rotenburch, Rudolfus de Hovelt, Richolfus de Lutenbach, et alii quamplures.

Data apud Augustam, VII° idus augusti, indictione VIII[a].

Apud Augustam, 17 augusti.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Staingadense sub specialem suam recipit protectionem, illique universas possessiones confirmat, quas nominatim exprimit.

(Edit. ap. Hund, *Metrop. Salisb.*, t. III, p. 250. — Scheid, *Origin. Guelf.*, t. II, p. 653. — *Monum. Boic.*, tom. VI, p. 512, num. 25. Coll. cum originali unde sigillum appendet ex filis sericis viridis et rubri coloris, ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, n° 653.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Divine remunerationis intuitu

et equitatis ecclesiis a progenitoribus nostris fundatis non solum tradita beneficia conservare tenemur, verum etiam de concessis nobis a Deo aliqua eis feliciter erogare et circa tranquillitatem ipsarum et augmentum operam efficacem et curam adhibere diligentem. Eapropter omnibus Christi fidelibus tam posteris quam modernis notum esse volumus quod nos animadvertentes divine religionis cultum et honestam fratrum conversationem monasterii Steingadin, quod fundavit predilectus consanguineus noster inclitus dux Welfo et propriis curavit prediis ditare, quod que ibi pro eo et omnibus posteris ejus preces sine intermissione funduntur ad Dominum, ipsum monasterium cum omnibus sibi attinentibus in plenitudinem gratie nostre et sub specialem majestatis nostre suscipimus protectionem; ad honorem Dei et sancti Joannis Baptiste fratribus Deo illic militantibus ex innata nobis benignitate confirmantes quidquid antedictus consanguineus noster et gloriosus pater noster invictissimus imperator Heinricus (1) et charissimus patruus noster Conradus illustris Suevorum dux pro remedio animarum suarum monasterio eorum contulerunt et confirmaverunt, et que nos ipsi vel alius quispiam donavit queve in posterum justo acquisitionis titulo, procurante Deo, poterunt adipisci. Possessiones vero quas in presentiarum obtinent propriis duximus exprimendas vocabulis : fundum videlicet in quo ipsum monasterium situm est totamque terram claustro adjacentem ab amne qui dicitur Rotenbach usque ad amnem qui vocatur Marbach, et a fluvio Lico usque ad fluvium qui dicitur Hylabe, cum viis, semitis, pratis, agris cultis et incultis, cum aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, montibus et nemoribus, cum mancipiis et colonis et cum omnibus pertinentiis suis ex integro. Insuper predium Dornowe, predium Celle, predium Scongov, predium Hohinfurch, predium Germaringen, predium Inginriet, Sewon, Burenchowe, Emichenriet, Franchenowe, Wazinriet, Frankinriet, Husen, Buren, predium Muthardishoven, Adilinriet, Erstingen, Tegirnbach,

(1) In omnibus, vix non de verbo ad verbum, hoc diploma convenit cum priore Philippi regis confirmatione de anno 1201, 20 septembris, excepto uno solum loco ubi ecclesia in Bitingow nunc accessit. Conferatur etiam confirmatio Heinrici sexti, anno 1189, 6 septembris.

Vohegowe, Urbach, Chistilingen, Ursingen, predium in Sibeneich, predium in Iglingen, decimam apud Sibeneich, quam dedit Hermannus de Mazzensiz, curiam Widergeltingen cum ecclesia et omni jure, curiam Stadeln, curiam Bitingov et ecclesiam cum omni jure, ecclesiam de Breme (*a*), Lullansperc, Titinhusen, curiam Horne cum piscationibus et omnibus appenditiis ejus, in montanis curiam Schardis, curiam Loumin, curiam Hagnach, bona Umersta (*b*), curiam Omindingen; preterea novale unum quod vocatur Vronrute et predium quod vocatur Langemos, tradita a patruis nostris Friderico et Conrado Suevorum ducibus. Indulgemus ad hec fratribus memoratis ut quicumque hominum nostrorum fiscalinorum sive etiam ministerialium offerre se et bona sua ad eos voluerit, libere facere possit et absque consensus nostri requisitione. Et regio districte precipientes edicto ut nulla deinceps persona cujuscumque sit conditionis hanc nostram irritare audeat confirmationem vel sepedictos fratres in bonis suis aliquo inquietudinis modo gravare. Quod qui fecerit centum libras auri purissimi componat, dimidium fisco nostro, reliquum passis injuriam.

Testes hujus rei sunt : Sifridus episcopus [Augustensis], Chuno Elwangensis et Fuldensis abbas, Bertholdus de Tannenberc, Swiggerus de Mindilberc, Engelscalcus et Hermannus de Heginiberc, Ulricus prepositus de Moringen, et alii quamplures.

Signum domini Friderici regis Romanorum invictissimi, et regis Sicilie.

Ego Conradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. XX, indictione VII (*c*), regnante domino Friderico Romanorum rege glorioso, anno [Romani] regni ejus VIII.

Datum apud Augustam, XVI kalendas septembris, feliciter.

(*a*) Alias autem *Gebreme*.

(*b*) Alias autem *Umiste*.

(*c*) Recte autem *octava*, sicut ex praecedentibus esse debet.

Fridericus, Romanorum rex, sententiam in curia Frankfordensi latam contra Johannam Flandriae et Hainoniae comitissam, super abjudicatione terrae ejus Willelmo Hollandiae comiti concessae, in irritum revocat, eamdemque comitissam omnibus bonis et feudis quae antecessores ejus ab imperio tenuerunt investit. [Circa augustum.]

(Edit. ap. WARNKŒNIG, *Hist. de la Flandre et de ses institutions,* t. I de l'édition française, pièces justificatives, n° XIII, ex arch. Gandav. Reperitur quoque in arch. Insul., Chamb. des comptes, *Cartul. des emper.*, n° 3. Ex originali pendebant trium episcoporum sigilla et contrasigilla in viridi cera, primum filis sericis viridis coloris, altera duo pergamenis laqueis.)

Guido, Dei gratia Cameracensis, W. eadem gratia Tornacensis et F. eadem gratia Atrebatensis episcopi, universis presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noveritis quod nos litteras Friderici quondam (1) imperatoris sigillo ejusdem aureo sigillatas, non cancellatas neque vitiatas, inspeximus in hac forma :

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus ad quos presens pagina pervenerit gratiam suam et omne bonum. Noverint universi quod nos jura fidelium nostrorum semper volentes illibata conservare et eis gratie nostre favorem impertiri, de consilio principum fidelium nostrorum, sententiam in curia nostra solempni apud Frankenvurt (2) contra nobilem Flandrie et Hainonie co-

---

(1) Ita designatur, licet vivens adhuc, post excommunicationem et depositionis sententiam contra eum ab Innocentio papa IV in anno 1245 promulgatam et per totam Galliam denuntiatam.

(2) Licet a fere omnibus rerum Flandricarum scriptoribus haec sententia memoretur, notandum est quod neque in originali neque in transumpto usquam reperiatur. Unde arbitrari licet post cassationem quam nunc transcribimus, hanc fuisse deletam. Eamdem autem sententiam, quam Meyerus et d'Oudegerst, qua auctoritate nescimus, ad ann. 1218 reposuerunt, melius tum ex ipsis privilegii verbis, tum ex praesentia comitis Hollandiae, ad curiam Francofurtensem aprili-maio 1220 celebratam, attribuendam censemus. Quapropter non ante curiam Augustensem, julio-augusto ejusdem anni, revocationem promulgatam fuisse arbitramur.

mitissam Johannam latam super abjudicatione terre sue (1) quam Willelmus comes Hollandie a nobis in feudum recepit, justis et legitimis rationibus in irritum revocamus et decernimus inanem : pro eo videlicet quod tempore illo quando contra comitissam sententiatum fuit, propter viarum pericula et persone sue metum ad presentiam nostram facilitatem non habuit accedendi, et quia vir nobilis Fernandus maritus ejus comes Flandrie et Hainonie tum in captione regis Francie detinebatur. Nos igitur de juris equitate memoratam comitissam Johannam omnibus bonis et feudis suis que antecessores sui ab imperio tenuerunt investivimus (*a*) [et] in eorum mittimus possessionem, sub gratie nostre obtentu districte precipientes ne quis ipsam in hiis molestare vel contra regie nostre majestatis factum ausu temerario venire presumat.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo (2).

In cujus rei testimonium presentes litteras fecimus sigillorum nostrorum appensione muniri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense decembri.

Apud Urbem Veterem, 20 augusti.

Honorius papa universis principibus per Theutoniam constitutis sub poenis ecclesiasticis mandat ut jura Friderici imperatoris ad subsidium Terrae Sanctae transfretare volentis illaesa serventur (3).

(*a*) Ap. Warnkœnig *restituimus*, minus recte.

---

(1) Agitur de terris Alostanis, de Wasia, de quatuor *Ambactis* seu ministeriis et quinque insulis Zeelandiae, quas comitissa Flandriae ab imperio, comes vero Hollandiae ab ipsa comitissa tenebat. Ad majorem rei evidentiam vide documenta, maio 1221 et julio 1245.

(2) Sic, nec plura. Cum nusquam appareat hujus instrumenti originalis pergamena, magis desiderandum est quod praelati privilegium integrum cum chronologicis notis, si fuerint, transcribendum non duxerint.

(3) Ita litteris Friderici quae supra (p. 802) Honorius respondisse videtur. Nec enim a solita

(Memorat. ex *Indice litter. Honorii III,* ann. V, n° 63 (forsan 36), in collect. Laporte du Theil.)

Datum apud Urbem Veterem, XIII kalendas septembris, pontificatus anno quinto.

Honorius papa Fridericum regem Siciliae et in regem Romanorum electum commendat quod ad suas preces ipse uxorem suam ducat pro recipiendo imperiali diademate. Apud Urbem Veterem, 28 augusti,

(Memorat. ex *Indice litter. Honor. III,* ann. V, n° 62, in collect. Laporte du Theil.)

Datum apud Urbem Veterem, V kalendas septembris, anno quinto.

Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aulae cancellarius et totius Italiae legatus, commune Bononiense extrahit et exsolvit ab omni banno et poena ipsi impositis per episcopum Taurinensem et marchionem Montisferrati seu per alios. Bononiae, 1° septembris.

(Edidit SAVIOLI, *Annal. Bolognesi,* t. II, pars II, p. 444.)

[Anno] millesimo CC. XX, indictione VIII, die martis primo mensis septembris, in palatio domini episcopi Bononie, in presentia infra scrip-

---

sua benevolentia divertit, dum circa idem tempus regem ipsum et ejus possessiones sub sua speciali protectione iterum atque iterum receperit, et etiam comiti Egenoni de Urach et caeteris qui se voto solutos asserebant, mandaverit ut sine mora sacrum iter assumerent. *Regest. epistol.,* anno V, n^is 68, 70, 71, ap. RAUMER, *Gesch. der Hohenst.,* t. III, p. 188.

torum testium, nos Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus, recepta fidelitate a Guillelmo de Pusterla potestate Bononiensi et communi ipsius civitatis debita devotione ac reverentia speciali, considerata etiam fide sincera et pura devotione quam eamdem civitatem cognoscimus ad dominum nostrum Fridericum Dei gratia Romanorum regem, semper augustum et regem Sicilie, exhibuisse, auctoritate legationis qua fungimur, extrahimus et exsolvimus commune Bononiense ab illo banno in quo positum fuit per venerabilem episcopum Taurinensem tunc regalis curie vicarium et dominum Guillelmum marchionem Montisferrati (1), et ab omni alio in quo ipsum commune positum appareret tempore domini regis. Insuper absolvimus predictum commune ab omni pena sibi imposita per predictos vel per alios, regia auctoritate eamdem penam penitus remittentes. Predictus dominus cancellarius hanc cartam fieri precepit presente domino Guillelmo potestate civitatis. Interfuerunt Bagarottus legum doctor, Guido Bonicambii, Gerardus de Luizo, Guizardinus doctor legum, Jacobus Balduini doctor legum, Guido Tantidenarii, Munsarellus de Asinellis, Ubertinus judex domini episcopi Bononiensis, Bulgarinus Guidonis Guizardi, Boccatius de Lambertatiis, Ursolinus judex, Nicholaus Nascinpacis, atque Zacharia notarius de Bononia testes (2).

Ego Lantelmus Ferr. Papiensis, imperialis notarius et regalis curie, his interfui et hanc cartulam jussu predicti domini cancellarii scripsi.

---

(1) Vid. supra, p. 629-630, et chartam de restitutione comitatus Imolae ap. Savioli, *ibidem*, p. 441, ante Anselmum de Spira et Ugolinum Romaniolae comitem confectam, 16 augusti 1220.

(2) Ad hoc tempus pertinet aliud instrumentum ita memoratum in Tolosani, *Chronic.*, ap. Mittarelli, *Accessiones*, p. 159. « Anno a Christi Nativitate 1220, Spirensis ac Metensis episcopus, cancellarius domini Federici secundi regis Apuliae, venit in civitatem Imolae. Ibi fecit congregari omnes principes de Romania, ad quam convocationem fuit dominus Ubertinus Guidonis de Dusdeo filius et dominus Petrus de Traversaria de civitate Ravennae, et inter eos pacem composuit in mense septembri; et instituit quod Ugolinus de Zuliano de Parma esset comes de Romania per annos septem de voluntate regis, et potestas Ravennae, Cerviae et Brettonorii per annos duos; et denuntiavit quod idem comes staret vel stare faceret aliquos in girone Castricarii et in duabus turribus, donec cognosceretur lis quae vertebat inter Rainerium de Ravaldino et comitem Bonifacium de Castrocario. »

Bertholdus Brixinensis episcopus et Albertus Tridentinus episcopus, praesente et permittente Friderico Romanorum rege, quosdam ministeriales inter suas ecclesias commutant.

Bozani, in tentorio imperiali, septembri.

(Edid. Hormayr, *Beitrage zur geschichte Tirols*, cod. diplomat., p. 324.)

M. CC. XX, indictione VIII, Bozani in tentorio imperiali, mense septembri. Omnibus in Christo renatis renascendisque constet quod venerabilis Bertholdus Brixinensis ecclesie episcopus et Albertus presul Tridentinus, in presentia domini Friderici imperatoris, ejus permissione et cum voluntate canonicorum et ministerialium utriusque ecclesie, quoddam legitimum et suis ecclesiis utile fecerunt concambium. Tradidit enim et delegavit Brixinensis episcopus quamdam ministerialem ecclesie, filiam domini Bertholdi Suevi de Bozano, uxorem domini Vorhardi militis, ecclesie Tridentine ad legitimum jus ministerialium in ea habendum; e contra prefatus episcopus Tridentinus quemdam Henricum, filium Alberti de Rischone militis, donavit ecclesie Brixinensi ut ipsa legitimo jure ministerialium in eo utatur.

Hujus rei testes sunt : D. Fridericus plebanus de Geizes, canonicus Brixinensis ecclesie, D. Bertholdus plebanus de Sancto Laurentio, D. Henricus de Brutsches, Albertus comes de Tyrol, Volricus comes de Eppan, Ulricus comes de Ultimis, domini Albero et Bertholdus fratres de Wanga, etc. (*sic*) (1).

(1) Huc pertinere videtur instrumentum in *Geschichte der Grafschaft Tirol,* urkundenb. p. 264, mendose ita memoratum : « Anno Domini M. CC. XXII, III nonas septembris, indictione VI, Bauzani in tentorio imperiali, comparuit episcopus noster (*scilicet Brixinensis*), comitantibus sibi ministerialibus et vasallis Hugone de Tuvers, D. Arnoldo de Rodanck, D. Friderico de Schonecke (*et caeteris usque ad*) D. Bertoldo Suevo. » (*Ex libr. tradit. Brix.*) Non autem dubitandum quin ad tertium diem septembris 1220 charta referenda sit. Memoratur etiam ap. Lang, *Bair. iahrbucher*, ad ann., aliud instrumentum unde liquet Fridericum regem apud Botzen quinto die septembris quoque stetisse.

Apud Urbem Veterem, 4 septembris.]

Honorius papa Conrado episcopo Metensi conqueritur quod Raynaldum nuncium suum vanis promissionibus detinendo, terram comitissae Mathildis non hactenus Ecclesiae Romanae resignaverit.

(Inedit. ex regest. Honor. III, ann. V, epist. 91, in coll. de Laporte du Theil, ap. Bibl. reg. Paris.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Metensi, imperialis aule cancellario, salutem et apostolicam benedictionem. Si benignitatem quam circa te Apostolica Sedes exhibuit diligenter attenderes, ejus negotia diligentius et fidelius procurares. Sane non possumus non mirari quod cum regale mandatum acceperis, prout tuis nobis litteris intimasti, ut nobis resignari faceres terram clare memorie comitisse Mathildis ad Romanam Ecclesiam pertinentem, ac propter hoc dilectum filium Raynaldum subdiaconum et capellanum nostrum ad te jamdudum curaverimus destinare, tu eum promissionibus hactenus detinendo in negocio ipso efficaciter minime processisti. Certe talia de te non sperabamus obsequia, quia scimus nos et Apostolicam [Sedem] de te longe alia meruisse. Monemus igitur fraternitatem tuam et per apostolica scripta tibi precipiendo mandamus quatenus terram ipsam, dilatione ac excusatione cessantibus, nomine nostro capellano facias resignari predicto et eidem ab ipsius terre hominibus fidelitatis juramenta prestari; precedentem negligentiam subsequenti diligentia taliter purgaturus quod operum exhibitione demonstres te ad nos et Romanam Ecclesiam debitam devotionem habere nosque ac fratres nostri non contra te, sed pro te cogitare potius debeamus.

Datum apud Urbem Veterem, secundo nonas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae grates agit de his quae sibi per Alatrinum subdiaconum ejus et notarium Petrum de Salerno suum nuntium litteris et oretenus transmisit; se aeternum pro beneficiis acceptis erga papam et Romanam Ecclesiam debitorem confitetur; quidquid sibi injunxerit pro remedio animae suae acceptat, licet non inciderit in latam sententiam impedimentis evidentibus praepeditus; rogat papam ut suae exaltationi quam citius intendat, supplicans ne detractoribus suis aurem accommodet. In castris apud Veronam, 13 septembris.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 110, n° 368, ex copia in archivo Vaticano desumpta et ipsi a Pertz communicata.)

Datum in castris apud Veronam, idibus septembris, indictione IX.

Fridericus, Romanorum rex, omnia statuta quae cives Astenses contra Astensem ecclesiam ediderunt, revocat, jubetque ut e statutis suis haec deleri faciant. In castris in prato Sancti Danielis apud lacum de Garda, 16 septembris.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra,* t. IV, p. 376, qui perperam ad primum diem octobris 1236 documentum refert. Memorat. ap. MOLINA, *Notiz. stor. della citta d'Asti,* t. II, p. 203 et 204, ubi notae chronologicae recte corriguntur.)

Fridericus II, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie in perpetuum. Cum ex debito regie majestatis teneamur illas precipue injurias propulsare que redundant in injurias summi regis, statuimus et mandamus ut universa statuta que cives Astenses contra Astensem ecclesiam et viros ecclesiasticos statuerunt

inania sint et cassa, maxime quinque infrascripta : videlicet quod si quis clericus in poderio Astensi possessiones a laicis aliquo titulo acquisierit, ad dationem fodri et collectarum et aliarum exactionum tanquam laicus compellatur; et quod aliquis de jurisdictione Astensi non vendat possessiones aliquas nisi illi predicta exsolvant, et per hoc clerici non possunt acquirere possessiones que ab illis tenentur. Item quod potestas Astensis juramento teneatur non compellere aliquem ad solvendum decimam, nisi pro medietate; et si aliquis civis fuerit alicujus ecclesie procurator, auferantur sibi pro pena solidi sexaginta; et si clericus vocatus a potestate Astensi se non representaverit et juri non paruerit coram eo, potestas juramento teneatur sibi non facere rationem super quocumque negotio vel injuria seu damno sibi dato. Que predicta omnia penitus enervamus, clericis, ecclesiis et viris ecclesiasticis Astensibus specialiter concedentes ut possint libere possessiones acquirere in Astensi poderio et ubicumque absque datione aliqua collectarum et aliarum exactionum. Statuimus igitur sub pena mille marcharum argenti ut et predicta statuta e statutis suis deleri faciant et ut de cetero similia vel aliqua alia sub aliquo colore contra libertatem ecclesiasticam non attentent.

Datum in castris in prato Sancti Danielis, apud lacum de Garda, anno Domini M. CC. XX, XVI kalendas octobris, indictione IX.

Apud campum Sancti Danielis juxta lacum de Garda, 17 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Beati Michaelis in campanea Veronensi et Gemmae abbatissae ejus jurisdictionem, districtum et honorem in locis ibi expressis dat et confirmat, et quaedam singularia jura insuper concedit, non obstante quod monasterium monacharum sit, non obstante etiam aliqua lege contraria.

(Edit. ap. Biancolini, *Notiz. storiche delle chiese di Verona,* lib. IV, p. 710 et seq.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus

Sancti. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Quia regalem decet clementiam ecclesias et loca religiosa diligere, propositi nostri est et voti petitiones justas pro ecclesiis nostre majestati exhibitas benigne admittere et jura ipsarum nostre protectionis munimine roborare. Quapropter notum facimus universis tam presentibus quam futuris qualiter Nicolaus de Verme scindicus et procurator monasterii beati Michaelis quod situm est in campanea Veronensi apud civitatem, humiliter in conspectu nostro proposuit monasterium nominatum et tam preteritorum temporum abbatissas quam Gemmam que in presenti tempore ipsi monasterio abbatissa preesse videtur, investituram recepisse a predecessoribus nostris qui fuerunt pro tempore de jurisdictione, districtu et honore ville Sancti Michaelis in campanea et incolarum qui nunc ibi habitant aut habitabunt etiam in futurum, et de jurisdictione, honore et districtu allodii terrarum et possessionum et incolarum nunc et in futurum ibidem habitantium, sicut dictum monasterium habet et possidet in districtu Veronensi, in loco et fundo ville Collonie, Menervie, Porcillis, Calderii, Colegnole, Quarzagi, Lavagni, Monteauri, Mezane, Stalavene, Yebeti, Campi de Lessini (1) et omnibus curiis, et de omni eo quod ad jurisdictionem, districtum et honorem imperii pertinet, ut de tholoneo pro stazonatico nundinarum Sancti Michaelis quod olim fiebat in campanea Veronensi apud dictum monasterium et nunc consuetum est fieri in Veronensi campo Marcio et de jure dicti tholonei et stazonatici et de omni eo quod ad dictum tholoneum et stazonaticum et imperium pro hiis pertinet. Quapropter majestati nostre idem Nicolaus de Verme procurator monasterii nominati nostre excellentie (*a*) supplicavit quatenus omnia supradicta eidem monasterio et Gemme ipsius monasterii abbatisse nostra dignaretur serenitas confirmare, licet privilegia ejusdem monasterii combusta fuerint vel ammissa.

(*a*) Sic. Abundat autem honorifici tituli nota.

---

(1) Videlicet hodie *Cologna, Minerbe, Porcile*, *Caldiero, Colognola, Quarzago, Lavagno, Montorio, Mezzane, Stalavena, Gevio, Campo de' Lessini.*

Nos igitur divine pietatis intuitu, pro remedio quoque animarum divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, omnia supradicta nonobstante quod privilegia ipsius monasterii combusta fuerint vel ammissa, eidem monasterio damus et confirmamus et presenti privilegio communimus. Insuper etiam damus, concedimus et largimur eidem monasterio, Gemme abbatisse et Nicolao scindico nominato ut abbatissa que nunc est in monasterio ipso et que deinde fuerit licentiam et potestatem habeat exercendi jurisdictionem, districtum et honorem in predictis locis et personis, emancipandi, dandi tutores, dandi et removendi curatores, cognoscendi et judicandi de suspecto, cognoscendi et judicandi [de] liberalibus causis et questionibus, creandi consules et potestates, decanos, massarios et ceteros officiales in predictis locis, non obstante quod ipsum monasterium sit monacharum. Hec igitur omnia supradicta ex certa scientia, non obstantibus legibus positis in Codice sub titulo *de Arbitris* et generaliter non obstante aliquo jure veteri vel novo vel aliqua lege sive constitutione, quamvis non sint nominate vel expresse, firmiter (*a*) statuimus, et presenti instrumento sancimus quatenus nullus sit qui contra hanc concessionem et confirmationem nostram monasterium nominatum impedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit, centum librarum auri componet, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut hec autem rata et firma permaneant, presentem mandati paginam scribi fecimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Hujus rei testes sunt : Bertholdus Aquilegensis patriarcha, Henricus (*b*) Pataviensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Jacobus Taurinensis episcopus, Ludewicus (*c*) dux Bavarie comes palatinus Reni, Anselmus marscalcus de Justigen, comes Eberhardus (*d*) de Helfinstein, Wernherius dapifer de Bonlandia, Conradus de Werda, et alii quamplures.

(*a*) Ap. Biancolini *facientes,* male.

(*b*) Sic. Recte vero legendum *Odoricus* sive *Ulricus.*

(*c*) Ap. Biancolini *Laupoldus,* male.

(*d*) Ibidem *Guarhardus,* minus recte.

Acta fuerunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, quinto decimo kalendas octobris, indictione nona, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo, et in Sicilia vicesimo tercio, feliciter. Amen.

Datum apud campum Sancti Danielis juxta lacum de Garda, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum rex, homines liberos habitantes in insula Sirmiae cum familiis eorum et proprietatibus sub suae defensionis mundiburdio recipit, eisque confirmat ut per nulla placita fatigari debeant, sed solummodo semel in anno placitum generale sub imperatore vel ejus misso faciant.

Super lacum juxta Veronam, [septembri].

(Inedit. ex cod. MSS. Bibl. publ. Stuttgart., n° 243, ex transumpto notarii Joannis Mariae quond. Alberti de Bononia habitatoris Sirmiae; insertum in diplomate Conradini, dato apud Veronam, 1° novemb. 1267, XI indict. Testatur in praeambulo Conradinus hoc privilegium divi augusti avi sui Friderici secundi tunc Romanorum et Siciliae regis, sibi per procuratores universitatis Sirmiae praesentatum, vidisse *non abolitum, non cancellatum nec in aliqua sui parte vitiatum.* Unde, licet sub hac quam exhibemus forma rescriptum sane credamus, non omnino de hujus privilegii sinceritate dubitandum censemus. Memorat. etiam ap. PERSICO, *Verona e la sua provincia,* p. 277, et in nota, p. 317.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et rex Sicilie, semper augustus. Ad imperialem spectat dignitatem non solum predecessorum nostrorum catholicorum imperatorum pia statuta inviolabiliter conservare, verum etiam nostre quoque potestatis auctoritate irrefragabiliter ea munire. Inde est quod omnibus Christi et imperii fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus qualiter nobis consedentibus super lacum juxta

Veronam, homines liberos habitantes in insula Sirmie (1) laci Benaci, Johannem consulem Sirmie, Zanettinum Goxolengum filium quondam Brasilii, Sucinum notarium, Ottolinum filium Boxadri, Bonaventuram de Calcidano, Bonaventuram quondam Flatiditie pro se et omnibus habitantibus et habitaturis in prefato loco Sirmie cum uxoribus et filiis ac filiabus, eorum servis et ancillis, omnibus proprietatibus, substantiis illorum mobilibus et immobilibus, pro majori securitate sub nostre imperialis potestatis mundiburdium ex integro in perpetuum recepimus; et pro salutari remedio antecessorum nostrorum regum et imperatorum, omnem gratiam in privilegiis eorum que pro manibus habebant sibi concessam auctoritatis nostre privilegio et sigillo imperiali confirmavimus, salva per omnia imperiali justicia. Precipimus itaque ut nullus episcopus, dux, marchio, comes, vicedominus, sculdasius, gastaldius, decanus seu aliqua magna parvaque persona eosdem homines in prenominato loco habitantes distringere, pignorare vel calumniari presumat injuste, et nullus potestative in eorum mansiones ingredi tentet nec fiat eis contradictio piscandi per totum lacum Benaci, nemoque illos de eorum proprietatibus audeat divestire absque regali judicio, ripaticum, theloneum, hostiaticum aut aliquam publicam functionem per totum Italicum regnum ab eis aliquando exigat, ipsique eorumque posteri per aliqua placita ab hodierna die in antea non fatigentur, sed solummodo semel in anno per tres dies continuos infra octavam Sancti Michaelis placitum generale sub imperatore vel ejus misso faciant, et per unamquamque illarum dierum trium duodecim hominibus comestionem semel in die tribuant. Quilibet preterea focus Sirmie, excepta domo tantummodo de ecclesia, debet dare imperatori in piscibus unum denarium Mediolanensem in Natale Domini, alterum in Pasca Resurrectionis, tertium in Penthecoste; et sic liceat eis cum eorum substantia mobili et immobili acquisita et acquirenda sub nostre defensionis mundiburdio quiete vivere. Si quis igitur hoc nostre auctoritatis mundiburdium infringere presumpserit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem nostre camere et medietatem predictis homi-

---

(1) Scilicet *Sermionensis* peninsula, in lacu de Garda versus meridiem.

nibus eorumque heredibus. Quod ut verius credatur et creditum observetur, signo et sigillo nostro presentem cartulam conscribi et muniri jussimus (1).

Hujus rei testes interfuerunt presentes : Bertholdus patriarcha Aquiliensis, Olricus (*a*) Patavensis epicopus, Jacobus Taurinensis episcopus, Lodwicus dux Bawarie, Diopoldus marchio de Hohenberg, Wernerius (*b*) dapifer de Borlanda, Anselmus de Justina (*sic*) regalis aule marescalcus, et alii quamplures.

Signum Frederici secundi, Romanorum regis et regis Sicilie invictissimi.

. . . .

. . . . (*c*).

Fridericus, Romanorum rex, potestati et communitati civitatis Paduae praecipit ne de caetero Azzonem marchionem Estensem super jurisdictione ejus et juribus in Este, Calaone, Montagnana et aliis locis ibidem expressis, molestare praesumant. Apud Sanctum Leonem, in castris prope Mantuam, 17 septembris.

(Edider. Muratori, *Antich. Estens.*, t. I, p. 415. — Lunig, *Cod. Ital. diplomat.*, t. I, p. 1577.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus

(*a*) In codice *Oritius,* male.
(*b*) In codice *Rainerius,* male.
(*c*) Ita in transumpto; notis chronologicis omnino omissis.

---

(1) De verbo ad verbum hoc privilegium renovatur ex praecedenti Friderici I, nominibus tantummodo liberorum hominum de insula Sirmiae pro tempore mutatis. Quod quidem Friderici I privilegium ex transumpto notarii ita notatur: *Dat. juxta Veronam super lacum, VIII idus julii*, sine anno et indictione.

quam futuris quod nos recolentes servitia olim Azzonis marchionis Estensis que nobis in Alemanniam eundo exhibuit, et considerando justitiam Azzonis filii ejus, de mera liberalitate et gratia majestatis nostre precipimus et presentis pagine decreto statuimus in presentia potestatis et ambaxatorum Padue ut potestas et communitas civitatis Padue de cetero Azzonem marchionem Estensem olim prefati Azzonis marchionis Estensis filium nullatenus impedire, inquietare vel molestare aut imbrigare presumat de jurisdictione, fodro, bannis, placitis, vindictis corporalibus, causis civilibus, pecuniariis et criminalibus, albergariis, factionibus, coltis, datiis, theloneis et communibus terrarum, qualitercunque consistant, et ceteris que ad districtionem, honorem, segnoriam vel districtum pertinent, videlicet Estis, Calaonis, Montagnane, Tricontati, Sancti Salvarii, Merlarie, Orbane, Casalis, Altaure, Plagentie, Pauxii, Vicegoli, Gajoli, Cairatonice, Saleti, Milliarini, Cancelli, Sulexini, Vescovane, ville Sancte Alerie, Carmegnani, Angarani, Coreze, Sancte Catharine, et generaliter et universaliter omnium aliarum terrarum tam novalium quam veterum, quas Azzo prefatus bone memorie pater ejusdem Azzonis Estensis vel aliquis alius de ipsorum antecessoribus aliquo tempore tenuit vel possedit. Et si quid communitas Padue vel privatus de his que antecessores prefati marchionis melius habuerant detineant occupata, eidem restituant. Preterea firmiter precipimus et mandamus ut communitas Padue palatium Estis in pristinum statum sicut melius fuit reedificent, reficiant et restaurent ad opus Azzonis marchionis superius nominati. Concedimus insuper eidem marchioni adamplaturas et communia, valles etiam et paludes in terris nominatis superius existentes. Statuentes et presentis pagine auctoritate mandantes quatinus nullus sit qui contra hoc mandatum nostrum venire presumat. Quod si quis presumpserit, indignationem nostram et penam quinque millia marcharum argenti incurrat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ad hujus autem rei memoriam, presentem inde scribi fecimus paginam et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Hujus rei testes sunt : Bertoldus patriarcha Aquilejensis, Ulricus Patavinus episcopus, Sifredus Augustensis episcopus, Jacobus Taurinensis

episcopus, Henricus Mantuanus episcopus, Ludovicus dux Bavarie, comes palatinus Reni, Tibboldus marchio de Hohenburk, comes Evirhardus de Helfinstein, Rainaldus dux Spoleti, Anselmus marscalcus de Justingen, Conradus camerarius de Werda, et alii quamplures.

Datum apud Sanctum Leonem in castris prope Mantuam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, quinto decimo kalendas octobris (1), indictione nona, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum rex, Jordanum episcopum Paduanum de ratione feudi et regalibus investit et ab eo sacramentum fidelitatis recipit. Apud villam Godi, 18 septembris.

(Edid. DONDI OROLOGIO, *Dissertaz. settim. sopra l'istor. eccles. di Padova,* docum. XVII, p. 22, ex tabul. capit. Patavini.)

Anno Domini M. CC. XX, indictione octava, die XIII exeunte mense septembri, in Mantuano districtu apud villam Godi in exercitu domini regis infrascripti, sub ejus capella, presentibus dominis episcopo Taurinense vicario domini regis, episcopo Astense, Jacobo de Conrado canonico et archidiacono, Guidone Barato canonicis Paduanis, Petro canonico Carpense, Gandolfino de Castro Novo de Verona, Patavino judice de Orsato, Joanne de Vado, Avedudo advocato de Padua, Vistisio de Este, et aliis multis, dominus Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie, cum sceptro aureo investivit dominum

(1) Licet ex originali privilegium transcriptum videatur, libentius legeremus *decimo kal. octobr.* (22 septemb.), dum Fridericum apud Sanctum Leonem ante hunc diem stetisse non aliunde comperiamus.

Jordanum, Dei gratia Paduanum episcopum, de ratione sui feudi et de omnibus suis regalibus, secundum quod ipse et predecessores sui olim habuerunt et tenuerunt sive possederunt a Romano imperio, prout in suis privilegiis continetur. Qui dominus episcopus ibi ad presens tactis sacrosanctis evangeliis et reliquiis eidem domino regi contra omnes personas tanquam episcopus et comes domino et regi fidelitatem juravit.

Ego Turpinus quondam Gnati filius, sacri palatii notarius, his omnibus interfui et jussu memorati domini episcopi Jordani scripsi.

In castris in episcopatu Mantuano, 20 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, cum Petro Ziano Venetiae, Croatiae, Dalmatiae, quartae partis et dimidiae totius Romaniae duce pactum foederis concludit, quo pro utraque parte per articulos singulos definit quae agenda sint de jurisdictione, de commercio maritimo, de servis fugitivis, caeterisque ibidem expressis, sub conditione solutionis quinquaginta librarum denariorum totidemque librarum piperis et unius pallii sibi annuatim faciendae.

(Inedit. apud cod. diplom. Venet. bibl. Marcianae in Venetia, class. X, n° 181, fol. 215 recto ad 217 verso, ex libro primo Pactorum J. 20. Registratum tempore Jacobi Teupoli ducis, anno MCCXXXVIII. Renovatur vero in maxima parte, nominibus competenter mutatis et quibusdam additis, ex privilegio Henrici sexti dato apud Castrum Johannem, sexto die junii, ann. 1197, indict. XV; quod ibidem transcribitur, fol. 166 et seqq.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus (*a*). Quoniam stabilem christianorum principum caritatem operari plurima bona ad multorum utilitatem evidenter novimus, et viros sapientes ac discretos rectores regnorum suorum notos habere et amicos semper curavimus, Petrum Zianum, illustrem Venetie, Croatie, Dalmatie, quarte partis et

(*a*) Notandum quod ibi deest titulus *et rex Sicilie.*

dimidie totius Romanie ducem et dominatorem, quem luce sapientie et honestatis totius ubertate predicabiliter pollere manifestum est, habere notum et amicissimum ad decus imperii Romani stabilitate perpetua decrevimus. Ad cujus rei evidentiam dilectionem ipsius toto cordis affectu intendentes amplecti, in confirmandis illis que ab antecessoribus nostris suis sunt collata et confirmata antecessoribus, libenti animo voluntati ac petitioni ipsius sicut carissimi amici nostri per omnia satisfacere studuimus. Hac igitur ratione uniti nostram utriusque dilectionem rationabiliter observavimus et in multis magnisque negotiis publicis et privatis ejus sinceram dilectionem ac preclaram sapientiam imperio nostro ac nobis nostrisque fidelibus utilem existere probavimus, et quia ipsius rei efficacia ac sapientum judicio sapiens atque discretus regni Venetie rector extitit, et egregia fides et pure dilectionis exhibitio quam semper erga nos habuit nostrumque imperium, eum in omnibus nobis commendabilem exhibuit, dignus ejus et honestus interventus apud nostram regalem majestatem locum utpote amici carissimi et viri sapientissimi obtinuit. Venerabiles igitur nuncios ejusdem, viros nobiles ac prudentes Marinum Dandulum et Benedictum Falethrum, quos ad nostram destinavit presentiam, eo quo decuit honore suscipientes, ob sinceram et venerabilem ejus dilectionem quidquid ipse dux et Venetici ducatus ecclesie et populus ex antiquo per multos annos in imperii nostri potestate, secundum quod in preceptis nostrorum antecessorum imperatorum et regum continetur atque in pacto Ottonis, Enrici, Lotharii necnon inclitorum Federici atque Enrici felicis avi atque patris nostri et consanguinei nostri Ottonis dictorum imperatorum continetur, juste et legaliter tenuit et habuit, et per hanc nostram regalem paginam innovamus et confirmamus, ita quidem ut pars parti nihil malignum aut injustum, sed semper quod rectum est in omnibus actionibus et rebus facere presumat; et si, quod absit, aliqua malitia vel lesio inter partes commissa fuerit, per hujus federis decreta tergatur aut facta satisfactione de rebelli et transgressoria parte, ad pactum observandum hec series federis per cuncta inviolabiliter annorum curricula semper maneat, remota contradictione vel impugnatione tam nostra quam omnium successorum nostrorum, quia injustum

videtur ut aliquis vel suis vel equis sanctionibus oppugnare nitatur. Et ut maxime notentur vicini populi specialiter tam ex regno nostro quam ex predicto ducatu Venetie, quibus omnimodo hanc pactionis [institutionem] observandam esse decernimus, hi sunt scilicet ex nostro jure Papienses, Fanenses, Mediolanenses, Senogallienses, Cremonenses, Anconitani, Lucenses, Humani (*a*), Pisani, Firmenses, Januenses, Epinenses (?), Placentini, Veronenses, Florentini, Montesilicenses, Ferrarienses, Lavellenses, Ravennates, Vicentini, Comaclenses, Paduani, Ariminenses, Tarvisini, Pisaurenses, Cenetenses, Cesenenses, Forojulienses, Istrienses, et cuncti de nostro italico regno sive qui modo sunt vel qui in posterum futuri sunt. Ex predicto vero Venetie ducatu sunt Rivoaltenses, Methamaucenses, Torcellenses, Murianenses, Clugienses, Amianenses, Pallestrinenses, Burianenses, Caputargelenses, Aquilienses, Brundulenses, Caprulanenses, Lauretani, Civitatenses, Finenses, Gradenses, et cuncta generalitas populi Venetie sive qui modo sunt vel qui futuri sunt. Confirmamus itaque Venetorum fines a nemine nostrorum inquietari, invadi vel minorari debere, sed libere et absque ullo impulsu que retro ab annis possederunt multis deinceps quiete possideant; proprietates vero et predia que habere videntur tam ipse dux quam suus patriarcha nec non episcopi, abbates et ecclesie sancte Dei et reliquus populus Venetiarum sibi subjectus infra potestatem imperii nostri sive in campis sive in domibus, pratis, silvis, vineis, paludibus, salistis, sationibus, piscationibus, ceterisque possessionibus quiete possideant absque cujusquam insultantis machinatione aut lesione sive sinistra quapiam tergiversatione; ita ut nemo contrarietatem eis facere inde presumat nec etiam venationes aut pabulationes sine eorum exerceat licentia, neque molestiam ibi residentibus inferat, neque aliquam navem ipsorum Veneticorum in aliqua nostri imperii et regni parte periclitantem predari seu hominibus naufragium patientibus aliquam controversiam inferre presumat. Quod qui fecerit componat centum libras auri purissimi illis quibus injuriam intulerit, et res dominio possidentium mancipentur et

(*a*) Forsitan *Cumani* (*Como*), nisi sit *Auximani* (*Osimo*).

quiete liceat possessoribus illas tenere ac frui. Quod si excursus inter partes factus fuerit, ipsa persona que in capite fuerit ad eamdem malitiam faciendam infra sexaginta dies tradatur, et omnia que fuerint ablata in duplum restituantur. Quod si ipsum duplum compositum non fuerit vel persona ipsa tradita non fuerit infra sexaginta dies, ut dictum est, tunc per unamquamque personam que ipsam malitiam perpetraverit componantur auri [solidi] quigenti (*sic*). Si furtum inter partes fuerit factum, in quadruplum restituatur; si servi aut ancille inter partes confugerint, cum omnibus rebus quas secum detulerint reddantur, et judex qui ipsos fugitivos reddiderit, accipiat pro uno quoque singulos solidos auri, sic tamen ut si amplius requiritur per sacramentum, dominis illorum idonea fiat satisfactio; si vero judex aut aliquis ipsos fugitivos suscepit et eos reddere negaverit et ipsi exinde fugerint, tunc pro unoquoque fugitivo componat auri solidos septuaginta duos (*a*); quod si dubium fuerit et denegaverit judex vel auctor loci illius in quo fugitivi requiruntur, tunc prebeant sacramentum XII electi quod ibi suscepti non fuerint nec illos habeant nec in conscientia illorum sint nec aliquas res illorum secum habuerint; si autem hoc distulerit facere, post primam et secundam contestationem [in] presentia testium per actam jussionem judicis sui liceat pignorare hominem de ipso loco ubi causa requiritur, ita tamen ut ipsum pignus post peractam justitiam per integrum reddatur, et nullatenus liceat alicui pignus accipere per alia loca nisi ubi fugitivi aut cause requiruntur; et si pignoratio prevenerit, non presumat aliqua pars pro pignore aliam pignorare, sed expectet usque ad audiendam causam, ita sane ut cause in sex mensium spatio fiant et sint cause finite, reddens prius que ex judicio condamnatus fuit et prius suum recipiat. Nam si quis de alio loco pignus tollere presumpserit aut sine causa tulerit aut aliquem pro pignore pignoraverit, in duplum quod tulerit restituat. Si vero equi aut eque aut armenta aut aliqua quadrupedia fuerint sublata, in duplum restituantur; si ipsa aberraverint, omnino reddantur. Quod si post primam et secundam contestationem minime reddita fuerint, tunc pignoratio fiat

(*a*) *Septuaginta quinque* in privilegio Henrici sexti.

de loco ubi hec requiruntur, usque dum pars parti satisfaciat, et post satisfactionem reddantur ipsa pignora, et hoc statutum est ut si fugitivus seu res reddita fuerit vel si per sacramenta satisfactio adimpleta fuerit, modis omnibus pars parti securitatem faciat. Si quis vero extra memorata capitula pignorare presumpserit, causam perdat et quod tulit restituat. Negotia autem interim fiant et liceat dare et accipere quidquid inter eos convenerit sine aliqua violentia vel contrarietate, ita ut equa conditio utrarumque partium negotiatoribus conservetur; ripaticum autem et quadragesimum Venetis detur secundum antiquam consuetudinem. Ipsi vero Veneti per totum imperium et regnum nostrum et per totam terram quam vel nunc habemus vel in posterum autore Deo habituri sumus, liberi sint ab omni exactione et datione, et licentiam habeant homines ipsius ducis ambulandi per terras seu per flumina totius imperii et regni nostri, similiter et nostri per mare usque ad eos et non amplius. De hoc convenit ut si que lesio inter partes evenerit, legatarii non detineantur; si vero detenti fuerint, relaxentur et componantur eis solidi trecenti, et si, quod absit, occisi fuerint, componantur parentibus eorum pro ipsis solidi mille et ipsa persona tradatur in manus eorum. Si quis inter partes causam habuerit, vadat semel aut bis cum epistola judicis sui. Si ei justicia facta non fuerit infra dies quattordecim, si ipse homo unde justicia requiritur infra ipsum locum fuerit, infra dies septem licentiam habeat pignorare judex qui ipso tempore ordinatus fuerit infra causam suam quantum ipsum debitum erit, et ipsum pignus usque ad determinationem cause teneatur; quod si antesteterit pignus componatur solidi duodecim causa manente, ut pro eo iterum pignoratio fiat ubi potuerit in finibus [ubi] causa requiritur. Si tamen ubi judicium ambabus partibus annunciatum fuerit, residentibus duobus de utraque parte ubi causa requiritur, quod ipsi per evangelium terminaverint pars parti satisfaciat. Addimus autem ut si quis homicidium perpetraverit, modis omnibus ipse et quanti mixti fuerint in ipso homicidio ligati tradantur; quod si factum non fuerit, pro unaquaque persona componantur auri solidi trecenti. Simili pena decernimus damnandum eum esse qui in communibus mercatis tumultum populi excitans homicidium perpe-

traverit; quod si tumultus sine homicidio aut plaga sedatus fuerit, componat pro excitatione solidos auri trecentos (*a*). Si aliqua pignoratio in sylva fieri debuerit, sine homicidio fiat, etsi quod absit homicidium factum fuerit, pro libero homine componantur solidi aurei trecenti et pro servo quinquaginta. Si plaga facta fuerit ut non moriatur, pro libero homine solidi quinquaginta, pro servo triginta. Statutum est ut in rebus sanctarum ecclesiarum Dei nullus pignorationem faciat, excepto si cum sacerdotibus causam habuerit, et ante compellatio fiat semel et bis; nam qui aliter presumpserit duplum componat, et si nesciens pignoraverit, prebeat sacramentum et sit solutus, pignusque salvum restituat. Et hoc stetit de capulo quod Rivoaltenses, Methamaucenses, Torcellenses, Amianenses fecerunt retro ab annis multis, habeant licentiam faciendi secundum antiquam consuetudinem sive per flumina sive per mare. Aquilienses vero capulare debent in ripa Sancti Zenonis usque in fossam Methamauci et Gentionis secundum consuetudinem, omnem arborem evehere cum carro aut ad collum quantum sibi placuerit, et habeant licentiam pecudes in ipsis finibus pascere et pabulari. De finibus Civitatis Nove statuimus ut terminatio que a tempore Luitprandi regis facta est in Paulocionem ducem et Marcellum magistrum militum, deinceps manere debeat, id est de plane majore usque in planem siccam; pecudes quoque et greges cum securitate pascere debeant. Caprulanenses (*b*) vero in silva Forojuliana ubi semper capulavere, capulare debeant; similiter Gradenses secundum antiquam consuetudinem in sylvis Forojulii capulum faciant. Confirmamus quoque Lauretum ut quantum aqua salsa continet eorum subjaceat potestati; et nullus princeps vel pauper aliquem Venetorum distringere, aut legem facere de aliqua habita substantia, aut ad placitum ducere nisi in presentia illorum ducis, aut fodrum tollere de illorum terris que in nostro sunt imperio et regno, aut bannum mittere tam dominis habitantibus in Venetia quam de illorum hominibus ubicumque habitantibus justitiam aliquam accipere presumat, nisi in presentia dominorum suorum. Confirmamus ut pars parti de causis ecclesiarum et

(*a*) Forsan *ducentos*, dum poena levior esse debeat.

(*b*) In codice *capulare*, inepte tamen, dum hoc verbum paulo post adsit.

monasteriorum omnino justitiam faciat. Volumus ut pro una libra denariorum vel uno homine sacramentum, et si usque ad duodecim libras denariorum Veneticorum, duodecim electi juratores addantur. Nam si ultra duodecim libras questio facta fuerit, juratores ultra duodecim non accedant. Statuimus etiam de pignoribus que inter partes facta fuerint, ut si qua de eis contentio orta fuerit, illi tribuatur arbitrium jurandi qui pignus habuerit soli sine electis; de cautionibus vero simili modo agatur. Promisit cunctus ducatus Veneticorum nobis et successoribus nostris pro hujus pactionis federe annualiter omni mense martii persolvere libras suorum denariorum quinquaginta et totidem libras piperis et unum pallium. Si quis igitur dux vel marchio, comes, vicecomes aut aliqua magna vel parva persona hujus nostre regalis pagine violator extiterit, quod minime futurum credimus, sciat se pro pena compositurum auri optimi libras mille, medietatem fisco imperiali et medietatem duci Veneticorum. Quod ut verius credatur et ab omnibus diligentius observetur, hanc paginam corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Sub testimonio principum subscriptorum et aliorum baronum nostrorum (*a*), scilicet Bertholdi Aquiliensis patriarche, Ulrici Pataviensis episcopi, Sifredi (*b*) Augustensis episcopi, Henrici Augensis abbatis, Jacobi episcopi Astensis, Jacobi Taurinensis episcopi, Giordani Paduani episcopi, Ludovici palatini comitis Reni ducis Bavarie, Diopoldi marchionis de Vohburch (*c*), Eberardi (*d*) comitis de Helfinstein, Hanrimani (*e*) comitis de Cherss, Alberti nobilis de Niffe, Anselmi de Justingen marescalchi, Werneri dapiferi imperii, et aliorum multorum.

Signum domini Federici secundi Romanorum regis et semper augusti invictissimi.

(*a*) Haec testimoniandi forma quae raro in imperialibus privilegiis occurrit, non extat in Henrici sexti privilegio, ubi legitur, sicut solet: *Hujus rei testes sunt Angelus Tarentinus*, etc.

(*b*) In codice *Ufredi*, male.

(*c*) In codice *de Adreburch*, male.

(*d*) Alias *Gubardi*, male.

(*e*) Ita in codice pro *Hartmanni*.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, totius Italie tunc legatus, vice domini Engelberti Coloniensis archiepiscopi totius Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, regnante gloriosissimo domino nostro Federico secundo Romanorum rege, semper augusto, anno regni ipsius octavo.

Data in castris in episcopatu Mantuano, XII kalendas octobris, indictione nona, feliciter.

Honorius papa Fridericum regem Siciliae in imperatorem electum hortatur ut secundum promissa terram comitissae Mathildis faciat Romanae Ecclesiae assignari, et aliquid majestate regia dignum statuat contra haereticos in Lombardia.

Apud Urbem Veterem, [20 septembris circiter].

(Memorat. ex *Indice litter. Honor. III*, ann. V, nº 139, in collect. Laporte du Theil.)

Datum apud Urbem Veterem (1). . . . .

Conradus Spirensis et Metensis episcopus, Italiae legatus, ratum habet praeceptum suo nomine per Everardum de Lutra factum communi Faventiae super restitutione obsidum Imolensium.

In episcopatu Mantuae, prope ecclesiam in exercitu regali, 21 septembris.

(Edidit SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, t. II, pars II, p. 448, nº D, ex arch. com. Macchirell. Imolens.)

---

(1) Notae chronologicae desunt, et licet circa finem septembris ex suo numero epistola reponenda videatur, libentius crediderim paulo ante, scilicet a quinto decimo ad vicesimum septembris diem fuisse missam : qua recepta, protinus instrumenta quae sequuntur Fridericus ediderit. Vide infra, 24-30 septembris.

Anno dominice incarnationis millesimo CC. XX, indictione VIII, die lune XI kalendas octobris, in episcopatu Mantue prope ecclesiam in exercitu regali, dominus Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius ac totius Italie legatus, auctoritate sue legationis approbavit et confirmavit preceptum quod mandato suo fecit, ut dixit ipse dominus cancellarius et sicut continetur in chartula facta per Ziliolum notarium, Everardus de Lutra (*a*) Petro Taurello potestati Faventie et ambaxatoribus qui cum eo erant nomine ipsius communis, de absolutione et deliberatione fidejussorum et promissorum et pignorum obsidum Ymole super facto expensarum obsidum Ymole vel eorum occasione et super facto restitutionis pecunie extorte ab ipsis obsidibus vel ab aliis pro eis, secundum quod continetur in alio instrumento facto per ipsum Giliolum notarium. Predictus dominus cancellarius hanc cartam fieri jussit (1). Interfuerunt dominus Guillelmus episcopus Mantuanus (2), Mattheus de Corrigia, Gilius (*b*) de Domina Agnesia potestas Mutine, Gualfridus de Turricella, Joannes de Regio et . . . de Tebaldis et . . . judices curie testes.

Ego Lancellotus (*c*) Ferrar. Papiensis, imperialis aule et regalis curie notarius, interfui et hanc cartam subscripsi.

(*a*) Ap. Savioli *de Lucri,* male.
(*b*) Sic, sed infra *Egidius.*
(*c*) Sic, sed supra *Lantelmus.*

---

(1) Rem quoque memorat Tolosanus, ap. MITTARELLI, *Access.*, p. 159 : « Federicus. . . . ad Italicorum fidelitatem recipiendam dominum Corradum episcopum Spirensem ac Metensem in Italiam misit; qui Faventiam non veniens Ugolinum de Zuliano comitem de Romania in suum locum instituit ad ipsam recipiendam in mense augusti. Cives honorifice eum receperunt, ei in facto obsidum Imolae in his quae poscebat satisfacientes in omnibus. » Extat etiam aliud instrumentum in episcopatu Mantuae, prope sedem et exercitum regalem, quoque confectum, 20 sept. 1220 (ap. MANZONI, *Hist. episc. Imol.*, p. 162), quo ambaxatores Imolenses confirmant quicquid Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis cancellarius, inter Imolenses et Faventinos ordinaverit, praecipue super fossato quod hi in illorum territorio fecerant. Datum erroneum Boehmerus sic restituit : *XII kalendas octobris.*

(2) Episcopus tamen Mantuanus hujus temporis, tum supra p. 835, tum apud Ughellium *Henricus* nominatur. Unde in abbreviato nomine *Guill.* quamdam mendam suspicamur.

Fridericus, Romanorum rex, confirmat Raymundo abbati Nonantolae restitutionem factam ab avo suo eidem ecclesiae de curte et possessionibus Nogariae, revocans omnes concessiones contrarias, si quae fuerint impetratae.

In castris in episcopatu Mantuae, 21 septembris.

(Edidit TIRABOSCHI, *Hist. della Badia di Nonantola,* ex apogr. veter. in archiv. Nonant., doc. II, p. 359.)

Federicus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, dilecto fideli suo R. abbati Nonantole gratiam suam et bonam voluntatem. Omnium ecclesiarum Dei provectibus pro affectu intendentes tanto ampliori gratia te et ecclesiam tuam amplectimur, quanto diligentius recognoscimus fidei tue puritatem erga regiam majestatem nostram atque imperium exuberare. Hinc est quod nos presentis scripti patrocinio ad noticiam tam presentium quam futurorum volumus pervenire nos de innata nobis regia munificentia recognoscere et confirmare tibi atque ecclesie tue Nonantole speciali jure ad imperium pertinenti pactum et restitutionem ecclesie tue a dive recordationis inclyto avo nostro factam, sicut per scriptum ipsius avi nostri apertissime comparet de curte et possessionibus Nogarie (1) secundum formam predicti instrumenti, de mera benevolentie nostre circa tuam devotionem affluentia totaliter revocantes et in irritum reducentes si quas de ipsis possessionibus utpote falsa suggestione impetratas fecimus alicui concessiones vel investituras.

Datum in castris in episcopatu Mantue, XI kalendas octobris, indictione VIIII.

---

(1) Locus in provincia Veronensi. Privilegium Friderici I datum fuit apud Aldenburg, 19 octobr. 1180.

In castris in episcopatu Mantuano, 21 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, universis hominibus Nogariae mandat ne aliquam alienationem de nemore in curte Nogariae quod ab abbatiam Nonantolae pertinet, facere praesumant.

(Edid. Tiraboschi, *Opere supr. citato,* p. 359.)

Federicus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, potestati sive consulibus atque hominibus totius universitatis Nugarie gratiam suam et bonam voluntatem. Mandamus vobis sub obtentu gratie regalis districte precipientes ne aliquam omnino alienationem facere debeatis vel concessionem seu presumptionem de nemore quod appellatur in Gazatta in curte Nogaria, presertim cum idem nemus ad monasterium memoratum spectare non dubitetur. Ceterum noveritis manifeste quod vos si quas jam de ipso nemore facere presumsistis concessiones vel alienationes, eas totaliter regia revocamus auctoritate.

Datum in castris in episcopatu Mantuano, XI kalendas octobris, indictione VIIII.

In castris in episcopatu Mantuano, 21 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, renovat consulibus domus de Fontana mandatum jam a Conrado episcopo Metense suo cancellario et in Italiam legato obtentum, scilicet ne claustrum Sancti Salvatoris apud Papiam in possessione bonorum hic nominatorum molestetur.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.,* p. 111, n° 375, ex copia authentica de anno 1221 apud Mediolanum asservata.)

Datum in castris in episcopatu Mantuano, XI kalendas octobris, indictione VIIII.

Fridericus, Romanorum rex, universis per totam Tusciam constitutis notum facit se ad illas partes a latere suo transmittere Everardum de Lutra qui sibi plenam viam praeparet; illumque in eadem provincia suum specialem nuntium cum perfecta jurisdictione constituit.

In castris in episcopatu Mantuae, prope Gode, 21 septembris.

(Edider. ZACHARIA, *Anecdot. med. aevi coll.,* class. I, p. 29, n° III, ex libr. cens. Pistor. civit., fol. 107. — CAMICI, *Serie dei duchi e march. di Toscana,* t. VI, p. 29.)

Fridericus secundus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus ceterisque ecclesiarum prelatis necnon marchionibus, comitibus, capitaneis, vavassoribus, nobilibus atque potestatibus, consulibus seu rectoribus et communitatibus omnium civitatum et oppidorum, simul et rectoribus atque populo et universis per totam Tusciam a Pontremulo superius constitutis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Cum post multas imperii perturbationes que ex obitu inclyte memorie excellentissimi et illustris patris nostri imperatoris Henrici usque ad tempora nostra in mutatione regum ubique locorum imperii procreverunt, divina clementia dignata sit in solio progenitorum nostrorum nos tam mirabiliter quam misericorditer collocare, decrevimus vestigiis feliciter inherendo mente intenta commodum et augmentum imperii promovere, et si qua inveniri poterunt que in ejus prejudicium perperam gesta sint, ad rectitudinis semitas revocare et specialiter ad bonum statum et tranquillitatem omnium subjectorum. Ea propter universitati vestre presenti pagina duximus insinuandum quod nos super rationibus imperii quas preterite perturbationes nos investigare prohibuerunt ac super omnibus aliis que minus bene in eadem provincia disposita sunt et propter multas discordias que inter vos diutius vigilarunt in detrimentum imperii et omnium subditorum, sollicitudinem

debitam nunc habentes, fidelem nostrum Everardum de Lutra virum utique providum et discretum et de cujus industria fiduciam gerimus specialem, provida consilii nostri deliberatione a latere nostro ad partes ipsas duximus transmittendum, ut ipse non solummodo fidelitates et alia jura nostra atque fodrum regale a vobis requirat vice regia et recipiat, immo etiam discordias omnes in ipsa provincia et partibus ejus ad pacem et concordiam revocando, viam nobis preparet plenam et securam quo magis expediti festinantius ad felicem voti nostri consummationem accedere valeamus. Scire igitur volumus universitatem vestram quod nos jamdictum Everardum in eadem provincia nuntium nostrum constituimus specialem et ei concessimus plenam et perfectam jurisdictionem atque liberam facultatem per se suosque judices et vicarios cognoscendi et deffiniendi de omnibus causis, dandi possessiones (*a*) et restituendi, supponendi etiam civitates, marchiones, comites, capitaneos, vavassores, burgos, castra et villas et universaliter omnes per totam Tusciam constitutos banno nostro et absolvendi de banno, faciendi commissiones et jus, animadvertendi libere in facinorosos, penas ponendi et exigendi et in omnibus agendis nostris et imperii in tota Tuscia, secundum quod ipse ad honorem et commodum nostrum et imperii viderit expedire; et quod habitantes in predicta provincia, tam archiepiscopi, episcopi, abbates et ecclesiarum prelati quam etiam marchiones, comites, capitanei, vavassores et nobiles, civitates, castra, burgi et ville, teneantur ei respondere de omnibus regalibus et omnibus rationibus imperii hinc retro detentis et in futurum debendis tanquam nobis, et ut ea omnia ad nostrum et imperii opus recolligat diligenter. Ideoque discretioni vestre mandamus rogantes et sub obtentu gratie nostre districte precipientes quatenus dictum Everardum honorare et servire et ei obedire tanquam nobis curetis atque de omnibus aliis justitiis et rationibus imperii et fodro regali respondeatis eidem et ei fideliter intendatis; pro firmo habentes quod quidquid ipse in omnibus agendis nostris per totam Tusciam et partes ejus dixerit seu fecerit, ita ratum et firmum habebimus

(*a*) Ap. Zacharia *professiones*, minus recte.

ac si ab ore processisset regie majestatis, et illam devotionem ac reverentiam quam ei exhibueritis nostre reputabimus exhibitam majestati. Si quis vero presumpserit ei rebellis existere, indignationem nostram se graviter noverit incursurum, et insuper bannum et penam pecuniariam quam sibi imponet, perinde ratam habebimus atque firmam et tollemus (?) ac si nos eam posuissemus. Ad hujus nostre concessionis plenam notitiam, presentem paginam inde conscribi jussimus et nostre majestatis bulla communiri.

Hujus rei testes fuerunt : Bertholdus (*a*) patriarcha Aquilegiensis, Sifridus episcopus Augustensis, Olricus episcopus Pataviensis, Homobonus episcopus Cremonensis, Ludoicus dux Bawarie, Guarnerius de Bollanda dapifer imperii, Anselmus de Justingen marescalcus, . . . dux Spoleti, et alii multi.

Datum in castris in episcopatu Mantue prope Gode, [anno Domini] M. CC. XX, undecimo kalendas octobris, indictione octava (*b*).

Fridericus, Romanorum rex, ad preces capituli majoris Veronensis ecclesiae concedit et confirmat quidquid praedecessores sui aut quicumque alius eidem ecclesiae donaverunt, plenam eidem capitulo jurisdictionem impertitur in locis ibi nominatis, cum multis aliis privilegiis et nonobstantibus legibus positis in Codice de praescriptione et hujusmodi.

Apud plebem Sancti Martini in pertinentia Godi, 21 septembris.

(Inedit. ex *Libro chartac. privileg.*, in archivo capit. Veron., fol. 167 et seq. Renovatum vero pro magna parte ex privilegio Henrici sexti, dato apud Lutram, sexto decimo die septembris, ann. 1193, indict. XI; quod ibidem transcribitur, fol. 125 et seq.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

(*a*) In uno *Dominicus*, in altero *Bertrandus*, ambo male.

(*b*) Sic in duobus, recte tamen *nona*.

Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Cum postulationes ecclesiasticarum personarum pro utilitatibus suarum ecclesiarum clementer admittimus, credimus nos opus Deo gratum et dignitati nostre congruum facere et ad salutem nostram et imperii orationes et obsequia eorum quos exauditione honoramus ferventius excitare. Notum itaque sit tam presentibus quam futuris quod nos precibus archipresbyteri et canonicorum majoris Veronensis ecclesie Beate Marie, quas nobis Henricus et Valerianus canonici ejusdem ecclesie illorum vice obtulerunt, bona eidem ecclesie pertinentia in nostram suscipimus tuitionem, regali auctoritate nostra omnia ipsis confirmantes que a predecessoribus nostris vel aliunde eidem ecclesie collata sunt vel confirmata : videlicet in Tridentino comitatu tres villas Bregusium, Belverium, Bundum cum omnibus earum pertinentiis, placitis, districtionibus et omnibus que Hitigerius episcopus eidem ecclesie contulit; insuper casalia duo in Liniaco cum omnibus pertinentiis et piscaria una cum silva que dicitur Cogolaria, que omnia prefate ecclesie Waldrada Dei ancilla concessit, et quicquid Lanzo in monte Silicano dedit ecclesie memorate; curtem etiam que vocatur Villa cum capella Sancte Marie cum decimationibus et omnibus earum pertinentiis que obtulit Anzelbertus clericus; in eo comitatu Lutiam quoque cum capella Sancti Viti et omnibus ejus pertinentiis, et quicquid in comitatu Veronensi tam in Zerpa quam in valle Pulicella et in plebe Montis Aurei et in plebe Mezane predicta ecclesia Veronensis possidere dinoscitur. Insuper damus, concedimus et confirmamus canonicis predicte ecclesie sive senodochia sive decimationes ejusdem civitatis, eo videlicet ordine ut ubicumque a prenominatis canonicis suisve antecessoribus atque successoribus possessum est vel erit, omnium contradictione et diminutione violentorum exclusa, et quicquid acquisiverunt vel acquisituri sunt firmiter proprietario jure detineant. Hoc etiam nostra regali authoritate addimus ut homines in iis locis habitantes, castris sive villis seu territoriis, nomina quorum hec sunt Cereta, Bunde, Porcille, Pulianum, Marciana cum ejus appendiciis, Greciana, Prunum, Calmasinum et triginta mansis in Anglare cum omni districto, fodrum quod aliquando dederunt dein-

ceps publice parti non dent sive famuli sive servi sive liberi sint, sed omnia in predictorum canonicorum arbitrio permaneant; et per hanc nostre auctoritatis paginam preceptalem (?) volumus ut prefati canonici qui nunc sunt vel erunt predictum fodrum colligendo teneant et habeant salva imperiali justitia, placita quoque et districta cum omni publica functione et reddita prenominatorum castrorum, curtium et villarum et omnium locorum aliqua ratione illis pertinentium. Similiter quicquid pro animabus archidiaconorum Arduini seu Albuini nec non Ardicionis predicte ecclesie devenit, omni violentia remota possideant et teneant; ab eorum quoque hominibus qui in civitate tholoneum dare consueverant precipiendo jubemus ut in nullo tempore aliquis id auferat vel de hoc amplius molestare presumat. Ita tamen jubemus ut omnia in potestate archipresbyteri et archidiaconi sint, consensu fratrum faciendo exinde quicquid voluerint ad utilitatem tantummodo predictorum fratrum. Sanctimus denique ut nullus dux, marchio, archiepiscopus, comes, vicecomes, nullaque imperii nostri magna vel parva persona ecclesie Veronensis canonicos de omnibus prenominatis causis seu de omnibus libellariis colonis ad se pertinentibus aliisque in prediis predicte ecclesie residentibus et eisdem canonicis redditus prestantibus molestare, divestire, angariare aut violenter ospitare seu per placita fatigare nisi tantum ante illorum presentiam audeat vel presumat, et si aliquid concessum est alicui cum omni honore a predecessoribus nostris vel a nobis, nullum faciat prejudicium Veronensi ecclesie, secundum quod ex regali clementia concessum est jam dicte ecclesie et canonicis ibidem servientibus, sed semper intelligatur esse exceptum; et non liceat hominibus habitantibus in prenominatis locis consules seu potestates ad justitiam faciendam sua presumptione vel consuetudine, occasione vel aliqua ratione ordinare, sed liceat archipresbytero et capitulo canonice potestates, consules, rectores vel alios officiales in predictis locis sua auctoritate constituere, nec forticiam aliquam vel aliquod edificium de muro de lignis vel de aliqua alia materia ultra tres ponctos et dimidium in jamdictis locis facere vel construere, sed licitum sit archipresbytero et capitulo ne de cetero fiant prohibere, et ea que facta sunt vel fient sua auctoritate dis-

truhere et etiam ut distruantur agere, nec communia alienare aut pignori obligare sine archipresbyteri et fratrum ejusdem ecclesie consensu; et si aliquid supradictorum sua auctoritate fecerunt aut de cetero facient, liceat archipresbytero et fratribus auctoritate nostra irritum revocare et communia alienata aut pignori obligata ad communem usum predictarum curtium reducere, et in eisdem curtibus licitum sit archipresbytero et canonicis Verone continue justiciam exercere non prejudicante tempore : alienationes quoque possessionum factas, videlicet nemorum, pascuorum, buscationum, pratorum ab imperiali domo Veronensi ecclesie collatorum, auctoritate nostra infirmamus et presenti scripto cassamus et infringimus. Statuentes et precipientes ut memoratas possessiones canonici Veronenses in suos usus et potestatem retrahant, et omnia predicta prenominate ecclesie et capitulo memorato, nonobstante eo quod lis contestata est, statuimus, ordinamus, damus et concedimus et largimur ex certa scientia; non obstantibus legibus positis in *Codice* sub titulo tercio *Ut lite pendente vel post provocationem aut post diffinitivam sententiam nulli liceat imperatori supplicare* (1), et non obstante aliqua lege in aliquo predictorum vel prescriptione decem, viginti, triginta, quadraginta vel sexaginta annorum, nec etiam alicujus temporis prescriptione, et non obstantibus legibus positis in *Codice*, De prescriptione triginta vel quadraginta annorum, *sicut in rem speciales* et lege *omnes nocendi* et lege *comperit* (2), et lege [De prescriptione] longi temporis decem [vel] viginti annorum, scilicet *longi temporis*, lege *super longi temporis* et lege *cum in longi temporis* (3), et lege : De precibus imperatori offerendis, scilicet *quociens* et lege *nec dampnosa* et lege *rescripta* (4), et lege : Si contra jus vel utilitatem publicam, etc., scilicet *prescriptione* et lege *etsi legibus* et lege *omnes* (5), et lege : De diversis rescriptis, scilicet

(1) Nunc in Codice lib. I, tit. 21.
(2) Cod. VII, tit. 39, n[is] 3, 4, 6.
(3) Cod. VII, tit. 33, n[is] 7, 11, 12.
(4) Cod. I, tit. 19, n[is] 2, 3, 7.
(5) Cod. I, tit. 22, n[is] 2, 5, 6.

sacri affatus, et lege *universa* et lege *si quid* (*qua*) (1), et De edificiis privatis, scilicet *per provincias* (2), et lege : De servitutibus, scilicet *altius quidem* (3), et non obstantibus legibus positis in *Institutionibus*, *de usucapionibus*, et non obstantibus legibus in suprascriptis titulis vel alibi positis, et non obstantibus privilegiis vel rescriptis aut concessionibus vel datis factis vel faciendis communi Cerete vel alicui seu aliquibus aliis; que omnia ex certa scientia cassamus et in irritum deducimus, scientes quia illud si reperiretur quod illud ex impressione et ex ignorantia, non ex nostra scientia factum est. Statuimus igitur ut nullus sit qui contra presens scriptum venire audeat vel presumat. Quod qui presumpserit centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens scriptum inde fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt : Bertholdus Aquilejensis patriarcha, Sifridus (*a*) episcopus Augustensis, Jacobus Taurinensis episcopus, Ludewicus (*b*) dux Baivarie comes palatinus Reni, Everardus (*c*) comes de Helfinstein, Anselmus marscalcus de Justingen, Wernherus dapifer de Bolandia, Conradus de Verda, et alii quamplures.

Signum domini Frederici, Romanorum regis, semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Conradus, Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, undecimo kalendas octobris, indictione nona, regnante domino nostro Friderico, Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno

(*a*) In codice *Dafrinus*, male.
(*b*) Ibidem *Lipoldus*, male.
(*c*) Ibidem *Guvardus*, male.

---

(1) Cod. I, tit. 23, n[is] 6, 7.
(2) Cod. VIII, tit. 10, n° 10.
(3) Cod. III, tit. 34, n° 8.

vero Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vigesimo tercio, feliciter. Amen.

Data apud plebem Sancti Martini que est in pertinentia Godi, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud plebem Sancti Martini in pertinentia Godi, 22 septembris?

Fridericus, Romanorum rex, Zimbertum episcopum Vicentinum et ecclesiam ejus in sua protectione suscipit, eisque privilegia confirmat.

(Edit. ap. RICCARDI, *Storia dei vescovi Vicentini* (1786, 4°). Libro frustra requisito notas ex Waitz addimus.)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXI, [decimo] kalendas decembris (1), indictione IX, ... anno vero Romani regni in Germania VIII, in Sicilia XXIII.

Datum apud plebem Sancti Martini que est in provincia (*sic*) Godii. . . .

In castris pud Sanctum Leonem, 24 septembris.

Fridericus, Romanorum rex, potestatibus, consulibus ac communitatibus civitatum Italiae mandat se statuta ecclesiasticae libertati praejudicantia tanquam de radice pravitatis haereticae provenientia cassavisse, et inhibet ne quis eorum illis de caetero inhaerere praesumat.

(Edider. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XV, p. 171. — BALUZE, *Miscellan.*, edit. Mansi, t. I, p. 441. — PERTZ, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 238, ex Cencii camer. codice S. Angeli, fol. 163.)

---

(1) Minime tamen ex loco sedis et ex anno regni nobis videtur dubitandum quin recte legendum sit MCCXX, et *octobris* vice *decembris*. Forsitan vocem *decimo* male *primo* amanuensis interpretatus, cum notatione anni hanc minus caute conjunxerit.

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie, potestatibus, consulibus ac communitatibus universarum civitatum et castrorum Italie. Cum dive memorie imperatores Romani sacrosanctam Ecclesiam multiplici libertate dotarint, nos disponente Deo a quo est omnis potestas, ad fastigium culminis imperialis electi, que pie ab illis et a sanctissimis Apostolice Sedis presulibus pro statu ecclesiarum et ecclesiasticorum virorum sunt edita, conservare volumus inconcussa, et illis contraria sicut ad nos spectare dinoscitur, amputare. Cum igitur ad aures celsitudinis nostre pervenerit nonnullos vestrum cupidine ceca seductos quedam detestanda edidisse statuta prejudicantia ecclesiastice libertati ac divino et humano juri obviantia manifeste, nos ea tanquam de radice pravitatis heretice provenientia presentium auctoritate cassamus; sub pena mille marcarum districtius inhibentes ne qui vestrum illis de cetero inherere presumant aut eorum pretextu ecclesias et ecclesiasticos viros contra sanctiones canonicas et legitimas molestare; quinimo ea de vestris capitularibus seu breviariis tanquam justo judicio condempnata penitus abolentes, ecclesias et personas ecclesiasticas permittatis indulta sibi libertate gaudere, si vultis penam effugere prenotatam et indignationem regiam evitare.

Datum in castris apud Sanctum Leonem, anno Domini M. CC. XX, indictione IX, octavo kalendas octobris.

Fridericus, Romanorum rex, filios comitum Alberti de Casalodi et Neresii, detentores castri Gonzagae quod est de comitatu comitissae Mathildis, banno imperii supponit, nisi usque ad dominicam proximam idem castrum in manibus Alatrini et Rainaldi capellanorum papae resignaverint; simulque de eodem castro, de Pegognaga, de Bondeno et de toto comitatu Mathildis dictos capellanos et Romanam Ecclesiam investit.

In castris apud Sanctum Leonem, 24 septembris. Apud Spillambertum, 30 septembris.

(Edider. BALUZE, *Miscellan.*, edit. Mansi, t. III, p. 94. — TOLNER, *Histor. palat.*, addit. p. 102. — TIRABOSCHI, *Memor. Modenesi*, t. IV, p. 69. — HARTZHEIM, *Concil. coll.*, t. III, p. 512. — WURDTWEIN, *Nov. subsid. diplomat.*, t. XI, p. 1. — GOLDAST., *Constit. imper.*, t. I, p. 293. — PERTZ, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 239, ex Cencii camer. cod. S. Angeli, fol. 159. Authenticum ejus extat in tabulario Vaticano.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod cum ad resignationem comitatus, terre et poderis quondam comitisse Mathildis faciendam sancte Romane Ecclesie venerabili Matri nostre, ad quam pertinet pleno jure, serenitas nostra contra quoslibet detentores speciale mandatum dederit ac etiam generale, tam per litteras quam per dilectum fidelem C. venerabilem Metensem et Spirensem episcopum cancellarium nostrum sub pena mille marcarum argenti, et dictus cancellarius castrum Gonzage cum pertinentiis suis quod est de comitatu comitisse predicte invenerit occupatum a filiis comitum Alberti Casalodunensis et Neresii, quibus sub pena predicta injunxerit resignandum, et eidem super hoc parere contempserint ad non modicam injuriam regie majestatis, propter quod sine alia citatione in metum aliorum preter penam predictam animadvertendum erat in eos; tamen ut excellentia nostra potius ad veniam quam ad vindictam pronior videretur, laboravimus per ipsorum amicos et consanguineos cum citati non comparuerint coram nobis, ut sine metu pene nobis resignarent castrum ipsum, et mandatum nostrum contempserint in hac parte; de consilio venerabilium principum nostrorum patriarche Aquilegensis, episcoporum Tridentini, Brixinensis, Vincentinensis, Paduanensis, Feltrensis, Mantuani, Cremonensis, Bergamensis, Laudensis, Parmensis, Astensis et Taurinensis, taliter contra eos duximus procedendum : confirmantes primo quod factum est contra eos de banno et pena injuncta per cancellarium memoratum, et ex nunc personas ipsorum ponimus sub perpetuo banno imperii, et omnia bona eorum jubemus ubicumque fuerint confiscari sine aliqua spe remissionis seu revocationis, si usque ad diem dominicum proxime venturum dictum castrum cum omnibus pertinentiis

detentis ab eis non resignaverint in manibus Alatrini et Rainaldi (*a*) capellanorum domini pape vel eorum alterius vel in nostras, sancte Romane Ecclesie resignandum. Quod si non fecerint, quicumque de bonis ipsorum detineant vel ex tunc occupaverint sive quocumque alio modo acquisierint, libere possideant et auctoritate nostra detineant. Et super hoc precipimus Cremonensibus, Parmensibus, Reginis, Mutinensibus, Bononiensibus et generaliter omnibus aliis fidelibus nostris ut memoratis nobilibus et aliis adjutoribus, fautoribus et detemptoribus memorati castri faciant vivam guerram; firmiter inhibentes Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brixiensibus et omnibus aliis fidelibus nostris sub obtentu fidelitatis et gratie nostre, communitatum predictarum cuilibet sub pena mille marcharum, marchionibus, comitibus, baronibus sub pena ducentarum marcharum, militibus centum et aliis inferioribus quinquaginta, quod eis nullum prestent auxilium, consilium, adjutorium vel favorem. Et tam de castro predicto quam de aliis castris, scilicet Pegugnage (*b*) et Bondeni (*c*), necnon de toto ipso comitatu, podere ac terris comitisse predicte, dictos capellanos necnon Romanam Ecclesiam investivimus et eos constituimus possessores et mandavimus de castris predictis per venerabilem episcopum Taurinensem vicarium nostrum in corporalem possessionem induci; precipientes tam militibus et habitatoribus castrorum ipsorum quam omnibus aliis vassallis de ipso comitatu seu et poderis comitisse prefate, quos omnes ad presens absolvimus ab omni juramento quo nobis tenentur ratione terrarum ipsarum, quod dictis nuntiis domini pape vel alteri eorum seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso, abjuratis aliis juramentis contrariis istis, prestent fidelitatis nomine Romane Ecclesie juramentum. Quod si non fecerint sciant se ex nunc omnibus bonis comitatus, poderis sive terrarum ab eisdem possessis

(*a*) Ap. Pertz et in caeteris *Rom.*, male, dum clare agatur de Rainaldo Munaldi. Vid. supra p. 815 et 826, et infra epistolam Honorii papae, 18 febr. 1221.

(*b*) Ap. Wurdtwein *Regugnani*, minus recte. Infra autem in eisdem litteris Honorii, legitur *Pepugnanense castrum;* non rectius, dum hic quoque agatur de loco *Pegognaga* dicto.

(*c*) Ap. Wurdtwein *Bordeni*, minus recte.

hac nostra sententia in perpetuum fore privatos, et milites et habitatores ipsius castri Gonzage desuper ponimus in perpetuum banno nostro. Preterea injungimus firmiter et mandamus potestatibus, consulibus seu rectoribus civitatum sub pena mille marcarum ut omnes possessiones comitatus predicti detentas ab ipsis sub pena predicta mille marcarum sine difficultate ac mora restituant, et absolvant omnes homines de comitatu et terris predictis ab omni juramento, districtu et obligationibus quibus ratione alicujus jurisdictionis quam hactenus exercuerunt in eos tenentur eisdem, et removeant consules, rectores, bajulos et si quos officiales posuerint in eis et extra aut quoscunque posuerunt in banno de terris ipsis; sub obtentu fidelitatis et gratie nostre ipsis nichilominus injungentes ut dictis capellanis vel eorum alteri seu cuilibet alii ad hoc a sancta Romana Ecclesia destinato, ad retinendam possessionem terrarum quas habent, ad recuperandam quam non habent, prestent auxilium, consilium et favorem. Verum quia ipsi filii dictorum comitum nostram contempserint sententiam et mandatum, predictum castrum infra terminum sibi datum nequaquam ut superius legitur resignantes, nostram promulgatam sententiam contra ipsos et omnes alios detentores comitatus predicti, poderis seu etiam terrarum in nostra curia publica publicari fecimus, et ut firma semper et inconvulsa permaneat, majestatis nostre aurea bulla jussimus communiri.

Principes autem imperii et prelati et nobiles Italie quibus presentibus hec omnia facta sunt [sunt] hi : patriarca Aquilegensis, Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus, . . . episcopus Pataviensis, Sifredus Augustensis episcopus, Albertus Tridentinus episcopus, Bertoldus Brixiensis, abbas Augensis, Lodovicus dux Bavarie et comes palatinus Rheni, Anselmus marescallus imperii, et Guarnerius de Bollandia senescalcus, episcopus Taurinensis et Italie vicarius, F. Papiensis, O. Laudensis episcopus, M. Mutinensis episcopus, Henricus Bononiensis episcopus, Azo marchio Estensis, Matheus de Corrigia potestas Papiensis, Niger Marianus potestas Parmensis, Berrita potestas Reginus, Egidius potestas Mutinensis, Tisus de Campo Sancti Petri, et alii plures.

Datum in castris apud Sanctum Leonem, VIII kalendas octobris; et publicatum apud Spinlambertum (1), pridie kalendas mensis ejusdem, anno Domini M. CC. XX, indictione VIII.

Guarnerius, marescallus Riccardi camerarii imperialis, ex commissione Friderici regis confitetur se recepisse a Jordano episcopo Paduano quinquaginta marcas argenti, pro eo quod idem rex praefatum episcopum absolverit ab itinere Romano secum peragendo.

Apud Spillabertum, 1° octobris.

(Edid. Dondi Orologio, *Dissert. settim. sopra l'istor. eccles. di Padova*, p. 22, docum. XIX, ex tabular. capit. Patav.)

Anno Domini MCCXX, indictione octava, die primo mensis octobris, in districtu Mutinensi apud castrum Spinlamberti, in exercitu domini Federici Dei gratia Romanorum regis, presentibus his testibus rogatis et ad hoc specialiter convocatis, videlicet magistro Nicolao subdiacono domini pape et ejusdem regis capellano, Wualterio ejusdem magistri Nicolai serviente, Alberto Gosio et Enginulfo Mutinensibus et Joachino serviente infrascripti Guarnerii, Guarnerius merescalcus domini Rizardi

---

(1) Ap. Pertz *Spinlabert*, quum in Libro censuum omissa fuerint abreviationis signa. *Spillamberto* locus est, ut Tiraboschius monet, Mutinam inter et Bononiam; quem ita describit Leand. Alberti, *Descritt. di tutta l'Italia*, p. 361 verso: « Salendo alla via Emilia et sopra Modena lungo la destra riva di Panaro, otto miglia caminando, vedesi Spilimberto civile castello, anticamente detto *Spinum Lamberti*, come ho ritrovato nella vita di Adriano papa I, che quivi santissimamente passo a meglior vita ritornando di Francia, secondo un molto antico libro, che è nel monastero di Nonantula.» Qua vero causa quidam recentiores nomen in *Sanctum Lambertum* mutaverint, nos omnino fugit. Ex Mantuanis partibus ad partes Bononiae per Guastallam et Mutinam Fridericus advenit. Cf. Affo, *Stor. di Guastalla*, t. I, p. 181, et Muratori, *Annal. d'Ital.*, ad ann. 1220, qui tamen diem 6 octobr. pro 6 *kal. octobris* perperam indicat.

camerarii suprascripti regis, ex commissione regis ejusdem, vuarentavit et confessus fuit se pro ipso rege accepisse L marcas argenti a domino Henrico canonico Paduano dante et solvente pro domino Jordano Dei gratia episcopo Paduano, specialiter propter illud quod idem dominus rex absolverat eumdem dominum episcopum ab itinere Romano, cum a principio quesivisset ab eodem episcopo quod volebat ut secum pergeret Romam. Quapropter ipse Vuarnerius renunciavit (*a*) exceptioni non numerate pecunie, et fuit pactum de non petendo amplius dictam pecuniam sub pena dupli.

Ego Turpinus quondam Gnati filius, sacri palatii notarius, interfui et jussu eorum rogatus scripsi.

In castris apud Rhenum, 3 octobris.

Fridericus, Romanorum rex, Martinum episcopum Mutinensem, capitulum et universum clerum ejusdem ecclesiae cum omnibus eorum bonis sub sua et regni protectione suscipit.

(Edid. Ughelli, *Italia sacra*, t. II, p. 120.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper (*b*) augustus et rex Sicilie, universis regno nostro subjectis tam presentibus quam futuris ad quos littere iste pervenerint, gratiam suam et bonam voluntatem. Cum a nostra serenitate petitur quod justum est et honestum, tam ordo rationis quam vigor exigit equitatis ut illud debeamus effectui mancipare. Eapropter notum vobis facimus quod nos attendentes merita et grata obsequia que nobis et progenitoribus nostris dilecti fideles nostri Martinus episcopus et capitulum Mutinense exhibuerunt fideliter et devote, ecclesiam, episcopum, capitulum et universum clerum Mutinensem cum omnibus bonis suis tam ecclesiasticis quam paternis sub nostra et regni nostri protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus,

(*a*) In impresso *renuncians*, minus recte.

(*b*) Ap. Ughelli *imperator*, male.

statuentes ut de cetero nulla civitas, nullum commune, nulla persona magna vel parva dictam ecclesiam et episcopum ipsum, capitulum et clerum in rebus suis vel personis presumat aliquatenus molestare. Quicumque autem hujus nostre protectionis violator extiterit, indignationem regie majestatis et penam quingentarum marcarum argenti se noverit penitus incursurum, medietatem cujus camere nostre et medietatem injuriam patienti decernimus exhiberi.

Datum in castris apud Rhenum, V nonas octobris, indictione IX.

Fridericus, Romanorum rex, Gulielmo de Pusterla civi Mediolanensi et legitimis haeredibus ejus in rectum feudum concedit viginti marcas argenti annuatim percipiendas de redditibus imperii in civitate Astensi, quousque idem feudum in alio meliori commutare poterit.

In castris prope Renum Bononiae, 4 octobris.

(Inedit. ex cod. pergam. 5893 in Bibl. reg. Paris., anni 1616, fol. 11 verso, 12 recto; renovatum e concessione Ottonis IV eisdem fere verbis indulta, sub his notis chronologicis : dat. apud Cumas, nono kalendas martii, indictione decima quinta ; sc. 1212.)

Federicus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes sinceram fidem et devotionem laudabilem quam tu Gulielme de Pusterla, civis Mediolani, dilecte fidelis noster, hactenus imperio exhibuisti et in antea nostre celsitudini fideliter poteris exhibere, volentes te de devoto nobis devotiorem reddere, de gratia nostra concedimus tibi et tuis legitimis heredibus in rectum feudum de redditibus nostris quos in civitate habemus Astensi et eos commune Astense nobis annuatim debet, viginti quinque marchas puri argenti singulis annis percipiendas, quousque idem feudum in alio meliori sive per conveniens contracambium tibi vel tuis heredibus com-

mutemus. Ad cujus rei memoriam et robur deinceps valiturum, presens scriptum fieri fecimus nostro sigillo munitum.

Hujus rei testes sunt Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus, Aquiliensis patriarcha, Augustensis episcopus, Pattaviensis episcopus, L. dux Bawarie et comes palatinus Reni, Guarnerius de Bolanda senescalcus et Anselmus de Justino marescalcus, et alii quamplures.

Datum in castris prope Renum Bononie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, quarto nonas octobris, indictione nona.

In castris prope Renum, 4 octobris.

Fridericus, Romanorum rex, Papiensibus concedit restitutionem Viglevani, castellum, jurisdictionem et pontem supra Ticinum a Mediolanensibus occupatum, sicut quondam a Friderico primo Papienses habuerunt, una cum monte Donico, Sancto Martino de Ulmulo, Monticello et Plebetto a Placentinis occupatis.

(Memorat. ap. Corio, *Dell' histor. Milan.*, pars II, p. 163, et ap. Trist. Calchus, *Hist. Patr.*, lib. XIII, p. 298. Ambo tamen epocham vel locum dati privilegii minus correcte notaverunt, dum unus dicat : *Al quarto di decembre, ne lo exercito presso Rhegio*, alter : *Fridericus Papiae agens.* Nos vero ex ordine rerum ita correximus :)

Datum in castris prope Renum, anno dominice incarnationis M. CC. XX, quarto nonas octobris, indictione IX (1).

---

(1) « Eisdem civibus Papiensibus paulo post [Fridericus] mandat ne sibi potestatem ullam seu reipublicae sive justitiae administrandae causa crearent usque ad decennium, sed duodecim viros legerent, quorum sex militaris potestas daret, reliquos popularis turba proponeret. » Trist. Calchus, *Ibidem*, p. 298. Res vero minus se praecedentibus accommodat quum circa tempus idem Matthaeum de Corrigia *potestatem Papiensem* inveniamus. Vid. supra, p. 858.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae grates agit de beneficiis sibi jugiter impensis; ingressum suum in Lombardiam nuntiat, mox ad pedes ejus venturus, petitque ut suos legatos benigne recipere velit.

In castris prope Bononiam, 4 octobris.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, t. I, ad ann. 1220, § XVIII. Quaedam omissa supplemus ex BOEHMERO, *Regest. imper.*, p. 112, n° 382.)

Sanctissimo patri et domino Honorio, etc. Fredericus, etc. Ne fatigentur toties multis repetitionibus aures vestre, expedire non vidimus, pater sancte, multimoda benefacta que a vobis et sacrosancta Romana Ecclesia matre nostra sincero et paterno affectu a primis cunabulis in nostris semper necessitatibus potenter et patenter recepisse meminimus, iterum atque iterum replicare; sed quod receptam gratiam gratitudine debita cognoscamus, quod jugiter profiteamur eamdem, et plene jam multis innotuit et augmentata in nobis devotio sic plenius indicabit quod non se penitebit mater Ecclesia talem procreasse filium et lacte proprio refovisse. [De suo autem in Lombardiam ingressu, dum multis negotiis praepeditus, solemniorem mittere legationem omiserit, suas praecedentes litteras in excusationem revocat. Nunc tamen post urgentium negotiorum expeditionem] ad pedes sanctitatis vestre ardenti desiderio properamus, sperantes quod paterna gratia quam nostris profectibus verbo semper et opere ostendistis, exuberabit in devotum filium usquequaque, et ab arbore quam plantavit Ecclesia, coluit et refovit, expectatum fructum juxta vestrum desiderium colligetis. [Inde papae commendat praesentium latores G. Cumanum episcopum, Henricum imperialis aulae protonotarium et fratrem Hermannum, quibus aversas aures non praebeat in his quae ipsi habuerint proponenda.]

Datum in castris prope Bononiam, IV nonas octobris, indictione VIII.

In castris Bononiae, 5 octobris.

Fridericus, Romanorum rex, Simeoni archiepiscopo Ravennati et ecclesiae ejus confirmat omnia privilegia ab antecessoribus suis concessa tam de variis comitatibus quam de episcopatu Regino, cum monasteriis, castris, locis et juribus universis ad eamdem ecclesiam spectantibus (1).

(Memorat. ap. MONTFAUCON, *Biblioth. manuscr.*, t. I, p. 435, ex indice archivii Ravennatensis, et ap. RUBEUS, *Histor. Ravenn.*, lib. VI, p. 383.)

Hujus rei testes sunt Bertholdus patriarcha Aquileiensis, Sifredus Augustanus, Olricus Pataviensis, Bertholdus Brixinensis episcopi, Albertus Tridentinus electus, Ludovicus dux Bavarie palatinus comes Reni, Teboldus marchio de Hohimburc, comes Everardus de Helfinstein, et alii quamplures.

Ego Chunradus, etc., vice Engilberti Coloniensis archiepiscopi, totius Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XX, III nonas octobris, indictione VIII.

Datum [in castris] Bononie. . . . .

---

(1) Ad majorem rei lucem, integram quam ipse Montfaucon inseruit notam nunc transcribimus. « Transumptum privilegii Federici secundi concessi ecclesiae Ravennatensi tempore Simeonis archiepiscopi, quo confirmat omnia privilegia eamdem spectantia, inter alia varios comitatus : item Cesenae, Ficoclae, Bobii, Forilivii, Feretri, Deciani, Traversariae, Imolae, Comaclensem, Ferrariensem ; episcopatum Reginensem cum dono, monasteria Sancti Hilarii, Sancti Thomae, Sanctae Euphemiae, Massam Fiscaliam, monasterium Pomposae, portum Volanum, abbatiam Vangaritiae (?), quae possidet in marchia Camerina tam de castris, massis caeterisque omnibus juribus ac locis, etc.; contra quae nulla praescriptio obstet et in futurum nisi centenaria; comitatum Argentae, Portum totum et plebem, Caput Sandali, Grassulum, Ripam Persicam, Vergundinum, Portum Veterariae, Sandalum, Materiam, Cavallum, non obstante privilegio Ferrariensi concesso; varia et castra quae recenset in dioecesi Pensauriensi, Ariminensi, Cesenae, Foropompiliensi, Faventino, Imolensi, etc. (*sic*). » Cf. diploma Honorii tertii, datum Laterani, 2 idus maii 1224, ap. RUBEUM, opere cit., p. 389.

Fridericus, Romanorum rex, Martino abbati et fratribus Sancti Apollinaris in Classe libertatem et exemptionem ab angariis concedit et confirmat, statuit homines monasterii tam in Romania quam in Marchia jurisdictioni dominorum suorum subjici, additque plura de fodro alternis annis solvendo, de judiciis, de successionibus, etc.

In castris prope Bononiam, octobri.

(Edider. Mittarelli et Costadoni, *Annal. Camald.*, t. IV, p. 401, ex autographo Classensi, cujus sigillum deperiit.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Si ecclesias Dei et loca religiosa pio benignitatis nostre favore respiciamus, ad meritum eterne beatitudinis apud Regem regum id nobis indubitanter speramus profuturum. Eapropter noverit tam presens etas fidelium imperii quam successura posteritas quod nos attendentes honestam et religiosam conversationem fidelium nostrorum Martini abbatis Sancti Apollinaris in Classe et fratrum ibidem servientium, concedimus ipsis et presenti scripto confirmamus ut omnes persone in eodem monasterio et ejus attinentiis divinis mancipate et mancipande obsequiis plena gaudeant atque fruantur libertate et pace: videlicet ut nec ad angarias vel perangarias vel alias operas per aliquem etiam nostrum missum aliamve majorem seu minorem personam, preter ea que ad publica opera per canones et leges sunt deputata, ullo modo cogantur. De suis quoque domicultilibus iisdemque suis propriis laboribus et (*sic*) per suas familias excoluerint, nihil omnino prestare compellantur per altam aliquam humilemve personam, per nostrum missum seu per quemcumque alium, per ullam civitatem, communitatem sive singularitatem, sed nec aliquam collectam vel exactionem quocumque nomine censeatur vel hospitationes per aliquem vel per aliquos predictorum inviti prestare cogantur. Statuimus etiam ut homines prefati

monasterii tam in Romania quam in Marchia sive in castris sive in villis habitent, jurisdictioni suorum dominorum, sive inter se agant sive ab aliis conveniantur, omnino subjiciantur. Si vero ipsi conveniant, sub eorum dominis agant, ita ut actor semper forum rei sequatur. Fodrum quoque alternis annis qui unum jugum bovum habuerint duodecim denarios Ravennatium tantum, qui autem duo juga, XVIII, qui vero tria cum quibus araverit duos solidos, et sic deinceps pro se et familiaribus suis persolvant; qui vero unum solum bovem cum quo aret, habuerit, sex denarios pro se et familia sua tribuat; qui vero manibus tantum operatur vel alia opera exercet, quatuor denarios similiter pro se et familia sua persolvat, omni alia exactione quocumque nomine vocetur penitus cessante. Adjicimus etiam ut si quando predictus abbas seu ejus fratres seu eorum homines coram nostris judicibus vel eis quos alicui jurisdictioni prefecimus, agant vel conveniantur, sive causam amittant sive in ea obtineant, pro libra nonnisi duodecim denarios nostris judicibus et potestatibus persolvant, et infra quadraginta dies eorum cause decidantur, nisi majores inducias propter absentiam testium vel instrumentorum causa postulaverit, et statim executioni mandetur et quod judicatum fuerit nisi per appellationem suspendatur firmissime teneatur. Statuimus etiam indissolubiliter ut si aliquis homo sepedicti abbatis vel fratrum predictorum sine herede et ab intestato, existentibus agnatis vel cognatis decesserit, non fiscus, sed agnati vel cognati secundum voluntatem sui domini succedant. Si autem agnati vel cognati vel eorum domini non extiterint, fiscus succedat. Ut igitur hec majestatis nostre concessio et confirmatio rata in perpetuum et inconcussa permaneat, presentem paginam conscribi jussimus et nostre sublimitatis sigillo communiri. Statuentes et regali auctoritate nostra sancientes ut commune Cesene et homines dicti communis non debeant inquietare possessiones dicti monasterii positas in curte Sale et in curte castri Casalicli cum omnibus earum pertinentiis infra hec latera : a primo latere littus maris, a secundo Pissatellus, a tertio Vetreta et Paviranus, a quarto limes qui dicitur Arzir percurrens a predicto usque in Castratellum et rivus Fabrice decurrens in mare; et non debeant inquietare curtem castri Pissatelli, immo

dictas possessiones et res et homines residentes supra dictis possessionibus sinant et dimittant liberos et quietos dicto monasterio. Sancimus item ut commune Fani non debeat inquietare possessiones et homines dictarum possessionum ad monasterium pertinentes positas in Marchia in loco qui dicitur Ravigniana, immo dictas possessiones et homines dictarum possessionum sinat et dimittat liberas et quietas monasterio memorato. Et si quos homines receperunt dicte communitates in eorum communitatibus de hominibus dicti monasterii, eos dimittant et restituant dicto monasterio libere et quiete. Statuimus insuper ac firmiter prohibemus quatinus de cetero nullus episcopus, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nulla civitas, nullum commune, nulla potestas, nulla denique persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, sepedictum monasterium vel ejus homines contra hanc nostram concessionem gravare, molestare vel quibuscumque injuriarum calumniis attemptare presumat. Quod qui fecerit in ultionem sue temeritatis quadraginta libras auri componat, dimidium camere nostre, reliquum injuriam passis.

Hujus rei testes sunt : Bertholdus patriarcha Aquilegiensis, Sifridus Augustensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie et comes palatinus Reni, Anselmus de Justingen marescalcus, Wernerus de Bolandia senescalcus, et alii quamplures.

Datum in castris prope Bononiam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense octobris, indictione nona, regnante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum rex, communi Januae privilegium impertitur quo facultatem concedit armamentum faciendi, consules et potestates eligendi, aedificandi castrum super portum Monachi, notarios faciendi, rugam unam habendi in unaquaque civitate

In castris prope Bononiam, 7 octobris.

maritimae quam subjugaverit, etc.; promittens quod civitates vicinas et nobiles jurare faciet se nullam offensionem communi Januae, dum erit in servitio imperii aut Christi, illaturos.

(Edider. Raph. de Turri, *Controvers. Finariens. cyrologia,* part. II, p. 28 et seq. — Senckenberg, *Imperii jus in Genua*, p. 231; coll. cum libro jurium MSS. in Bibl. univ. Januensis, fol. 55 recto-verso.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. Licet ad decorem et honorem imperii et ad nostram simul gloriam spectet universos imperii nostri fideles confovere et tueri, diligere et amplecti, ad illorum tamen precipue tutelam propensius studium et vigilantiorem curam merito debemus adhibere, de quorum devotione, de quorum servicio et labore circa exaltationem celsitudinis nostre melior spes nobis incipit arridere et fiducia provenire. Congruum igitur et rationabile videtur nos eorum obsequia cum largiflua benignitate et regia munificentia ad servitium et honorem imperii benignius applicare, quorum industria et jurium potentia ad conservandum reipublice statum pre ceteris gloriosum conferre potest incrementum. Unde quia Januensem civitatem a prima sui fundatione caput suum inter alias civitates maritimas altius extulisse et perspicuis virtutum atque multarum probitatum operibus terra marique omni tempore prepollere veraciter audivimus et per effectum experti sumus, placuit nostre majestati tantorum virorum omnium videlicet Januensium fidelitatem eligere et tenere ac cum omni benevolentia pre aliis conservare eosque in commune congruis honoribus et amplioribus beneficiis semper honorare; presertim cum nos ipsorum servitiis et strenuis laboribus gratanter uti, maxime in mari, in navalibus bellis velimus, juxta illud nostre voluntatis propositum quo non solum in terra, sed etiam in mari gloriam et honorem Romani imperii dilatare modis omnibus et corroborare intendimus ac desideramus. Eapropter cognoscant universi fideles imperii presentes et futuri quanto gratie nostre et honoris titulo, quanta etiam beneficiorum collatione, quanto dilectionis emolumento civitatem Janue exaltandam duximus et honoran-

dam (1). Concedimus enim et donamus communi Janue sive consulibus vel potestati pro ipso communi in feudum ut quotiens ostem vel expeditionem aut exercitum sive cabalcatam aut armamentum lignorum facere voluerint, salva tamen fidelitate imperii, totam habeant maritimam a portu Monachi usque ad portum Veneris et a Jugo versus mare in illa oste vel expeditione aut cabalcata sive armamento lignorum. Item donamus et concedimus in feudum predicto communi Janue liberam potestatem eligendi ex se ipsis, firmandi et habendi consules et potestates undecumque velint et eis utendi, qui habeant jus et facultatem liberam faciendi justitiam, puniendi maleficia in civitate et in districtu suo bona fide legitime et secundum bonos mores ipsius civitatis, et dandi tutores et curatores et mundualdos, et cetera omnia que judex ordinarius habere debet ab imperatore in sua jurisdictione, in suo districtu et in suos quos ei concedimus et concedemus. Item statuimus ut a nulla persona fodrari debeant vel hospitari, et aliam potestatem non imponemus eis nec imponi faciemus. Item concedimus eidem communi ut liceat eis edificare et edificatum tenere et habere castrum videlicet super portu Monachi ad honorem imperii et utilitatem communis Janue; ita quod hoc castrum ab imperio teneant in feudum in perpetuum, sub eo tenore ut ipsum castrum sit expositum et paratum ad servitium imperii, cum nos vel aliquis successor noster voluerimus guerram facere Massiliensibus vel aliis de Provincia. Item concedimus eidem communi in feudum castrum Gavii (*a*) cum pertinentiis suis et cum omni jure et commodo ad ipsum pertinenti. Preterea castra omnia, portus, regalia, possessiones et jura et res universas quas in citra marinis et ultra marinis partibus habent vel possident vel alius eorum nomine, eis

(*a*) Legitur alias *Gaivi*.

---

(1) His verbis non optime convenit quod narrat MARCHISIUS SCRIBA, *Annal. Genuens.*, ad ann., ap. MURATORI, *Scriptor.*, t. VI, p. 421 : « Ostensis privilegiis nostris, vix partem de eo quod ad imperium pertinebat [Fridericus] voluit confirmare; suas excusationes proponens quod quidquid ad regnum Siciliae attinebat, nisi prius esset in regno, non poterat aliquatenus confirmare. »

concedimus et donamus in feudum et de gratia nostra imperiali auctoritate confirmamus. Proprietates autem et allodia earum eis libere concedimus. Item donamus et concedimus liberam potestatem consulibus vel potestatibus Janue faciendi notarios in civitate Janue. Concedimus etiam et damus eis in feudum in unaquaque civitate maritime que divinitate propitia cum eorum auxilio a nobis capta fuerit vel deinde nobis reddita et imperio subjugata, rugam unam eorum negotiationibus convenientem cum ecclesia, balneo, fundico et furno. Insuper concedimus eis ut in aliqua terra quam de cetero Deo auctore conquisierimus cum eorum auxilio nullum drictum, nullum pedagium, datitam quamlibet, usantiam vel impositionem dent homines eorum, etiamsi abhinc nobis reddita fuerit, et damus eis et concedimus ut in terras ad quas negotiatum iverint homines eorum, habeant unum vel duos aut plures Januenses qui inter eos justitiam faciant et rationem, et quod mercatores eorum ubique libere possint habere suum pondus et suam mensuram quibus inter se res et merces suas recognoscant. Item concedimus et damus eis quod si qua singularis persona vel universitas adversus commune Janue vel aliquam universitatem districtus Janue vel aliquem Januensem aut homines districtus eorum qui sit Janue in terris quas eis concessimus et concedemus querimoniam fecerit, non teneatur commune Janue vel universitas districtus ejus vel aliquis Januensis aut ejus districtus conquerenti respondere, nisi ante judices Januenses qui secundum leges romanas vel bonas consuetudines eorum justitiam faciant conquerenti; et si preceperimus alicui faciendam esse justitiam, infra terminum convenientem ei justitiam faciant Januenses judices sicut predictum est; quod si noluerint, ante nos ipsa justitia fiat. Item generali edicto et banno speciali auctoritate regia sanctimus ut nulla persona major vel minor aut media aliquatenus Januenses vel illos qui cum eis fuerint in rebus vel personis offendat, et si quis temerario ausu contra facere presumpserit, vindictam inde faciemus secundum quod in edicto et banno expressum fuerit, nisi quantum per parabolam non coactam illius qui injuriam passus fuerit aut Januensium consulum vel potestatum remanserit. Nec distringantur amodo Januenses dare obsides vel pecu-

niam tam ipsi quam homines eorum districtus contra suam voluntatem; et faciemus jurare consules vel potestates Papie, Placentie, Terdone, Alexandrie et Aste et marchionem de Monteferrato et successores quondam Henrici Guercii et marchiones de Bosco et marchionem Malespine quod quamdiu Januenses fuerint in expeditione nostra vel in servitio Dei contra Sarracenos, nullam offensionem vel injuriam facient civitati Janue vel in ejus districtu vel hominibus de Januensi districtu aut in eorum rebus in aliqua parte; et si aliquis contra facere voluerit, bona fide defendent et adjuvabunt et hoc totum in debito fidelitatis eis injungemus, et si ipsi offendent quod hoc bona fide emendent et ipsum emendari faciemus. Item si stando in servitio imperii vel faciendo guerram pro eo aut postea ea occasione aliqua persona vel civitas fecerit eis guerram, inde eos adjuvabimus bona fide usque ad pacem factam nec inde faciemus finem aliquem sine eis. Hec autem nostra concessio non faciat communi Janue prejudicium circa alia jura ipsius communis et civitatis. Mandamus itaque auctoritate presentis privilegii firmiter statuentes ut nulla unquam persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, in his que Januensibus et communi Janue concessimus tam in civitate Janue quam extra vel que Deo auctore in futurum concedemus dictum commune inquietare, molestare, offendere vel divestire presumat. Et si quis contra facere presumpserit, mille librarum auri penam incurrat, medietatem camere nostre, reliquam vero partem passis injuriam persolvendo. Ut autem omnia supradicta firma semper et illibata permaneant, presens privilegium inde fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilegensis patriarca, Simon archiepiscopus Ravennas, Ulricus Pataviensis episcopus, Siffredus Augustensis episcopus, Bertholdus Brixinensis episcopus, Jacobus Taurinensis episcopus, Henricus Bononiensis episcopus, Fulco Papiensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Luodovicus dux Bavarie comes palatinus Rheni, Diopuldus marchio de Hohemburc, Vuernerius dapifer de Bonlandia, Anselmus de Justingen imperii marescalcus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia Romanorum regis, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus, vice domini Engelberti Dei gratia venerabilis Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimò, mense octobris, indictione nona, regnante domino Federico secundo Dei gratia Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie illustrissimo, anno Romani regni in Germania octavo, in Sicilia vero XXIII°.

Datum in castris prope Bononiam per manus Henrici imperialis aule protonotarii, nonis octobris, indictione prescripta.

In castris prope castrum Sancti Petri, 7 octobris.

Fridericus, Romanorum rex, Ubertum Bobbiensem episcopum in sua protectione suscipit, eumdemque temporali jurisdictione apud Bobbium investit.

(Memorat. ap. CAMPI, *Histor. eccles. di Piacenza,* t. II, p. 127; ap. POGGIALI, *Memor. istorich. di Piacenza*, t. V, p. 134-135, ex *Registro mezzano* ap. Placentiam, fol. 193; et ap. UGHELLI, *Ital. sacra,* t. IV, p. 939, qui notas minus recte commemorat, quum dicat datum 9 *octobr.* 1221, *indict.* 10.)

Datum in castris prope castrum Sancti Petri (1), anno dominice incarnationis M CC XX, nonis octobris, indictione IX (2).

---

(1) Hodie *Castel San Pietro*, medio scilicet itinere Bononiam inter et Faventiam.

(2) Poggiali, loco supra citato, mandatum postea refert quo Conradus Spirensis et Metensis episcopus, Italiae legatus, communitati Bobbiensi praecipit ut vigore privilegii supra memorati, episcopo eorum intendere non omittant. Datum Placentiae, XV kalendas novembris (18 octobr.), indictione IX.

Fridericus, Romanorum rex, monasterio Sancti Johannis de Flore, ordinis Cisterciensis, concedit et confirmat privilegia a regibus praedecessoribus suis eidem indulta.

In castris apud castrum Sancti Petri, octobri.

(Memorat. ap. Macciucca, *Esame delle vant. carte e dipl. della certosa di S. Stefano del Bosco,* p. 499, ex codice cui titulus : *Atti a beneficio dell' abate di S. Giov. in Fiore e Paganella presso l'attuar. della reg. cam. de Laurentiis, fol.* 49-53. Ad suum morem, nulla tamen auctoritate fultus, hoc privilegium suspectum habuit Macciucca, qui tantummodo locum excerpsit ut sequitur :)

. . . . Confirmamus omnes possessiones, donationes, libertates ac confirmationes quas hactenus a divis parentibus nostris vel a nobis obtinuit; firmiter sancientes ut eis generalis revocatio quam de quibusdam de preteritis concessionibus nostris in regno dudum fieri jussimus, non obsistat. Ad cujus evidentiam gratie, etc.

Datum in castris apud castrum Sancti Petri prope Bononiam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense octobris, indictione nona.

Fridericus, Romanorum rex, communitati Faventiae omnia banna relaxat ei propter factum Imolae imposita, fossatum dimittit a villa Canboi usque ad hospitale Bonzanini, statuitque ut castrum Cosnae in suo statu maneat donec de ratione cognoscatur (1).

Apud Sanctum Proculum, 15 octobris.

---

(1) Totam rei seriem ex Tolosano, scriptore coaevo, transcribendam censemus : « Cum rex Fredericus Romam coronandus veniret, secum ducens non magnum exercitum, est hospitatus

(Memorat. ap. Tolosanum, *Chronic.*, ap. Mittarelli, *Access.*, p. 159-161, et ap. Tonduzzi, *Memor. di Faenza*, part. II, p. 249. Cum nusquam originale appareat, arbitrari licet privilegium cassatum et mox abolitum, nunquam publicatum fuisse.)

Datum apud Sanctum Proculum prope Faventiam, anno MCCXX, idibus octobris.

In castris prope Faventiam, octobri.

Fridericus, Romanorum rex, Albericum Sassenatensem episcopum et ecclesiam cum possessionibus ibidem nominatis sub speciali protectione sua recipit, jubetque ut in perpetuum de his omnibus jus dicere soli episcopo liceat.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacra*, t. II, p. 657.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera

---

apud Sanctum Proculum ubi Faventini ei omnia fidelissime ministraverunt necessaria, datis ipsi regi apud castrum Sancti Petri de Bononia mille quingentis marcis puri argenti. Et ob hoc remisit omnia nobis banna facta per suum vicarium vel cancellarium vel marchionem Montisferrati vel per aliquem suum nuntium occasione facti Imolae, et insuper dimisit nobis fossatum a villa Canboi usque hospitale Bonzanini et a Bonzanino usque Cosnae pontem, et ipsum castrum Cosnae nobis dimisit, donec de ratione cognosceretur si castrum permanere deberet, et hoc sub idoneis judicibus. Et haec omnia in scriptis redigi praecepit et privilegium nobis concessit, fecit atque firmavit et suo proprio sigillo sigillari praecepit, suam gratiam et bonam voluntatem plenissime promerentes (*sic*), et tenutam nobis die XV mensis octobris dicti castri concessit. Altera vero die, scilicet die veneris, apud Sanctum Varanum est hospitatus. De voluntate vero Liviensium infra curiam dicti castri rediens cum exercitu suo et Liviensium, inter fossatum et Cosnam tentoria fixit et secretum quod cum Liviensibus statuerat pandit: id est quod fossatum et castrum destruerent et Faventinos qui in eodem castro se ad munitionem loci recluserant, possent capere. » Narrat abinde Tolosanus quomodo Faventini, suis concivibus manu armata deliberatis, castrum Cosnae reliquerint, quod destruxerunt Foroliviensies « jussione regis et favore . . . . et sic rationem nobis per privilegium factam, promissam et confirmatam [de] dicto castro non tenuit.»

caritatis opera illa potissima reputamus que ecclesiis et locis Deo dicatis Domino inspirante largimur. Eapropter notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devotionem quam tu Alberice, Saxenatensis episcope, fidelis noster, ad excellentiam nostram geris, intuitu Dei, pro remedio anime nostre ac divorum augustorum parentum nostrorum felicis memorie, te et ecclesiam tuam, possessiones ejusdem cum hominibus et omnibus rebus suis, specialiter vero curtem Sancti Romani cum pertinentiis suis, castra Petrelle, Fontane Frigide superioris et inferioris, Riscodie, montis Latronum, Glagioli, montis Veteris, montis Mercorii, Cigne, Sigunii, Rancle, Petrelle abbatis, montis Castagneti, Linasii, Casalboni, Casalburgule, Turricelle, Silve Pravole, Falcini, montis Guidonis, Masse, Monuisti, Bacciolini, Ceule, Bontagnani, Montisplani, Collonate, Paterni, Plagie, Montispetre, Portuli, Sapegni superioris et inferioris, Febi, Mastri, montis Saxi, montis Castelli, Summavelle, Atteggii, Sorbani, Calbani, montis Sorbi, Muselle, montis Abetis, Fenocchi, montis Rodulphis, Ceofolii, Rulati, Prugnani, Turrite, Lizule, Valliani, Fossedecanne, Plandogni, Facciani, Sagliacci, Valdagneti, Bucchii, Carecti, Civorii, montis Articcii, Acti, Appoggii, Casalechii, montis Aurioli superioris et inferioris, montis Corbi, montis Ajusti, Rivolparie, Rochette Catonis, Castreprioris, Catoli, Colorei, Naseti, Corneti et Masse, cum omnibus villis, curtibus et pertinentiis suis, sub speciali protectione et defensione nostre recipimus majestatis; volentes et firmiter committentes quatenus nullus dux, marchio, comes, vicecomes, potestas, commune, castaldus seu quilibet exactor publicus vel privatus, nuncius quoque noster vel quilibet alius te presentem episcopum vel ecclesiam tuam de possessionibus ejusdem, hominibus et omnibus aliis rebus ad ecclesiam ipsam de jure spectantibus, specialiter vero de predictis castris et omnibus aliis que nunc juste habet ecclesia tua vel in antea justo acquisitionis titulo poterit adipisci, diminuere, impedire, collectam seu fodrum exigere vel quomodolibet molestare presumat, nec de ipsis castris, possessionibus, hominibus et aliis rebus ejusdem ecclesie absque licentia tua vel successorum tuorum placitum teneat vel se aliquatenus intromittat; sed tibi tuisque successoribus in

perpetuum libere et ad plenum liceat jus dicere de omnibus antedictis. Volumus etiam et precipimus ut scriptum de predictis contra ecclesiam tuam factum injuste et irrationabiliter a quadraginta annis infra robur non habeat firmitatis. Precipimus insuper ut si servus ejusdem ecclesie liberam sibi in conjugio copulaverit, eorum filii secundum loci consuetudinem in ecclesie servitium redigantur (1). Si quis autem contra hoc nostrum privilegium venire presumpserit, de sue temeritatis ausu pro pena componat centum libras auri, medietatem camere nostre, reliquam vero partem passis injuriam solvendam (*a*). Ad horum quidem memoriam et perpetuam firmitatem, presens inde privilegium fieri et nostre majestatis sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Bertoldus Aquilegiensis patriarcha, Soffredus Augustanus episcopus, . . . Pataviensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie comes palatinus Reni, Guidus marchio Montisferetri (*b*), Azo marchio Estensis, Anselmus de Giustingen marescalcus, Wernerius dapifer de Bolandia (*c*), et alii quamplures.

Datum in castris prope Faventiam, anno dominice incarnationis M. CC. XX, mense octobris, indictione VIII, regnante domino nostro Federico II, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ejus in Germania VIII et in Sicilia XXIII, feliciter. Amen.

. . . . . . , 18 octobris.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium Sanctae Mariae de Pomposa in insula Padi ad imperium immediate pertinens in sua

(*a*) Apud Ughelli *solvet, etc.*, minus recte.

(*b*) Mendosum locum valde suspicamur pro *Guilelmus marchio Montisferrati.*

(*c*) Ap. Ughelli *Venerius de Pifer de Rolandia*, pessime.

(1) Unde liquet jus istud in legibus Francorum et Alemannorum frequentius expressum (*Lex Sal.*, tit. 14, § 7; — *Capit.*, ann. 819, III, § 3; — *Lex Alem.*, tit. 18, § 3) usque nunc in Italia perstitisse.

speciali protectione suscipit, eique amplissimo privilegio bona ibidem nominata confirmat.

(Indicat. nobis in litteris cl. viri Boehmeri, qui copiam hujus privilegii in archivo Vindobonensi asservari testatur ap. *Fontaninii collectanea manuscripta*, vol. V, fol. 125.)

Hujus rei testes sunt Bertholdus patriarcha Aquilegiensis, etc.

Datum. . . . ., anno dominice incarnationis M. CC. XX, quinto decimo kalendas novembris, indictione nona, ... anno Romani regni in Germania VIII, Sicilie vero XXIII.

Fridericus, Romanorum rex, homines de Viglevano cum omnibus bonis ipsorum et castrum istius loci sub sua custodia et protectione recipit, inhibens ne ab aliqua civitate vel persona molestari debeant.

In castris prope Forlivium, 20 octobris.

(Edit. ap. Biffignandi, *Memor. istor. della citt. e cont. di Vigevano*, p. 256; insert. in privilegio confirmationis originali a Ludovico Bavaro indulto ap. Papiam, XVI kal. jul. 1329, indict. XII, sed minus ut videtur correcte transumptum. De sinceritate contra Robolinium vindicata, vide supra p. 785 et 786, not. 1.)

In nomine Domini. Amen. Federicus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, universis fidelibus suis ad quos littere iste pervenerint gratiam suam et bonam voluntatem. Notum vobis facimus quod nos attendentes merita et grata obsequia que homines de Viglevano fideles nostri hactenus progenitoribus nostris exhibuerunt fideliter et devote et parati sunt in antea (*a*) exhibere, ipsos homines cum omnibus bonis suis que nunc habent vel dante Domino justo modo poterunt adipisci et castrum memoratum sub nostra et regni nostri custodia ac protectione suscipimus; statuentes ut de cetero castrum ipsum

(*a*) In impresso *ignite*, male.

quod semper fuit camera imperii specialis, hominesque habitantes in eo ab aliqua civitate vel persona non debeant molestari (1). Quapropter vobis sub obtentu gratie nostre et [pena] quingentarum marcarum auri firmiter precipiendo mandamus quatenus eisdem hominibus, si eis opus fuerit et vos postulaverint, impendatis auxilium, consilium et favorem contra eos qui vellent in rebus et personis indebite et preter justitiam molestare; nostras litteras et mandata, cum tempus exegerit, taliter impleturi quod nos proinde fidelitatem vestram et devotionem possimus commendare et dicti homines nobis teneantur perpetuo obligati.

Datum in castris prope Forlivium (2), tercio decimo kalendas novembris, indictione nona (*a*).

Placentiae, 23 octobris.

Conradus Metensis et Spirensis et Jacobus Taurinensis episcopi ex parte Friderici regis potestati et ambassiatoribus Alexandriae

(*a*) Interpolata credimus quae in transumpto adduntur, verba scilicet *millesimo ducentesimo vigesimo.*

---

(1) Notandum quod hic nec Papienses nec caeteri sicut in altero, p. 786, specialiter nominantur. Jus Papiensium denuo tuetur Robolinius (*Notiz. stor. di Papia,* t. IV, I, 378) ex annotationibus Comii, qui documentum quoddam archivii comm. Papiensis ad primum martii diem anni 1221, sub hoc titulo memorat: « Possessio tradita nomine imperatoris Friderici Sigebaldo de Gambolato et Joanni Biscossie, ambasciatoribus et procuratoribus communis Papie, de loco, burgo et castro et villa et jurisdictione Viglevani, recepta per Albertum de Sancta Tecla sacri palatii notarium. » Hoc vero nihil documento nostro valoris detrahit, cum fieri potuerit imperatorem, postquam Viglevano *franchisiam* concessisset, saniori usum consilio seu jure diligentius inspecto, controversiam pro Papiensibus ad ultimum diremisse. Nonnulla de cassationibus istius modi exempla hanc historiam volventibus occurrent.

(2) Ad hoc sane tempus pertinet quod narrat Sigonius, *De regno Italiae,* lib. XVII, p. 27: « Tum Ravennam est ventum atque ubique solemne sacramentum expressum. Magdeburgensis [archiepiscopus] cum in consilium venisset, praesentibus Cremonensium ac Mutinensium oratoribus, jurejurando Ravennates adegit se Bononiensibus, Faventinis eorumque sociis bellum facturos, si Friderico legatisque ejus dicto audientes esse recusavissent. »

praecipiunt ne offendant civitatem et ecclesiam Aquensem, quas idem rex in sua protectione recepit.

(Edid. MORIONDUS, *Monum. Aquens.*, t. I, col. 173. — Memorat. ap. GHILINI, *Annali d'Alessandria*, p. 28, qui tamen erronee diem 8 novembris notat.)

Anno Domini M. CC. XX, indictione VIII, die veneris X kalendas novembris, in palatio episcopi Placentini, presentibus Ruffino de Wiliol, Arnaudo Rapa et domino Manfredo de Uxetio testibus rogatis. Episcopus Metensis et Spirensis, domini regis cancellarius, et Jacobus Taurinensis videntes et cognoscentes dominum regem recepisse civitatem Aquensem, episcopum ejusdem et episcopatum in suam protectionem et defensionem, preceperunt ex parte regis potestati et ambaxiatoribus Alexandrie ne aliquatenus offenderent civitatem Aquensem, episcopum aut episcopatum in rebus vel personis. Unde dominus Anselmus Aquensis episcopus chartam fieri rogavit.

Ego Ruffinus notarius sacri palatii interfui et hanc chartam rogatus scripsi. Ego Ubertus notarius, etc.

Fridericus, Romanorum rex, consulibus et communi Castri Novi notificat se confirmasse permutationem factam a Marcwaldo quondam dapifero patris sui cum comite Uberto, et mandat ut huic comiti respondeant et satisfaciant.

In castris apud Sanctum Archangelum, 30 octobris.

(Edidit FANTUZZI, *Monum. Ravenn.*, t. IV, p. 342, n° CVII, e tabular. arch. Ravenn., caps. H, n° 3343.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, et rex Sicilie, consulibus et toti communi Castrinovi gratiam suam et bonam voluntatem. Noveritis nos confirmasse permutationem olim a Marchoaldo dapifero patris nostri beate memorie imperatoris Henrici factam cum comite Uberto in eodem. . . . . que mandamus vobis quod jurantes ei in omnibus et per omnia obediatis

et prout suo. . . . . [re]spondeatis et satisfaciatis eidem, tam in causis quam in omnibus aliis atque bannis . . . . non curaveritis adimplere, imponemus vobis bannum quingentarum marcarum argenti, medietatem cujus banni camere nostre et aliam medietatem ipsi comiti Uberto volumus pervenire.

Datum in castris apud Sanctum Archangelum (1), III kalendas novembris, indictione IX.

Extat de re eadem aliud instrumentum ab eodem Fantuzzi memoratum, *ibid.*, t. II, p. 374, et signato E. N. 1537, ut sequitur:

Anno 1220, octobris 25, indictione VIII (IX), dominus Fredericus imperator et rex Sicilie, cognita fidelitate Uberti comitis investivit eum de suo mero feudo de Castel Novo, juxta cartam permutationis factam a Marcoaldo olim dapifero imperatoris. Testes Guillelmus marchio Montisferetri (ferrati), Rainaldus dux Spoleti, Petrus Rambaldus, et alii. Julianus Leonardi notarius imperialis.

Laterani, 10 novembris.

Honorius papa Nicolao episcopo Tusculano, Apostolicae Sedis legato, et Alatrino capellano suo dat in mandatis ut quaedam capitula die coronationis publicanda a rege Romanorum in leges publicas redigi faciant, regiumque animum perspiciant tam super vitanda imperii et regni unione quam super subsidio Terrae Sanctae.

(Edider. Raynald., *Annal. ecclesiast.*, tom. I ad ann. 1220, § XIX. — Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 242.)

---

(1) De hac urbe non procul ab Arimino versus occidentem sita, vid. M. Marini, *Memor. istorico-critich.*, Roma, 1844.

Honorius, etc. N[icolao] episcopo Tusculano, Apostolice Sedis legato, et dilecto filio Alatrino subdiacono et capellano nostro, etc. De communi fratrum nostrorum consilio presentium vobis auctoritate mandamus quatenus efficaciter studeatis ut capitularia que vobis mittimus presentibus interclusa sub competentibus verbis servata sententia sub nomine regio in leges publicas redigantur, nobisque mittantur regie bulle roborata munimine, in die coronationis sub imperiali nomine in basilica principis Apostolorum solemniter publicanda. Ad hec prudenter et caute studeatis investigare ac perspicere regium animum et propositum tam super vitanda regni atque imperii unione quam super subsidio Terre Sancte, expresse regiis auribus inculcantes quod videtur contra promissa et privilegia sua manifeste venisse cum et filium suum coronatum in regem Sicilie in Romanorum regem eligi procurarit, et prelatos et magnates regni ad coronam vocarit imperii, et ab eis de novo fidelitatis exegerit et exigat juramenta, per que in Sedis Apostolice necnon posteritatis sue dispendium videtur prefata unio procurari; unde multi non immerito admirantur. Necessitatem vero Terre Sancte exaggeretis, sicut res ipsa deposcit; insinuantes regie celsitudini quomodo fiducia et spes illius negotii in eo post Deum quasi tota dependet, sicut per nuntios et litteras legati, prelatorum et baronum exercitus christiani evidenter apparet, et quomodo ipsum ita instanter ad coronam vocavimus specialiter hac de causa; et addatis quod nisi in instanti passagio exercitui christiano magnifice succurratur, est procul dubio formidandum ne predictum negotium Terre Sancte penitus dissolvatur. Quidquid autem super his poteritis intelligere, nobis curetis quam citius fideliter intimare.

Datum Laterani, IV idus novembris, pontificatus nostri anno V.

Fridericus, Romanorum rex, civibus Beneventanis tam ecclesiasticis quam laicis in perpetuum remittit dationes, terraticas et cujuslibet generis exactiones; sancit ut possessiones quae per

In castris ante Urbem, novembri.

cessationem solutionis dictarum dationum occupatae fuerint, eis restituantur, conceditque ut per dimidiam dietam in demanio suo pascua habeant et ligna cedua incidant.

(Inedit. ex cod. Bibl. reg. Paris. 5913 A, chartac. sine foliorum numeris, ubi varia de rebus Siculis continentur; inclus. in bulla Gregorii IX papae, data Reati, V kal. augusti, pontificatus anno octavo, sc. 1234.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Regalis excellentia majestatis tunc precipue fulget in gloria cum benemeritorum devotionem attendit et dignis retributionibus recompensat. Inde est quod nos attendentes devotionem quam vos Beneventani erga recolende memorie divos augustos parentes nostros et nos gessistis et geritis incessanter, de innata nostre liberalitatis habundantia confirmamus vobis et successoribus vestris in perpetuum privilegium ab eisdem augustis vobis indultum; per quod omnibus Beneventanis, videlicet ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, clericis, laicis et personis cujuscumque conditionis remittimus et in perpetuum condonamus omnes dationes que sub fidanciarum nomine continentur et terraticam et quicquid nomine terraticarum vel alterius cujuslibet exactionis posset a vobis exigi vel vobis imponi; ita ut nec ipse ecclesie nec monasteria, loca vel persone cujuscumque conditionis, successores vel heredes, seu homines quicumque a nobis vel heredibus et successoribus nostris vel a bajulis aut comitibus, baronibus seu militibus vel quibuscumque hominibus ullo unquam tempore [super] predicta omnia vel singula requirantur aut in predictis omnibus vel singulis in aliquo molestentur, sed omnia jamdicta loca vel persone aut successores et heredes ab hiis prestationibus predictis seu requisitionibus aut molestiis liberi permaneant et immunes (1). Ad ampliorem quoque civitatis Beneventane favorem san-

(1) Fridericus vero suum de hac exemptione privilegium non servasse videtur, dum papam paulo post ita scribentem inveniamus : « Frid. Romanorum imperatorem et Siciliae regem rogat ut faciat cessare suos balios ab exactione pedagiorum a civibus Beneventanis, cum ea civitas sit juris Romanae Ecclesiae. Datum Laterani, II idus maii, anno V (14 maii 1221). *Index epistol. Honor. III*, lib. V, n° 639.

cimus ut possessiones que per cessationem solutionis pretaxatarum prestationum seu dationum quocumque tempore fuerint vel sunt occupate, omni remoto excusationis vel occasionis impedimento, restituantur eisdem. Concedimus etiam omnibus supradictis locis et personis ut per dimidiam dietam in circuitu Beneventi in demanio nostro pascua habeant et cedua ligna incidant. Concessiones quoque de pascuis et de lignis ceduis quas quidam barones nostri predictis locis et personis fecerunt, eadem liberalitate et benivolentia ratas habemus et confirmamus, et si quando morte alicujus baronum ad nos devoluta fuerint, vobis similiter concedimus, sicut in privilegio a predictis augustis parentibus nostris vobis indulto plenius continetur. Vos autem predicti cives Beneventani nullum inimicum nostrum recipietis, qui nobis vel regno nostro debeat armis guerram facere vel nos instrumentis bellicis impugnare. Volumus igitur et firmiter injungimus quatenus nullus sit qui vos predictos Beneventanos et successores vestros contra hanc concessionem et confirmationem nostram de predictis omnibus impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium inde scribi et sigillo majestatis nostre duximus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in castris ante Urbem, anno dominice incarnationis millesimo CC° vicesimo, mense novembris, indictione nona, regnante domino Friderico secundo, Dei gratia illustrissimo Romanorum rege, semper augusto, et rege Sicilie, anno Romani regni ejus in Germania octavo, et in Sicilia vicesimo tercio, feliciter. Amen.

FINIS PARTIS PRIMAE.

ADDITAMENTA

AD PRIMAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE

QUIBUS ACCEDUNT SUSPECTA SEU SPURIA DOCUMENTA.

ADDITAMENTA

AD PRIMAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE.

Breve chronicon de rebus siculis a Roberti Guiscardi temporibus inde ad annum 1250, *fusius tamen res Friderici secundi complectens, ab auctore anonymo, sed coaetaneo descriptum.*

(Ineditum prorsus et magni pretii monumentum nunc primum typis mandamus, assensu doctissimi et liberalissimi viri J. F. Boehmeri, amici nostri, qui hoc chronicon cum aliis rebus historicis in codice Vaticano chartaceo 7145 (antea 7060) mense decembri 1849 reperit. Ex hujus codicis decimo septimo seculo exarati nota marginali constat chronicon hic in lucem editum ex archivii secreti codice antiquiore, n° 2532, f. 44, excerptum fuisse. Extat enim, sicut postea ipsi Boehmero innotuit, aliud ejusdem chronici exemplar vetustius, nempe seculo quarto decimo transcriptum, apud Vaticanam Bibliothecam, in codice Ottob. 2940, eodem forsitan qui supra, nisi quod numerus fuerit mutatus. Unde recentior amanuensis textum minus caute, praecipue quoad chronologicas notas et personarum locorumque nomina, rescripsit. Integrum exhibemus ex exemplari cujus egregio viro Scip. Volpicellae Neapolitano apographum ipse sua manu Boehmerus dedit, mense martio 1250. Unde chronicon de verbo ad verbum ab H. de Albertis de Luynes, hujus operis patrono, dum Neapoli hisce diebus maneret, accuratissime transumptum, edimus, additis quibusdam variantibus lectionibus et brevioribus ubi congruit notis.)

Robertus Guiscardus, qui regnum istud viriliter et potenter acquisivit, undecim habuit fratres, et ultimus eorum fuit Rogerius comes Sicilie, et de nemine aliorum heres superstes hodie apparet. Vixit autem ipse Robertus in dominio ducatus Apulie et Calabrie annis XXVII. Qui de prima uxore, que gallicana fuerat, recepit filium Boamundum nomine; de secunda vero, que Seligata vocabatur, et fuerat soror Gisol[fi] prin-

cipis Salernitani, genuit filium quem Rogerium nominavit, et in dominio successit. Et ipse Rogerius de uxore sua filium suscepit qui Guillelmus vocatus fuit et in dominio patri suo Rogerio successit et in iuvenilitate (*a*) sine herede decessit. Et sic tota terra eorum ad regem Rogerium Sicilie qui fuerat filius supradicti comitis Rogerii, devoluta est. Qui Rogerius miles strenuus et egregius fuit, et multa opera pietatis in regno suo exercuit. Qui duos filios habuit; primogenitum vocavit Rogerium, et secundum Guglielmum, et unicam filiam que Constancia vocata est. Qui Rogerius in iuvenili etate mortuus fuit et sine legitimo herede. Habuit tamen ex concubina [filium] (*b*) qui Tancredus vocatus fuit, et fuerat ipsa concubina filia comitis Licie. Guglielmus autem frater ejus vocabatur quasi homo inutilis, et sic proceres regni contra eum rebellaverunt. Qui accinctus potentia et fortitudine contra eos se viriliter opposuit, et obsedit eos in castro Butere quod situm est in Sicilia. Et motus pietate eos libere abire permisit. Quibus venientibus in Calabria[m] receptaverunt se in castro Taberne et contra eumdem regem rebellaverunt. Qui vero amictus fortitudinis (*sic*) eos similiter obsedit (1), et non valentes ei resistere se in manibus suis tradiderunt. Et licentiati quod de regno libere cum omnibus bonis suis egrederentur, cum venirent apud civitatem Bari in Apulia, cives Barenses eos receperunt et statim contra regem rebellaverunt. Et cum exercitu in manu forti et brachio extento venit, et civitatem potenter obsedit et cepit. Et iterum misericordia motus eos libere abire permisit. Et ipsi contulerunt se ad imperatorem Constantinopolitanum et alii ad imperatorem Federicum primum, qui in Lombardia tunc morabatur. Iterum autem cives Barenses, Tranenses et Sipontini contra eumdem regem rebellaverunt, et dederunt se imperatori Emanueli Constantinopolitano, qui tunc in ipso imperio regnabat, et misit eis navalem exercitum cum bellatoribus multis. Dominus

(*a*) Sic, rectius autem *juvenili etate* ut infra.
(*b*) *Filium* deest in codice.

(1) Non ante annum 1162, scilicet octo annis post primam Buterae expugnationem.

vero rex hec audiens cum valido exercitu venit et civitatem Bari obsedit, cepit et eam destruxit (1). Destruxit etiam Sipontum et habitatores ipsius collocari fecit in eo loco in quo modo est Manfredonia. Dirui etiam fecit muros Trani. Nam habitatores Trani et Siponti non redierunt ad loca propria, nisi post mortem imperatoris Henrici, quos revocari fecit domina Constancia imperatrix, uxor eius. Et per quadraginta annos [Barenses] exules extiterunt, faciens habitare eos extra sub vite et ficu sua, dimisso ob reverenciam beati Nicolai suburbio ut peregrini venientes ad orationem illius sancti, invenirent victui necessaria. Maiores itaque ipsorum Barensium transtulerunt se cum familiis suis ad dominum imperatorem Constantinopolitanum, qui dedit eis ad habitandum apud civitatem Spita (2). Qui rex Guglielmus postea regnum quiete et [2] pacifice possedit et duxit uxorem Margaritam filiam regis Portugallensis (3), ex qua suscepit filium quem nomine suo Guglielmum vocavit. Regnavit autem duodecim annis et mortuus est. Et dictus filius suus undecim annorum erat in morte patris.

Que regina Margarita habuit consilium cum quibusdam bonis prelatis regni, et dixit : *Consulatis mihi quod facere debeam cum puero filio nostro?* Qui respondentes, dixerunt : *Consulimus tibi bona fide et animo ut revoces omnes exules quos vir tuus exulavit et restituas unicuique ipsorum terram am, et sic filius tuus et tu pacifice et quiete regnum possidebis.* Et sic factum est. Et omnes singuli ad terram suam redierunt, et siluit omnis terra ab omni schismate et scandalo (4).

Qui Guglielmus, rex secundus a primo, prosper et quietus in regno suo, solo verbo terrebat exteros, sic et fama magnificus sublimabat

---

(1) Una tantum obsidio et expugnatio Barii, scilicet anno 1156 apud omnes auctores memoratur. Licet quamdam in ordine rerum confusionem animadvertamus, notandum tamen quod de longanimitate Guillelmi cognomine Mali anonymus quiddam novi afferat.

(2) Verisimiliter *Sphetia* seu *Sfetigrado* in Albania, Dyrrachium inter et Croiam. Cf. Ortelius et Lamartinière, ad haec nomina.

(3) Filiam Garciae Navarrae regis, sicut testatur Romualdus Salernitanus, coaevus scriptor.

(4) His omnino convenit quid postea Innocentius III Friderico II tunc in aetate minori constituto scripserit. Cf. supra, p. 82.

alumno[s]. Unde Ezechiel propheta dixit : *Tu Cherubim extentus et protegens, in deliciis paradisi Dei fuisti; omnis lapis preciosus operimentum tuum* (1). Cherubim fuit in sapientia, extentus fama, deliciosus abundantia, pretiosus in gloria. Qui vixit in Domino annis viginti (*a*) quinque, et mortuus fuit sine liberis. Qui habuit in uxorem Joannam filiam regis Henrici Anglie. Verumtamen in vita sua tres exercitus navales misit. Primum in Alexandriam, qui post moram septem dierum cum in terram descendissent, cum rubore ad vasa se receperunt, et sine gloria ad propria redierunt. Secundum exercitum ad Maioricam que est in partibus Hispanie misit, quia rex Saracenus qui erat dominus ipsius insule ad eundem regem recursum habuerat, conquerens se exclusum a subiectis suis. Qui dedit eis (*sic*) quadraginta galeas armatas, et cum venissent ad littora terre regis Aragonum, omnes passi sunt naufragium. Tertium vero misit contra imperatorem Emanuelem Constantinopolitanum (2), quia idem imperator noluit sibi dare in uxorem filiam suam, quam ab eo ipse Guillielmus petierat, et quicquam contra ipsum non profecerunt.

Perdito itaque regno Jerosolimitano quod Saladinus rex Egypti et Damasci occupaverat, solo Tyro in dominio christianorum remanente, in quo Conradus marchio Montisferrati qui causa peregrinationis tunc ad partes illas se contulit sub periculo, ad tueamentum (*sic*) Tyrensium se recepit et viriliter et potenter eam defendit. Auditoque namque sinistro infortunio quod acciderat regno Hierosolymitano, idem rex Guillelmus misit ducentos milites bene armatos apud terram et magnam quantitatem victualium his que (*b*) reduxerant in Tyro et multas galeas armatas, quia tunc Saladinus obsederat civitatem Tripolis (3). Que galee venientes ad

(*a*) Legendum autem *triginta*.

(*b*) Verisimiliter *his qui se*.

---

(1) Cf. Ezechiel, XXVIII, 13-14.

(2) Rectius contra Andronicum et multis elapsis annis postquam Emanuel sponsam mittere neglexisset.

(3) Anno 1188. Cf. Michaud, *Hist. des crois.*, t. II, p. 340, ex Sicardi Cremonensis testimonio.

portum ipsius Tripolis, Saladinus statim solvit obsidionem et recessit dicens : *Iste sunt galee illius qui est leo marinus et nullus contra eum in mari resistere potest.*

Mortuus autem est predictus rex Guillielmus anno incarnationis dominice M. C. LXXXV, indictionis tercie (1), nullis liberis derelictis. Et ideo successit sibi regina Constancia que fuerat monialis, et de mandato Ecclesie Romane absoluta ab observantia religionis (2); copulata fuit matrimonialiter imperatori Henrico, de quo suscepit filium nomine Fridericum, qui natus est anno eiusdem incarnationis M. C. LXXXIX, indictionis tercie (3), die beati Stephani.

Regina vero Constancia que jam erat tradita in matrimonium [5] imperatori Henrico filio imperatoris primi Friderici, regnum Sicilie ad quam venire respectabat (*a*) habere non poterat, quia Tancredus filius naturalis supradicti Rugerii iam cum consensu et voluntate comitum et baronum ipsius regni, ipsum occupaverat. Qui regnavit annis quinque. Et eo mortuo, venit imperator Henricus anno dominice incarnationis M. C. XXIII [1194] cum valido exercitu, ducens secum dominam Constanciam uxorem suam. Cum venissent ad Marchiam Anconitanam in civitate Esi, peperit ibi filium suum in die festivitatis sancti Stephani. Et ea ibidem cum puero remanente, imperator potenter regnum intravit et obtinuit. Et cepit Guillelmum filium dicti Tancredi, matrem et tres sorores suas et alios undecim nobiles regni et eos captivos duxit in Germaniam. Quos omnes homines preter mulieres obtenebravit lumine et in carcere retinuit. Qui imperator revolutis quatuor annis post regni obtentum, apud Messanam mortuus fuit.

Relicta itaque domina Constancia omnes milites Theutonicos, quos secum vir suus habuerat in Sicilia, remuneravit muneribus et in Theu-

(*a*) Locus mutilus. Forsitan *vere res spectabat.*

(1) Ann. 1189, 16 novemb., indictione graeca 8.

(2) Res adhuc valde dubia. Hoc vero testimonium fere coaetaneum quodam pretio valere non diffitemur.

(3) Ann. 1194, indictione 13.

toniam ad dominum Philippum fratrem ipsius imperatoris remisit. Qui dominus Philippus ad petitionem domini Innocentii pape tercii omnes nobiles Apulie, qui in Alemannia erant obtenebrati cum mulieribus supradictis liberavit, et ad propria redierunt. Puer autem parvus Fridericus qui erat sub tutela et nutritura uxoris Conradi ducis Spoletani in civitate Fuligni, ad requisitionem matris, comes Petrus de Celano misit eundem per comitem Berardum de Laurito, consobrinum suum, ad matrem suam (1). Quo veniente in festivitate Pentecostes (2) in ecclesia Panormitana unctus fuit in regem anno Domini M. C. XCVII [1198, maii 17] qui tunc quinquennis erat. Et in sequenti festivitate sancti Andree [nov. 27] ipsa domina Constancia ibidem mortua fuit, relinquens eundem puerum sub tutela predicti domini Innocentii summi pontificis et Ecclesie Romane, et custodie ipsius dimisit dominum Mattheum Capuanum (*a*) et dominum Gualterium episcopum Troianum et regni Sicilie cancellarium. Et infra spacium modici temporis ipsi duo Panormitanus et Capuanus ibidem in Panormo defuncti sunt, et remansit solus dominus Gualterius qui curam ipsius pueri prudenter et feliciter egit. Et nobiles regni qui remanserant, fere totum regnum ad opus suum occupabant et necem ipsius pueri intendebant, ut adimpleretur illud Merlini Britannici, dicentis : *Erit inter capram laniandus et non absorbendus.* Multitudo etiam Saracenorum qui tunc erant in Sicilia contra ipsum rebellaverunt. Et ad tantam devenerunt (*b*) inopiam quod vix haberet quid comederet. Marcwaldus (*c*) vero Theutonicus qui per Henricum imperatorem factus fuerat marchio Anconitanus et comes Romaniole, audita morte domine imperatricis Constancie, cum terrestri exercitu regium (*d*) intravit, et totam terram usque Salernum occupans cum navali exercitu ab

(*a*) Supplendum [dominum Bartholomeum Panormitanum].
(*b*) Sic; rectius *redegerunt*.
(*c*) In codice *Marcpaldus*.
(*d*) Legendum *regnum*.

---

(1) Cf. supra p. 4 et not. 2.
(2) Nota chronologica usque dum incognita.

ipso S[alerno] (*a*) exivit, ferens se usque Trapanum. Qui tam a christianis quam a Saracenis pro maiore parte receptus fuit, dicens se tutorem esse pueri auctoritate patris. Et cum exercitu suo usque Panormum properavit. Cui dominus Troianus episcopus et cancellarius viriliter et potenter cum exercitu occurrit. Et cum ipso prelio commisso in terram [*4*] Montisregalis, ipse marchio fugatus fuit. Et nihilominus preter civitatem Panormitanam, omnia loca Sicilie obtinuit. Contra quem eciam dominus cancellarius processit, et cum eodem prelio commisso in territorio terre Rendacii, similiter idem marchio in campestri bello devictus fuit (1). Et nihilominus omnes Siculi a sua fidelitate non discedebant. Et cum venisset ad civitatem Pactensem, ut Messanam civitatem reciperet ad quam a civibus vocabatur (2), in dicta Pactensi civitate mortuus est [1202 sept.]; et tunc pro maiori parte cancellarius totam Siciliam recuperavit. Processu vero temporis, procurante eodem Troiano episcopo et cancellario, duxit uxorem dominam Constanciam filiam regis Aragonum, que fuerat uxor quondam regis Ungarie. Quam duxit in Siciliam cum navali exercitu frater suus comes Provincie anno dominice incarnationis M. CC. IX, mense augusti (3). Qui post modicum tempus idem comes in Panormo mortuus fuit et maior pars militum qui cum ipso venerant. Et secundo anno desponsationis ipsius domine, filium recepit a viro suo qui vocatus fuit Henricus (4). Que malo consilio ducta una cum viro eundem cancellarium qui iam factus fuerat episcopus Cathaniensis, a curia eorum excluserunt (5). Tertio vero anno (*b*) post adventum ipsius domine, dominus Innocentius coronavit in imperatorem dominum Ottonem qui

(*a*) In codice sola littera *S* exaratur.
(*b*] Potius tamen legendum videtur *mense.*

---

(1) Res usque dum incognita.
(2) Cf. p. 92, not. 1; — p. 100, not. 1.
(3) Cf. supra p. 145 et not. 1. Mensis vero quo matrimonium celebratum fuerit non adhuc bene constat.
(4) Scilicet circa initium anni 1211. Cf. tamen p. 200, not. 1.
(5) De hoc facto agit Innocentius papa in epistola ad Fridericum data Laterani 25 jun. 1210. Vid. supra, p. 170.

fuerat ex gente ducum Saxonie [1209 oct. 4]. Qui in ipsa coronatione iuravit eidem domino pape ut aliquo modo regnum Sicilie non intraret. Et cum rediret, et esset in civitate Orte, ad instantiam et invocationem quorundam magnorum regni, regnum intravit, et usque Calabriam terram obtinuit. Interim tamen idem dominus Innocentius papa eundem excommunicavit [1210 nov. 18], et scripsit principibus Theutonie, tam laicis quam clericis, ut omnes contra ipsum rebellarent. Et hoc audito ipse dominus Otto mense septembris (*a*), indictionis [quinte decime (*b*)] [1211] post coronam acceptam in Theotoniam rediit.

Et interim quidam nobiles ipsius Theotonie ad eundem Fridericum venere exponentes quod unanimi voluntate ipsum in imperatorem eligere volebant. Qui cum sex galeis iter marinum arripuit et divertit Rome ad eundem dominum papam [1212 apr.]. Et ipse animavit et confortavit eum ad eundum. Qui veniens in civitatem Janue, et abinde desperate fortune se committens, Lombardiam intravit. Que tota ipsa Lombardia preter Cremam et marchionem Montisferrati cum domino Ottone corde et animo erat. Et inde transgrediens sicut melius potuit, Theotoniam pervenit et coram facie sua Otto fugiebat, et ad ultimum recepit se in Brunswic civitate ubi ab eodem puero cum aliis principibus obsessus fuit. Et non post multum temporis ibidem obiit [1218 maii 19]. Et sic plenum dominium idem puer totius Alemannie obtinuit.

Anno itaque dominice incarnationis M. CC. XIIII, mense novembris, IIII indictione [1215 nov. 10], residente Innocentio papa tercio, synodum celebravit apud Lateranum, in qua fuit innumerabilis multitudo prelatorum. Ubi tractatum fuit de Terre Sancte recuperatione. Et eadem synodo facta, idem Fridericus misit Berardum de Castaca archiepiscopum Panormitanum et quemdam magnum virum Theotonicum qui comes Albertus vocabatur (1) qui uxori sue propinquitate carnis attinebat, ut eamdem in Alamanniam duceret. Que domina mense iunii eiusdem in-

(*a*) Rectius *novembris.*
(*b*) Deest in codice.

(1) De hujus viri nulla in instrumentis mentio habetur. Forsitan *comes Albertus de Eberstein.*

dictionis (2) [1216] cum sex galeis a Messana usque [5] ad Sanctam Eufemiam cum filio suo, qui tunc quinquennis erat et supradicto archiepiscopo et comite pervenit. Et abinde per terram ivit et filius cum galeis usque ad Januam (1). Nam cum ipsa esset in Lombardia, misit pro filio suo, ut ad se veniret. Et sic insimul in Theotoniam profecti sunt ad virum et patrem suum. Et ibidem per septem annos et amplius moram trahens, dimisso ibidem loco sui ipso puero, a domino Honorio papa ad coronationem vocatus est.

Anno dominice incarnationis M.CC.XXI, mense novembris, indictionis none [1220 nov. 22], papa Honorius coronavit apud Sanctum Petrum imperatorem Fridericum filium Henrici et imperatricis Constancie, quem proditores regni Sicilie expulerant et successerat in Alamannia. Quem Theotonici receperunt et honoraverunt tanquam dominum suum. Cum quo coronata fuit domina uxor eius Constancia filia regis Aragonum. Et receptis coronis, statim intraverunt regnum Sicilie ubi multos invenerunt rebelles qui nolebant se submittere imperatori. Quos omnes gratia Dei cito superavit et deinceps, exceptis quibusdam munitionibus Sarracenorum Sicilie que erant in arridis (*a*) montibus posite, que omnino erant inexpugnabiles et nemo ad eas accessus habere poterat. Et anno incarnationis M. CC. XX de mense augusti (2), VIII indictionis, celebrata fuit curia Capuana.

Anno dominice incarnationis M. CC. XXI, in mense augusti, none indictionis, exigentibus peccatis Christianorum in Egypto, non imminente aliqua pugna, a Sarracenis capti fuerunt omnes exceptis illis qui in Damiata remanserant; pro quorum liberatione civitas ipsa, videlicet Damiata restituta fuit Sarracenis eodem mense (3).

(*a*) Sic. Verisimiliter *aridis* sive *horridis*.

---

(1) Paulo tamen posterius Constanciam profectam esse credimus. Cf. p. 468, et 470, not. 1.

(2) Res omnino dubia, quum terrenam viam fuerit Henricus prosecutus. Vid. supra p. 483, et 484, not. 1.

(3) *Decembris* potius dicendum erat, sicut in secundo *Historiae diplomaticae* volumine clarius videre erit.

(4) Praecise 8 septembris.

Anno eiusdem incarnationis M. CC. XXI, indictionis decime, mense decembris, dominus Nicolaus (1) missus a Honorio venit ad imperatorem in Sicilia. Et statim idem imperator iter arripuit et ivit ad eundem papam eum eodem episcopo. Ac in reversione sua idem episcopus consecravit ecclesiam Cusentinam, residente in ea Luca archiepiscopo, in cuius etiam consecratione imperator interfuit (2).

Anno dominice incarnationis M. CC. XXII, mense aprilis, decime indictionis, supradictus papa Honorius et cardinales habuerunt colloquium apud Verulam civitatem Campanie cum eodem imperatore, ubi multa tractata sunt de recuperanda Terra Sancta.

Anno dominice incarnationis M. CC. XXII, mense octobris sive novembris, none (*a*) indictionis, Pelagius episcopus Albanensis legatus Ecclesie Romane et rex Johannes rex Ierosolymitanus et magnus magister hospitalis, qui capti fuerunt in Egypto, insimul applicuerunt Brundusium. Ubi imperator qui tunc venerat a Sicilia obviavit eis et eos devote recepit. Et inde euntes venerunt et habuerunt colloquium cum papa Honorio apud Ferentinum (*b*) civitatem Campanie [1223 mart.], ubi tractatum fuit. Et imperator duxit uxorem filiam dicti regis Johannis. Nam imperatrix Constancia uxor eius, jubente Domino, mense iunii, decime indictionis [1222 iun. 23] hac luce subtracta est apud Cathaniam civitatem Sicilie, et Panormo sepulta.

Anno dominice incarnationis M. CC. XXV, mense augusti (*c*), decimetercie indictionis, Fredericus imperator habuit colloquium apud Sanctum Germanum cum Pelagio episcopo Albanense et Gualo cardinalibus. Ubi iuravit ut in futuro mense augusti indictionis decime quinte debebat ad transmarinas partes transire. Eodem mense videlicet augusti, decime tercie indictionis [*6*] et eiusdem incarnationis, idem imperator misit Lan-

(*a*) Forsitan *nove*. Nempe si graeca sit, *undecime* legendum.
(*b*) In codice *Florentiam*, male.
(*c*) Rectius *julii*.

(1) Erat Nicolaus episcopus Tusculanus. Cf. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1221, § 18.
(2) Scilicet 30 januarii 1222.

dum Rheginum archiepiscopum et Jacobum Pactensem episcopum (1) et Her. (2) Melfienum episcopum et comitem Henricum de Malta cum viginti galeis ad transmarinas partes ut conducerent filiam regis Johannis regni Ierosolymitani, quam duxerat in uxorem (3). Cum eadem puella mense octobris, decime quarte indictionis, ad portum Brundusii regressi sunt. De mense novembris eiusdem indictionis eam apud eandem civitatem desponsavit. In anno incarnationis M. CC. XXV, indictionis decime tercie, Fredericus coronatus fuit in regem Hierusalem.

Anno dominice incarnationis M. CC. XXVI, mense aprilis, decime quarte indictionis, dominus imperator intravit Lombardiam cum parvo exercitu. Ubi disposuerat habere colloquium cum filio suo Henrico et aliis principibus super recuperatione Terre Sancte. Et quedam civitates Lombardie que non fuerant fideles apparuerunt (*a*), et non permiserunt transire filium et alios Theotonicos ad imperatorem. Et sic imperator ad regnum Sicilie regressus mense augusti eiusdem indictionis. Et mense ianuarii decime quinte indictionis una cum uxore sua transivit per Calabriam in Siciliam.

Anno dominice incarnationis M. CC. XXVII, mense septembris, prime indictionis, dominus imperator magnum fecit apparatum et voluit ransfretare cum exercitu christianorum qui tunc temporis convenerat de universis mundi partibus in Brundusio. Et superveniente infirmitate transire non potuit. Nihilominus tamen non tardavit mittere exercitum cum patriarcha Hierosolymitano, qui Ecclesie Romane legatus ad partes Syrie festinabat. Et ipse apud Hydruntem civitatem Apulie infirmus remansit, et sequente mense novembris eiusdem indictionis papa Gregorius qui successerat Honorio, congregatis omnibus prelatis Italie (4), in octava

(*a*) Legendum vero *se opposuerunt.*

---

(1) Mox archiepiscopum Capuanum, a papa Honorio nominatum.

(2) Nomen mutilum. Legendum autem *Richerum.*

(3) Cf. fragmentum codicis Gallici 8316 in Bibl. reg. Paris., quod inter additamenta tomi secundi dabimus.

(4) In hoc omnino concordat cum Riccardo de Sancto Germano, ad ann. 1227.

Sancti Martini supradicti mensis, apud Romam in ecclesia Sancti Petri excommunicavit Fredericum imperatorem, eo quod non transierat in termino constituto. Exercitus autem christianorum qui transierat in eodem passagio ad partes Syrie edificavit castrum Sydonie et Cesarie.

Anno Domini M. CC. XXVIII, mense aprilis prime indictionis, imperatrix Elisabeth uxor Friderici imperatoris, filia regis Joannis, apud Andriam civitatem Apulie XXVI predicti mensis aprilis (1) peperit filium quem conceperat ex viro suo imperatore Friderico. Quem dominus imperator pater suus, statim ut audivit eius nativitatem apud Troyam civitatem Apulie, ubi tunc erat, imposuit ei nomen Conradus. Mater autem sua decimo die postquam peperit eum, apud civitatem eamdem (2) migravit apud Deum. In cuius obitu interfuerunt omnes prelati regni Sicilie, qui convenerunt ad generalem curiam Baroli quam idem imperator ordinavit apud eamdem terram. In qua multa disposuit de regno suo Sicilie, eo quod ipse transire volebat ad partes Syrie ut redimeret votum suum. In sequenti vero mense iunii huius supradicte incarnationis et indictionis, dominus imperator, assumptis quibusdam fidelibus regni Sicilie, cum quadraginta galeis in vigilia Sancti Petri supradicti mensis iunii [iun. 28] exivit de portu Brundusii. Et sequenti die in festo eiusdem sancti [iun 29] applicuit Hydruntum civitatem Apulie. Deinde eo sero exeuntes de Hydronto sequenti die [iun. 30] venimus ad insulam Romanie que dicitur Atthanos (3). Et exinde navigantes [7] altera die [iul. 1] circa horam sextam venimus ad insulam et castrum quod dicitur Corfu. Ubi morati usque ad sero navigaverunt inde. Et sequenti die [iul. 2] post solis occasum venimus ad Portum Guiscardum (4). Ubi quiescentes illa nocte, altera die [iul. 3] circa horam sextam applicuimus ad insulam Cefalonie, in qua erat comes dominus Madius qui erat Apulus. Ubi omnia necessaria

---

(1) Dies usque nunc incognitus.

(2) Scilicet apud Andriam, 6 maii.

(3) Verisimiliter *Othronos* seu *Othronus*, antiquum nomen hujus insulae desertae, quae nunc *Fanu* nominatur, quindecim circiter millibus a Corcyra distantis. Cf. Ortelius, *Thes. Geogr.* ad verbum.

(4) Hodie quoque *Porto Guiscardo* in littore Cephaloniae insulae, versus septentrionem.

parata invenimus, eodem ministrante comite. Circa autem solis occasum et exinde recedentes, et fluctibus maris intumescentibus, sequenti die [iul. 4] circa horam nonam venimus Methonam (1). Et ibi quiescentes usque mane, deinde circa ortum solis [iul. 5] recedentes, eo sero venimus ad portum Qualearum (2). Et ibi quiescentes per totam noctem, in mane [iul. 6] inde exeuntes et eodem sero venimus ad insulam Cedrei (3). Ubi morantes usque ad auroram sequentis diei [iul. 7] exivimus inde, et navigavimus versus Cereys (4), et circa horam vespertinam vel serotinam applicuimus ad eandem insulam ad locum qui dicitur Disuda (5). Ubi morati fuimus per totam noctem, et sequenti die, videlicet VIII iulii eiusdem indictionis. Deinde X huius mensis cepimus navigare circa litus ipsius insule. Et XI ipsius circa horam terciam venimus ad quandam civitatem ipsius insule que dicitur Candida, subtus quam descendimus, et fuimus ibi per totam diem illam et noctem. Sequenti vero die, videlicet XII huius mensis iulii, exivimus de Cereo et intravimus pelagum. Et XIII sequenti huius mensis iulii venimus ad insulam Rodii et fatigati aliquantulum requievimus illic per totam noctem huius XIV diei. Et navigantes inde eo die videlicet XIV huius mensis iulii, venimus ad ipsam civitatem que dicitur Rhodus circa horam nonam. Et non descendentes ibi, tamen mansimus in portu per totam diem illam et noctem. Et in mane [iul. 15] recedentes exivimus circa litus Licie provincie. Sero venimus apud Pateram civitatem in qua natus fuit confessor Domini Nicolaus. Et requievimus ibi per totam noctem. Et in mane [iul. 16] recessimus inde, circa horam terciam vidimus Hyram (*a*) civitatem in qua beatus Nicolaus divinis claruit

(*a*) Legendum *Myram* vel *Myrrheam civitatem.* Cf. Rich. Senon. ap. Martene, lib. II, cap. 23.

---

(1) Scilicet *Modon.*

(2) Scilicet *Portocaglie* in regione dicta *Brazzo di Maina,* septem leucis a Matapano promontorio.

(3) Evidenter *Cerigo.*

(4) Vox pene illegibilis; evidenter *Creta.* Nusquam tamen alibi hoc nomen invenimus, nisi sit *Curetis,* quod extat apud Plinium, lib. IV, c. 12.

(5) Seu rectius *Suda* in Creta insula, ab Italis *porto di Suda.*

miraculis, et epicopus fuit. Et post horam nonam ipsius diei venimus ad portum de Phimea(1) ubi invenimus aquas frigidissimas ad abundantiam de magnis fluctibus emanantes. Et ibi morantes die illa et altera [iul. 16-17], aliquantulum recreata sunt ibi corpora nostra. Ac deinde XXIII (*a*) dicti mensis iulii post solis ortum cepimus navigare versus insulam Cypri. Et intrantes pelagum XX ipsius mensis, pervenimus ad aliam insulam. Et sequenti die intravimus Sinnocium (*b*) civitatem ipsius insule. Et post secundum vel tercium diem Henricus rex ipsius insule cum omnibus militibus suis venit ad imperatorem apud Nimocium. Nam ex parte imperii cuius homo esse debebat et ei de homagio tenebatur. Verum cum ipse rex esset pupillus, quidam de terra sua consumpsera[n]t omnia bona sua. Qua de causa imperator requisivit eos ut facerent rationem de terra regis. Ipsi vero timentes quod non possent sibi plene reddere rationem, quinto vel sexto die in nocte dimissis ibi tentoriis et rebus suis, clam nobis nescientibus recesserunt. Et iverunt apud Nicosiam civitatem ipsius insule et ceperunt munire tria castra que sunt in eadem insula, dicentes : *Facies nostra de cetero non videbit faciem imperatoris*. Imperator autem cum hoc vidisset moratus fuit apud Nimotium usque in XVII diem sequentis mensis augusti prime indictionis. Deinde equitavimus versus Nicosiam predictam. Ubi occurrit nobis princeps Antiochenus, et morantibus ibi aliquantis diebus, illi qui rebellaverant descenderunt omnes ad pedes imperatoris. Ordinato itaque regno illo et accepto ab omnibus fidelitatis juramento, secundo die mensis septembris, secunde indictionis, arripuimus iter versus Syriam. Et eo die venimus ad Famagustam civitatem. Et sequenti die intravimus galeas et incepimus navigare versus Syriam. Et quinto ipsius mensis applicavimus Betthoron. Et descendentes Beriti et Sidonee et Sarepte Septime (*c*), et per portum ante auroram venimus Tyrum. Et ibi non

(*a*) Legendum autem *XVIII*.
(*b*) Evidenter legendum *Nimocium* sicut infra : scilicet *Limisso* seu *Limassol*.
(*c*) Forsitan *Sidonie*. *Sareptam Sidoniorum* dicit Albertus Aquensis, XI, 45.

(1) Sic, sed legendum *Phinicha*, Lyciae oppidulum Pateram inter et Sataliam. Cf. Lamartinière, *Dict. Geograph.*, ad hoc nomen.

moram facientes, eo die applicuimus Accon. Ubi invenimus exercitum christianorum, qui edificaverant castrum Sidonee et Cesarie. Descendentibus autem nobis ibidem, cepit imperator tractare quo ire deberet cum exercitu. Interea soldanus Babylonie qui de Egypto venerat in Syriam et morabatur apud Sichen, que nunc dicitur Neapolis, misit quemdam ammiratum magnum in Accon cum magno exenio ad imperatorem, et per eumdem nuncium promisit sibi restituere terram sanctam Jerusalem cum omnibus pertinentiis ipsius regni, que omnia captiva detinebat nepos ipsius. Imperator itaque remisit eumdem nuncium et cum eo misit nuncios suos, per quos destinavit eidem soldano exenia magna. Interea preparavit se imperator et equitavit cum exercitu ad reedificandam Joppen. Et XVI novembris ejusdem secunde indictionis, imperator cum exercitu applicuit Joppen, et cepit reedificare viriliter castrum ipsum. Et discurrentibus hinc inde nunciis qui concordiam inter eos tractabant, mense martii [1229] ipsa concordia ad effectum deducta est, adeo quod soldanus ipse pacifice et quiete restituit sibi civitatem Jerusalem et aliquam partem ipsius regni. XVII[I] vero die ipsius mensis martii, in illa die dominica qua cantabatur : *Letare Jerusalem in Domino, festum agite omnes qui diligitis eum!* hoc factum fuit : ipse imperator cum omni exercitu christianorum civitatem ipsam gaudentes intravenerunt. Et qui scripsit personaliter interfuit, et a veritatis tramite non discordat, cum oculis suis viderit et de causa certe sciencie testimonium perhibeat. Quantum enim in historiis legitur, a tempore Heradii (*a*) et Conradi imperatorum nullus imperator civitatem ipsam intravit nisi ipse Fridericus, quam Christiani pacifice et quiete possederunt quousque Crosminii supradicti (1) ipsam occupaverunt. Nunc autem in anno M. CC. LXXII veniet in medium angelus septimus tuba canens et dicat : *Jerusalem, surge et sta in excelso, et vide iocunditatem que veniet tibi per Dominum Deum tuum ab oriente, et*

(*a*) Verisimiliter *Heraclii.*

---

(1) Nusquam tamen usque nunc de Chorosminiis mentio fuit, qui non ante annum 1243 Terram Sanctam invaserunt.

noli flere quia cito veniet salus tua. Leva igitur in circuitu oculos tuos, et vide exercitum orientalium christianorum qui congregabitur ad revelationem (sic) *et gaudium tui. Inundatio enim camelorum ipsorum orientalium operiet terram, dromadarii Madian et Epha onusti apparebunt, aurum et thus deferent, ut tuam edificent ruinam* (1).

Ipse itaque imperator Fridericus, mense aprilis supradicte indictionis, reversus est in Acconensem civitatem [*9*], ubi audivit quod papalis exercitus intraverat regnum Sicilie et usque Capuam totam terram occupaverat. Ipsam vero civitatem Capuanam obtinere non potuerat, sed conversi obsederunt castrum Cayatie, quod ibi prope est, et a kalendis iunii ipsius indictionis obsidionem ipsam ibidem firmaverunt. Erat enim ibi cum imperatore magnus exercitus militum Theotonicorum, qui milites satis ab ipso imperatore rogati fuerunt ut cum ipso in regnum Sicilie venirent; qui nullatenus id sibi concedere voluerunt. Et conductis navibus usque ad Venetiam navigare disponebant, et abinde in terram suam proficisci. Nam cum navigare cepissent, occurrit eis ventus contrarius, qui contra voluntatem navigantium in ipsis ad portum Brundusii applicuerunt. Imperator autem supradictus, primo madii supradicte indictionis, cum septem galeis armatis, quas comes Henricus de Malta illis diebus de partibus regni Sicilie secum duxerat, mare intravit, et X junii ad portum Brundusii applicuit. Et deinde copiosum exercitum tam de regnicolis quam de Theotonicis congregare cepit, et ultimo augusti de terra Baroli recessit. Et cum vellet intrare Fogiam, ipsa Fogia cum Troya et Casali Novo et Sancto Severo cum terra Civitatis, statim contra ipsum rebellaverunt et nec ipsum nec suos voluerunt recipere nec forum rerum comestibilium sibi facere voluere. Et VIII septembris sequentis tercie indictio-

---

(1) Cf. Isaiam, LX, 1-6. Non dubitandum est quin scriptor Tartaris alludat, qui circa ann. 1272 christianorum foedus contra Sarracenos requirebant. Vid. praecipue Raynaldi, *Annal. eccles.*, ad ann. 1274, § 1 et seqq. In quarta secundi concilii Lugdunensis sessione, regis Abaghae nuntii unda baptismali renati sunt. « Si la fortune avait favorisé les armes des Tartares, on doit croire qu'ils auraient plus tard embrassé la foi du Christ; et dès lors l'Orient aurait tout à fait changé de face. » Michaud, *Hist. des crois.*, t. V, p. 110.

nis, ad civitatem Capuanam venit. Et hoc audito dominus Pelagius cardinalis qui legatus erat in papali exercitu cum rege Johanne Hierosolymitano qui ipsi exercitui prefuerat, soluta ipsa obsidione Cayatie, statim recesserunt, et ad terram Tyani se contulerunt. Imperator vero cum omni exercitu suo apud terram Calvi se contulit. Et illic audito adventu suo, statim de terra Tyani recedentes in Campaniam se contulerunt. Verumtamen dominus Pelagius supradictus cum aliquibus militibus in Monte Casini remansit. Et imperator totam terram usque Ceperanum recuperavit, excepta civitate Sora que se sibi submittere noluit. Que vi capta fuit et igne combusta; castrum vero ipsius terre habere non potuit. Et hoc totum factum fuit per totum mensem novembris eiusdem tercie indictionis. Volens itaque imperator hyemis asperitatem vitare, totum exercitum Theotonicorum licentiavit et muneribus honoravit, et ipse cum familia sua in Apuliam rediit. Et fecit destrui muros Troye et fossata supradictarum terrarum Capitanate, et ab eis innumeros obsides recepit pro rebellatione quam in faciem suam exercuerant.

Superveniente vero mense martii [1230], patriarcha Aquileiensis et archiepiscopus Salzeburgensis cum episcopo Ratisbonensi, qui postea factus fuit imperii cancellarius, et dux Austrie cum duce Meranie (*a*) et duce Carinthie pro tractanda pace inter apostolicam ecclesiam et imperatorem venerunt. Et Deo collaborante et ipsis laborantibus, mense augusti eiusdem indictionis, pax ipsa apud Ceperanum completa fuit, domino papa Gregorio cum omnibus cardinalibus suis in civitate Anagnie existentibus. Interim cum (*b*) dux Austrie catholicus christianus apud Sanctum Germanum anno Domini M. CC. XXX et decimo anno imperatoris Frederici, die dominice XXIX (*c*) mensis [iulii] ejusdem tercie indictionis vitam [10] finivit, qui in Monte Casino sepulturam recepit. Nam dominus imperator cum modica familia sua in principio mensis septembris ad supradictum dominum papam Gregorium in ipsam civitatem Anagnie se contulit et insimul comedere, et post quatuor dies cum sua benedictione

(*a*) In codice *Moravie*, false.
(*b*) Verisimiliter *autem*.
(*c*) Rectius tamen *XXVIII*.

recessit et in Apuliam reversus fuit. Et tunc edidit constitutiones suas que hodie in regno habentur.

Revoluto itaque anno, misit dominum Riccardum Fila[n]gerium mareschallum suum cum exercitu militum regnicolarum ad insulam Cypri [1231 aug.]. Non valentes ibidem descendere quia dominus Joannes de Berito cum militia magna eis se opposuit, qui navigantes versus Syriam apud Beritum in terram ipsius domini Joannis descenderunt, et habita civitate castrum ipsius terre habere non potuerunt, quia munitum erat defensoribus et aliis rebus necessariis. Vertente autem mense madii ipsius anni [1232], ipse dominus Joannes de Berito de partibus Cypri cum militia sua ad civitatem Acconensem navigavit, cui adjuncti sunt omnes Acconenses. Et congregato exercitu obsidionem Beriti solverunt. Ipse vero dominus Riccardus, assumptis galeis et navibus quas secum habebat, ad insulam Cypri que defensoribus evacuata erat cum exercitu suo se contulit et ipsam pro sue voluntatis arbitrio totam obtinuit. Postmodum namque supradictus dominus Joannes de Berito, collecto exercitu transmarino, cum navibus Januensium (1) ad partes Cypri profectus est, et prope civitatem Nicosie ambo cum exercitu eorum pugnaverunt. Et devictus est dominus Riccardus cum exercitu suo, ubi bene quadringenti milites capti atque occisi fuerunt. Et idem dominus Riccardus per fugam cum aliquantis militibus evaserunt et recursum habuerunt ad galeas quas in vicino mari habeba[n]t. Et cum ipsis se contulerunt apud Tyrum quam dominus Riccardus pro parte domini imperatoris munitam tenebat.

Anno dominice incarnationis M. CCC. XXII [1232] indictionis sexte (*a*), mense iulii aliqui Syculi cives Messanenses pro nihilo et sine causa contra imperatorem nisi sunt rebellare. Ad quam civitatem sequente

(*a*) Rectius *quinte*. Cf. Ricc. de S. Germ., ad ann.

---

(1) Adsunt duo pacta hujus temporis Cypriensium cum Januensibus, unum pro commercio: dat. Famagustae, ann. inc. Dom. 1232, 10 junii, indict. 4 (*sic*); alterum pro foedere tam ad offensam quam ad defensam : dat. Nicosiae, ann. inc. Dom. 1233, 2 decemb., indict. 6, ap. MASLATRIE, *Hist. de l'île de Chypre*, t. II, docum. et mémoir., p. 51 et seqq.

mense madii [1233] imperator cum familia sua accessit, et omnes eos tam majores quam minores in majori ecclesia Messanensi assecuravit et omnes offensas quas fecerunt totaliter remisit. Et aliquibus revolutis diebus, non sequens mores et vestigia magnorum principum quorum verba retrorsum non habent, quosdam ipsorum turpi morti tradidit, quosdam incarceravit; et alii per fugam evaserunt. Et illud idem fecit in quibusdam aliis terris Sicilie, destruens totaliter terram Centurbii et Trayne et montis Albani et cuiusdam alterius terre que (*sic*) modo memoria non existit. Vertente itaque alio mense maii (*a*), videlicet none (*b*) indictionis, ad partes Apulie rediit et abinde iter arripuit eundi ad dominum Gregorium papam qui tunc in Reatina civitate cum cardinalibus suis morabatur, et habito colloquio insimul in Apuliam rediit.

Anno dominice incarnationis M. CC. XXXV, indictionis none (*c*), mense aprilis, a partibus Apulie recessit ducens secum Conradum filium suum qui tunc septennis [*11*] erat et per viam Marchie Anconitane pervenit ad civitatem Ariminum, et deinde cum sex galeis armatis quas habebat ad partes Aquilee se contulit. Et Theotoniam intravit quia filius suus Henricus qui ibi erat iam contra patrem rebellare nitebatur. Principes vero imperii, tam clerici quam laici, imperatori adherebant, preter ducem Austrie et Stirie qui cognatus ipsius Henrici erat, quia uxor illius soror ipsius ducis erat. Ipse vero Henricus in quodam munitissimo castro cum paucis se recepit, et non valens resistere ad pedes et misericordiam imperatoris descendit. Quem statim imperator cum magno conductu ad partes Aquilee transmisit, et per mare cum duabus galeis usque ad Sipontum pervenit. Ubi receptus fuit et in castro Sancti Felicis sub bona custodia collocatus extitit. Et abinde mandavit custodibus ut ad castrum Nicastri in (*d*) Calabriam mitteretur. Qui per duos annos ibi demorans, precepit ut iterato ad castrum Sancti Martii (*e*) in Vallegrati reduceretur.

(*a*) Recte autem *martio* 1234.
(*b*) Recte *septime*.
(*c*) Nunc tamen *octave*.
(*d*) In codice *et*.
(*e*) Recte *Sancti Marci* legendum.

Qui veniens in montem qui est inter ipsum Nicastrum et Martoranum, dedit se in terram de equo et quasi mortuus fuit (1). Et ducentes eum custodes sui sicut melius potuerunt usque Martoranum, ibidem vitam finivit et in ecclesia Cusentina sepultus fuit [1242 febr.]. Imperator itaque cum exercitu suo ad partes Austrie et Stirie proficiscens suo dominio subiugavit, preter quatuor castra munita, in quibus ipse dux cum quibusdam complicibus suis se receperat. Et deinde ad partes Lombardie cum valido exercitu venit, et alique civitates ipsum ut dominum receperunt; alie vero sibi contradicentes, suis mandatis obedire noluerunt, immo congregato exercitu cum ipso pugnaverunt (2). Qui turpiter devicti sunt et alii ex eis capti extiterunt et in regnum Sicilie captivi missi sunt et in carcerem reclusi et multi interfecti; nam caput rebellionis Mediolanum fuit : ut adimpleretur illud Merlini Britanici qui dixerat : *Caput Liguri tenui bello quassabit.* In qua Liguria per quatriennium (3) bellando moratus fuit et tamen totam ipsam provinciam pro sue voluntatis arbitrio obtinere non valuit.

Anno Domini M. CC. XXXVIII [1240], tercie [decime] indictionis, dominus Gregorius papa nonus postquam excommunicavit in ecclesia Sancti Petri imperatorem privatim et non publice, misit dominum Jacobum Prenestinum episcopum qui tamquam simplex monachus usque Januam perrexit (*a*). Primo enim dominus Otto cardinalis ad illas partes legatus se contulerat. Qui ambo prelatos illarum partium citaverunt ut accederent ad concilium generale quod dominus Gregorius papa Rome celebraturus erat. Qui venientes usque Januam, communitas ipsius civitatis armavit eis multas galeas ut eis transfretarent. Et dum irent invenerunt eas (*b*) in mari in eo loco qui dicitur Mons Christi. Et dum

(*a*) In codice *porrexit.*
(*b*) Locus mutilus; forsitan *alias.*

(1) Huc convenit quod narrat Benvenutus Imolens., *Comment. ad Dant. comoed.* ap. Muratori, *Antiq. Ital.*, t. I, p. 1054.
(2) 27 novemb. 1237, apud Curtem Novam.
(3) Minus recte, quoad temporis intervallum.

pugnarent ad invicem, succubuerunt Januenses et preter quatuor galeas que per fugam elapse sunt, omnes alie capte extiterunt a galeis imperatoris in quibus ipsi duo cardinales et multi alii prelati cum omnibus aliis capti fuerunt. Que galee cum omnibus ipsis personis usque Neapolim pervenerunt. Quos omnes in curiali custodia custodiri fecit et neminem illorum interfici iussit. Sed revoluto aliquo tempore eos omnes liberos tam cardinales quam omnes alios abire permisit. Mense vero augusti ejusdem [*12*] tertie (*a*) indictionis dominus Gregorius papa Rome defunctus fuit [21 aug. 1241]. Et per senatores urbis omnes cardinales in custodia positi sunt ut cito de summo pontifice providerent. Et infra duos menses elegerunt dominum Goffridum de Mediolano qui non vixit in papatu nisi per XVII dies et mortuus fuit. Statim vero omnes cardinales disgregati sunt et quilibet elegit sibi locum in quo moraretur. In revolutione autem anni mense iunii quarte (*b*) sequentis indictionis [1243] apud Anagniam civitatem Campanie congregati sunt. Et spirante Domino in festivitate Petri et Pauli unanimes et concordes elegerunt in summum pontificem dominum Sinibaldum cardinalem Januensem qui vocatus fuit Innocentius quartus. Et dum medio tempore haberetur tractatus pacis cum imperatore, ipse dominus Innocentius caute et privatim misit potestati Janue ut mitteret sibi sex galeas armatas. Quibus venientibus, cum aliquantis cardinalibus in partibus Corneti eas intravit, alii autem cardinales et clerici familie sue in terra manserant. Quibus omnibus imperator qui tunc in partibus illis erat, securum conductum dedit usque Januam. Qui omnes cum ipso summo pontifice usque Lugdunum pervenerunt.

Anno incarnationis M. CC. XLIV [1245], mense iulii (*c*), secunde (*d*) indictionis, in vigilia beate Marie Magdalene (*e*), pontificatus domini Innocentii pape quarti anno tercio, XVI kal. augusti, in ecclesia Lugdunensi idem imperator fuit sententialiter depositus, sex annis ante

(*a*) Recte *quartedecime.*
(*b*) Recte autem *prime.*
(*c*) In codice *junii*, male.
(*d*) *Tertie* legendum.
(*e*) Erronee, cum hic dies indicetur 21 *julii* pro 17, qui infra recte notatur.

mortem ipsius. Et sententia excommunicationis publicata fuit de mense martii sequentis tercie indictionis (1). Revoluto itaque anno, cum prelatis occidentalium partium synodum celebravit, in qua a culmine solii imperatoris deposuit eumdem, existentibus ibidem nuntiis ipsius imperatoris quos illuc miserat. A robore autem imperii tam Germanie quam Italie non decidit quamdiu supervixit. Interim quidam nobiles regni de familia sua inter se juraverunt ut ipsum interficerent. Quod ad aures suas pervenit, et aliqui ipsorum capti fuerunt et alii per fugam elapsi sunt. Ceteri vero in castro Capudaquensi se receperunt et per non longam obsidionem ad manus suas pervenientes, crudelem mortem insimul cum mulieribus et parvis filiis suis receperunt. Postmodum vero in Lombardiam rediit. Et Parmensis civitas, qui cum ipso corpore et spiritu esse videbatur, eum recipere noluit, immo manifeste rebellavit. Quam continua obsidione obsedit et civitatem contra eam edificavit quam Victoriam appellavit. In qua non multis revolutis mensibus a civibus Parmensibus turpiter devictus fuit (2), multis de suis ibidem captis et interfectis, et multo rubore confusus, infirmus in regnum rediit. Et gravatus eadem infirmitate (3) et in medietate mensis decembris anno dominice incarnationis M. CC. LI [1250], none indictionis, apud Florentinum, modicam terram Capitanate, debitum carnis solvit. Qui quidem imperator predictus ultimo vite sue solemne condidit testamentum in forma et modo subscripto : *In nomine Domini*, etc., usque *regni Sicilie LI* (4).

(*a*) In codice *immediate*, male. Notatio medii mensis opinioni plurium convenit qui mortem Friderici ad diem Sanctae Luciae (13 decemb.) adscribunt.

---

(1) Erroneam omnino confusionem hujus loci notare satis est, dum neminem fugiat prima et unica vice in concilio Lugdunensi sententiam depositionis fuisse promulgatam.

(2) Scilicet 18 febr. 1248.

(3) Laborans gravibus dissenteriis, ut monet Nicolaus de Curbio.

(4) Cf. integram testamenti formam, ap. Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 357.

Constantia, Romanorum imperatrix et Siciliae regina, Barlaamo abbati Sanctae Mariae de Crypta apud Panormum et monasterio ejus privilegium impertitur. Panormi, 9 novembris 1198.

(Memorat. ap. Fazello, *Decad. prior.*, lib. VIII, p. 180, et ap. Inveges, *Annal. di Palerm.*, t. III, p. 508; cujus privilegii verba quaedam quae inseruit Fazellus hic addimus :)

. . . . . Dum tu Barlaam, monasterii Sancte Marie de Gructa abbas, fidelis noster, ostenderes majestati nostre privilegium gloriosissimi regis Rogerii patris nostri, etc. . . . .

Datum Panormi, IX novembris, II indictione, anno M. C. XCVIII.

Fridericus, rex Siciliae, pro fidelitate quam cives Messanenses sibi exhibuerunt et exhibent, dominium terrae Randacii eis concedit. [Decembri 1199.]

(Memorat. ap. G. d'Arrigo, *Privilegi di Messina*, p. 82. Cf. Gallo, *Annali di Messina*, t. II, p. 76, qui privilegium alterum Messanensibus concessum sub dato 3 decemb. 1199 extrahit. Fuerit ne idem an diversum, nescimus.)

Considerantes igitur fidei constantiam, servitiorum gratitudinem et meritorum exigentiam perorantem que vos cives Messane, experti fideles nostri, domino quondam patri nostro magnifico imperatori et domine quondam matri nostre serenissime imperatrici felicis recordationis tam in acquirendo quam in rehabendo regno feliciter exhibuistis; attendentes

etiam que in presentis necessitatis articulo (1) rerum dispendia et personarum pericula pertulistis, etc. (*sic*).

Octobri 1201. Gualterius de Palearia, regni Siciliae cancellarius, ab ecclesia Sancti Stephani Trium Sanctorum nonaginta uncias auri mutuo accipit, pro quibus unam petiam terrae in tenimento castelli sui Trium Sanctorum ponit in pignore.

(Inedit. ex membranis Neapolit. archivii, vol. V, ab ann. 1195 ad 1202, nobisque ab ejusdem archivii praefecto liberaliter hisce diebus communicatum.)

Nos Gualterius de Palear, Dei et regia gratia regni Sicilie cancellarius. Per hoc presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris quod nos recipimus pro serviciis domini nostri regis mutuo ab ecclesia sancti Stephani Trium Sanctorum que est obediencia sancti Salvatoris de Gullito per manus Riccardi ejusdem ecclesie prioris, uncias auri nonaginta. Pro cujus debiti securitate donec predicte uncie nonaginta eidem ecclesie persolvantur, posuimus in pignore ipsius ecclesie sancti Stephani pecziam unam terre in tenimento castelli nostri Trium Sanctorum. Cujus hii sunt fines : primus finis est ab horiente juxta viam que vadit ad molendinum curie; secundus a meridie via que venit a sancto Angelo usque ad stratam francigenam majorem; tercius ab occidente dicta strata francigena; quartus finis est a septentrione juxta terram Templi et vadit usque ad molendinum curie. Quam terram liceat prenominate ecclesie tenere et possidere et utifrui usque ad predicti debiti solutionem, sine nostra nostrorumque successorum molestia qualibet vel contrarietate. Et non liceat nobis vel nostris successoribus inde terraticum petere nec pro ipso terra-

---

(1) Ex istis verbis quae in altero privilegio pro Messanensibus repetuntur (vid. supra p. 40) cognovimus hoc ad tempus idem reponendum, scilicet quo Marcualdus Siciliam fuerat ingressus.

tico aliquam restitutionem exhigere, donec predictum debitum fuerit dissolutum. Quicumque enim bajulorum nostrorum eandem ecclesiam de predicta nostra obligatione molestare vel inquietare presumpserit, pro pena sue temeritatis curie nostre componat auri libras duas et totidem eidem ecclesie. Nichilominus predicta nostra obligatio rata et firma debeat permanere. Ad hujus autem rei memoriam et inviolabile firmamentum, presens inde scriptum per manus Pantaleonis de Matam (*a*) notarii nostri scribi et sigilli nostri impressione jussimus communiri. Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo secundo (1), mense octubris, quinte indictionis, regni vero domini nostri Frederici, Dei gratia illustrissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue anno quarto feliciter. Amen. † Signum proprie manus domini Gualterii, regni Sicilie cancellarii.

Fridericus, rex Siciliae, fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum apud Jerusalem concedit et in perpetuum donat totum quod habet in demanio apud casale Tussanum inter Salernum et Ebulum.

In urbe felici Panormi, januario 1206.

(Inedit. ex membranis Neapolit. archivii, vol. VI, ab anno 1203 ad 1212, nobisque ab ejusdem archivii praefecto recentius communicatum. Membrana in pluribus locis obtrita lectu difficilior videtur.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris Nostri Jesu Christi. Amen. Fredericus, divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Inter collocata locis venerabilibus et domibus divinis obsequiis attributis

(*a*) Sic in transcripto. Verisimiliter *de Matera.*

---

(1) Indictionis numerus et annus regni in Sicilia ad annum incarn. 1201 instrumentum retro vocant. Huic etiam tempori congruit quo Gualterius in Apulia cum Diopuldo contra comitem Brennensem agebat. Utitur autem anno secundum Apulorum morem computato, scilicet ad kalendas septembris incipiente.

regia largitione . . . . maxime reputamus et pium quod ad loca ipsa utilitatis sancte Deo dicata de munificentie nostre dono pervenerit, presertim . . . . non uni videantur erogata donaria que per hospitalitatis gratiam in usus multorum transitura fore noscuntur. Plurium igitur comodis non est dubium provideri, cum eis ex caritate consulitur qui eo dumtaxat voto et studio congregant ut quecumque collegerint multis post modum pauperibus dispersa proficiant. Quapropter nos considerantes pie conversationis cultum et sancte hospitalitatis ordinem fratrum ecclesie hospitalis Teotonicorum apud Jerusalem in honore beatissime Dei genitricis et Virginis Marie constructe, ob reverentiam ipsius gloriosissime Virginis et pro remissione peccatorum nostrorum nec non et pro salute animarum domini quondam imperatoris et domine quondam imperatricis divorum parentum et aliorum predecessorum nostrorum felicis memorie, de innata et mera munificentie nostre gratia concessimus predicte ecclesie sancte Marie et fratribus hospitalis Teotonicorum qui est in Jerusalem et in perpetuum donavimus totum quod habemus in demanio apud casale quod dicitur Tussanum cum omnibus hominibus, domibus, possessionibus et tenimentis et pertinentiis suis : quod casale est inter Salernum et Ebulum. Et ut hec nostra donatio omni careat stimulo et sit ex omni parte perfecta, statuimus atque sanctimus ut de cetero tam ea omnia que per presens privilegium concessa sunt vel que acquiri poterunt in mare et in terra, emendo et vendendo, donando et recipiendo, tam in dicto casale Tussani et pertinentiis suis quam infra universos fines regni nostri in stabilibus et in mobilibus, sepe dicta ecclesia Sancte Marie et fratres hospitalis Theotonicorum perpetua et plena et inviolabili firmitate omni tempore libere habeant ac jure quieto possideant, ab omni tributo, datione et requisitione ex nostre auctoritatis edicto soluta. Si vero aliquis de fratribus ejusdem ecclesie vel hospitalis, vel de servientibus extraneis . . . . i casalis Tussani, ubicumque vel in casali ipso vel alibi habitaverint, de aliquo conveniatur, non cogatur nisi in foro ecclesie respondere nisi fuerit de criminalibus appellatus, de quibus confessus vel comprobatus penam corporis vel membrorum mutilationes subjaceat. Ad hujus autem concessionis et donationis nostre memoriam et majorem

ac perpetuam firmitatem, presens privilegium scribi et nostre majestatis sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexto, mense januarii, none indictionis, regni vero domini nostri Frederici Dei gratia illustrissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue anno octavo, feliciter. Amen.

Fridericus, rex Siciliae, universis hominibus Nicosiae ad exemplum patris sui de trecentis minus quatuor marinariis quos pro servitio stolii dare consueverant, centum et quadraginta remittens, reliquos centum et quinquaginta sex perpetuo quoque relaxat. 1209.

(Memorat. ap. Gregorio, *Consider. sopra la storia di Sicil.*, lib. II, cap. 4, not. 15, ex arch. publ. terrae Nicosiae. Fragmentum quod exhibet damus, ut sequitur :)

Fridericus, etc. De abundantiori nostra munificentia et ejusdem imperatoris patris nostri largitionibus inherentes, perpetuo confirmamus vobis et successoribus vestris . . . . videlicet cum trecentos marinarios minus quatuor tempore regis Guglielmi secundi pro servitio stolii curie nostre singulis annis dare consueveritis, CXXXX ex ipsis qui ab eodem patre nostro vobis, sicut patet tenore sui privilegii, sunt remissi, vobis et successoribus vestris perpetuo duximus remittendos; et ut de bono in melius ad fidelitatem et servitia nostra nostrum beneficium vos inducat, reliquos CXXXX[X]VI marinarios vobis et successoribus vestris de nostre liberalitatis abundantia perpetuo relaxamus. Condonamus etiam perpetuo vobis servitium lignaminum que in darsina Mascali annuatim attrahere et conducere solebatis.

Datum . . . . , anno dominice incarnationis M. CC. IX.

[Romae, aprili 1212.] Fridericus, rex Siciliae, in Romanorum imperatorem electus, terris quas Innocentio papae tradidit in pignora pro debito duodecim millium et octingentarum unciarum auri, terras alias addit.

(Memorat. ap. Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1236, ex summario privil. Eccl. Rom. in codice card. Ottoboni, fol. X, p. 2.)

Littera Frederici regis Siciliae in Romanorum imperatorem electi, continens quod dictus Fredericus recognoscens domino Innocentio papae quod pignora quarumdam terrarum ibidem expressarum domino papae tradita per eumdem, pro expensis factis per ipsum dominum papam pro custodia et salute ipsius regis et pro regni Siciliae defensione, quae ascendebant ad summam duodecim millium unciarum auri et octingentarum, non erant domino papae lucro, sed oneri, addidit aliis terris quasdam alias ibidem expressas; ita quod cum de debito fuerit satisfactum, dicta obligatio vacuetur et omnia ad statum pristinum reducantur. Incipit sic : *Fredericus Dei gratia rex Sicilie, etc., in Romanorum imperatorem electus* (1).

Apud Augustam, [martio] 1213. Fridericus, Romanorum rex, pensata devotione Arnoldi Curiensis episcopi, advocatiam Curiensis ecclesiae in se recipit, clericos

(1) Adest *ibidem*, ex eodem codice, fol. XI, p. 1, notitia altera quae sequitur : « Item alia littera praedicti Frederici in qua se non intitulat electum in imperatorem, et est illa prima obligatio certarum terrarum pro praedicto debito dictarum duodecim millium octingentarum unciarum auri, de quo habetur mentio in proxime praecedenti. Et in isto praecedenti similiter retinet sibi dictus Fredericus quod durante tempore hujusmodi pignoris, homines terrarum faciant pro eo pacem et guerram ad mandatum domini papae. Incipit sic : *In nomine Dei eterni.* » Nobis autem minime dubitandum videtur quin haec prima obligatio apud Messanam februario 1212, in scriptis redacta fuerit et denuo apud Romam mense aprili sub ampliori forma renovata.

et ministeriales ejusdem violentis hospitationibus eximit, diversaque privilegia ei concedit et renovat.

(Edit. recentius ap. MOHR, *Cod. diplomat. Rhaet.*, p. 251, n° 179, ex veteri chartulario in arch. Curiensi, et denuo ex originali in arch. episcopali. Sigilli fragmentum ex filis sericis dependet.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie. Noscant et presentes et posteri quod nos de regali mansuetudine, pensata quoque fide ac devotione fidelis nostri Arnoldi Curiensis episcopi, cum reciperemus ab eodem pheuda et Curiensem advocatiam, que et quam progenitores nostri avus noster Fridericus et pater noster Heinricus gloriosissimi Romani imperatores augusti ac pius ille patruus noster Philippus Romanus rex prius, et nunc demum dominus Otto quondam dictus imperator ab eadem ecclesia obtinuerant, easdem conditiones et exceptiones adversus eamdem ecclesiam renovavimus, quas prius dicti decessores nostri in suis privilegiis nisi sunt et indulsisse et renovasse. Promisimus namque quod antedictam advocatiam de manu nostra in nullam personam alienabimus, nec quoquomodo transferemus in toto aut in parte; quod quidem si fieret, caderemus a toto; et liceat episcopo presenti seu futuro in aliam transferre personam nisi factum retractaverimus. Adjicientes etiam quod tam clericos quam laicos qui dicuntur ministeriales, violentis hospitationibus gravari nullatenus permittemus; item quod reliquam Curiensis ecclesie familiam novis exactionibus seu precariis fatigari non faciemus, sed erimus antiquis usquequaque contenti. Item familia Montis Septimi (1) et omnes ad cameram et mensam ipsius episcopi pertinentes et servientes et quidam de Tumellasca (2), qui dicuntur ministeriales, et curtis canonicorum de Assiers (*a*) ab ipsa etiam antiqua exactione seu precaria

(*a*) Verisimiliter *de Schiers*.

---

(1) Scilicet hospitale Sancti Petri, germanice dictum *auf dem Septimer*.

(2) Scilicet hodie *Tumleschg*.

in perpetuum a nostra majestate sunt absoluti. Claustra quoque Sancti Lucii et in Churwaldo cum omni eorum familia debita gaudere debent libertate, nec etiam precariis aliquando sunt oneranda. Capellam quoque in Malans et ejus institutionem in perpetuum ei libere dimisimus. Demum sicut in prioribus privilegiis continebatur et fuerat Curiensibus episcopis de clementia imperatorum indultum, nec presens episcopus nec ei succedentes tenentur sequi expeditionem aut vocari ad curiam nisi hoc de propria faciant voluntate. Ut autem hec nostra permissio futuris temporibus stabilis et inconvulsa permaneat, jussimus hoc scriptum sigilli nostri impressione communiri.

Actum apud Augustam, anno incarnationis Domini M.CC.XIII (1), indictione I, jussu domini Conradi Metensis et Spirensis episcopi, imperialis aule cancellarii.

Datum per manum Bertholdi de Niffen prothonotarii, feliciter. Amen.

Apud Uberlingen, 1° septembris 1213.

Fridericus, Romanorum rex, Conrado Constantiensi episcopo scribit se, inspectis privilegiis praedecessorum suorum, jus quod habet ecclesia de Kreutzlingen ut advocatia bonorum monasterii ab ipsorum manibus alienari non debeat, ratum habere et sibi retinere; eique mandat ut non permittat dictam ecclesiam super id ab aliquo molestari.

(Memorat. supra p. 277. Nunc primum in integrum edimus ex copia in archivo Cruciling. a D. Conr. de Kleiser-Kleisheim protonot. apost. descripta et nobis per Kauslerum transmissa. Originale nec in stylo nec in filo vitiatum, tantummodo in aliqua sigilli parte laesum superest.)

---

(1) Deest notatio mensis. Minime vero dubitandum quin privilegium ad mensem martium, circa diem 22 ejusdem referendum sit, quo tempore hoc anno Fridericus apud Augustam morabatur.

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, fidelibus suis C. episcopo totique capitulo Constantiensis ecclesie omnibusque presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ex autenticis progenitorum nostrorum plenius edocti qualiter Crucelinensis ecclesia specialiter ab ipsis fuerit privilegiata, ita ut jus avocatie in omnibus possessionibus ipsi ecclesie pertinentibus nunquam a potestate eorum aliquo interveniente casu possit alienari, sed sub patrociniis eorum possessiones memorate ecclesie in quieta pace et tranquillitate semper consisterent; nos etiam hereditaria successione eandem ecclesiam cum personis et universis ei pertinentibus sub specialem regie majestatis protectionem recipientes, omnibus hujus pagine inspectoribus significandum duximus quod nos, sicut et a predecessoribus nostris ad nos usque est derivatum, advocatiam in bonis ipsius ecclesie quam progenitores nostri consueverunt habere, nobis retinuimus et nostre jurisdictioni in perpetuum reservamus; in irritum revocantes si quid per oblivionem seu ignorantiam de advocatia memoratarum possessionum fecisse dicimur vel videmur. Nulli etiam eorum, qui se jure feudali de manu nostra in predicta advocatia aliquid juris accepisse protestatus fuerint, in jure illius advocatie warandiam ullam prestamus, sed omnem eis impetitionis causam elidimus et abjudicamus. Tibi Constantie episcopo dantes in mandatis ut si quisquam contra abbatem memorate ecclesie coram te aliquid super hiis protestari vellet, eum tu minime audias et attendas, et ipsum abbatem et ecclesiam in warandia protectionis nostre quantum ad te pertinere dignoscitur, per censuram ecclesiasticam manuteneas et deffendas.

Ego Cunradus Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Datum apud Uberlingen, kalendis septembris, indictione I.

Fridericus, Romanorum rex, ad supplicationem Hermanni magistri domus Sanctae Mariae Theutonicorum, ei et domui ejus Ulmae, in curia solemni 17 februarii 1217.

renovat et confirmat donationes a patre suo et a seipso in regno Siciliae factas, specialiter circa partes Baroli et Brundusii.

(Inedit ex originali in archivo reg. Neapolitano, membran. vol. VII ab anno 1213 ad 1221, nobis hisce diebus a praefecto ejusdem archivi liberaliter communicato.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie. Accedens ad presentiam nostre majestatis predilectus in Christo frater Hermannus magister Sancte Marie de domo Teotonicorum in Hierusalem, ad laudem et honorem Dei deorum ejusque genitricis perpetue Virginis Marie, ex donationibus regum aliorumque principum ac nobilium ad sustentationem pauperum constructe, tam ipse quam fratres ejusdem domus humiliter a nobis postularunt quatenus gratie nostre habundantiam quam circa ipsam domum gerimus, in publicum effundere dignaremur, renovando atque confirmando ipsi militie ac domui omnes donationes seu concessiones atque privilegia quas et que ipsi usque ad moderna tempora a dive memorie genitore nostro seu a nobis super proventibus elemosinarum domus et hospitalis sui in regno Sicilie sunt consecuti. Cum itaque regalis eminentie interesse dignoscatur, eorum utilitatibus non inmerito debemus patrocinari, in quibus honestatis ac religionis preminet celsitudo. De consueta benevolentia votis eorum sereno annuentes affectu, presentis scripti patrocinio ad noticiam presentis evi atque ad memoriam future posteritatis volumus pervenire perpetuo observandum quod nos locum et hospitale prelibatum cum personis et rebus cunctisque que nunc justo possessionis titulo in regno Sicilie habent et tenent atque in posterum Deo dante juste erunt adepturi, in regie serenitatis favore nostreque protectionis munimine perpetuo dictamus et profitemur subsistere. Pro salute quoque nostra et remedio animarum utriusque sexus divorum progenitorum nostrorum Romanorum regum et imperatorum, renovamus et confirmamus predicte domui et hospitali Teotonicorum, ad generalem usum seu helemosinas militie et fratrum atque pauperum nunc in eadem domo militantium atque in posterum

Deo et gloriose ejus genitrici ibidem serviturorum, omnes donationes, concessiones et confirmationes seu privilegia quas et que ab inclito patre nostro Henrico divo Romanorum imperatore et rege Sicilie atque a nostra consecuti sunt largitate, sicut ipsi devote petierunt : specialiter domum et hospitale Sancti Thome quod de ordine eorum apud Barolum constructum est, et in tenimento Cannarum prope Barolum terras laboratorias ad decem paricla, nec non ecclesiam Sancti Nicolai in Rigula, cum omnibus domibus et possessionibus ac pertinentiis eorum, cum omni jure et libertate eorum et omni honore, sicut hec olim a largitione patris nostri receperunt; atque vineas et ortum integrum, sicut quondam Bertrammus medicus Baroli dum vixerat in demanio nostro palude Baroli tenuit et possedit, ipsis confirmamus cum omnibus pertinentiis illius orti et vinearum, sicut in alio instrumento quod inde eis indulsimus continetur. Insuper renovamus atque confirmamus eisdem totum quod habemus in demanio apud casale quod dicitur Tussanum, cum castro quod Mareguardus construxit in eisdem tenimentis ac pertinentiis, cum omnibus hominibus ac tenimentis et pertinentiis suis tam in mari quam in terris, quod casale est inter Salernum et Ebolum. Recognoscimus etiam et renovamus ac perpetuo stabilimus eis universa que seriatim continentur in privilegio de ista donatione sive de aliis omnibus ad quietem et utilitatem eorum ipsis ac domui eorum a nostra munificentia indulto. Renovamus ad hec et confirmamus donationem quam fecimus domui ac militie et fratribus supradictis de domo in civitate Brundusii constituta, que appellatur domus Margariti, cum balneo et omnibus aliis justiciis et rationibus tam in mari quam in terra eidem domui pertinentibus, sicut ipsam olim idem Margaritus noscitur tenuisse. Ad summam itaque gratie serenitatis nostre circa memoratam domum et hospitale Teotonicorum ac totius militie et fratrum ejus evidentiam, ut omnia pretaxata perpetua gaudeant firmitudine, de certa conscientia ac mera voluntate regie circa ipsos benevolentie hoc scriptum eis indulsimus aurea bulla regie majestatis nostre roboratum. Statuentes et regali edicto sanctientes atque sub plena gratie nostre interminatione districte precipientes ne ulli omnino persone humili vel alte, seculari sive ecclesiastice, licitum sit in antea

hanc nostre renovationis seu confirmationis formam infringere vel ei aliquo in tempore ullo temeritatis ausu obviare. Quod qui facere attemptaverit, iram Dei omnipotentis ejusque pie matris perpetue Virginis Marie nec non certam regie indignationis ultionem se noverit incurrisse. Ad evidentiam autem sue presumptionis quingentas libras auri examinati pro pena componat, medietatem fisco regio, aliamque medietatem injuriam passis soluturus.

Hujus rei sunt testes Chunradus Rattisponensis, Sifridus Augustensis episcopi, Chuno Elwacensis, Ulricus Sancti Galli abbates, Roudolfus comes palatinus de Touwingen, Henricus marchio de Roumesperch, comes Loudewicus de Otingen, Hartimannus et Loduvicus comites fratres de Virtemberch, Rudolfus et Henricus fratres nobiles de Raphterswilare, Berhtoldus nobilis de Niffen et filii sui Henricus et Albertus, Anselmus de Justingen, marschalcus imperii, Waltherus de Sipf pincerna imperii, Eberardus de Tanne, dapifer Swevie, Dieto de Ravensburch camerarius, Chunradus de Winterstetin, Ebehardus de Loutera, Otto de Welfespch, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum regis et semper augusti et gloriosi regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Ego Curradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Sancte Moguntine sedis archiepiscopi ac totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno domini nostri Jhesu Christi millesimo ducentesimo sexto decimo, regnante invictissimo domino nostro Friderico secundo divina favente clementia Romanorum rege et semper augusto et glorioso rege Sicilie, feliciter, anno Romani regni ejus quinto, Sycilie vero octavo decimo.

Data Ulme in curia sollempni, per manus Henrici Constantiensis prepositi, regalis aule prothonotarii, XIII kalendas marcii (1), quinte indictionis.

---

(1) Haec dies non convenit cum altero diplomate quod Mone datum *Spirae* dicit, 16 februarii. Cf. supra, p. 502. Quemdam tamen errorem in hac ultima notatione suspicamur.

Honorius papa Friderico regi Siciliae in Romanorum imperatorem electo remittit donationem praepositurae Aquensis Alatrino subdiacono et capellano suo conferendam (1). Laterani, 1° februarii 1218.

(Memorat. in *Indice litter. Honor. III,* in collect. Laporte du Theil.)

Datum Laterani, kalendis februarii, anno secundo.

Fridericus, Romanorum rex, omnem traditionem quam avus et pater sui et caeteri parentes coenobio Sancti Petri in Augia (Weissenau) fecerunt, confirmat, illudque eadem libertate privilegiatum denuntiat qua alia claustra Romanae Ecclesiae pertinentia. Apud Weingarten, 11 decembris 1218.

(Edit. ap. Lunig, *Reichsarchiv,* t. XVIII, p. 750; insertum vero et confirmatum in privilegiis Rodulphi I, Alberti, Friderici cognomine Pulchri necnon et Ludovici Bavari, *ibid.*, p. 751, 752, 753, 754. Cf. praeterea privilegium Henrici septimi, dat. 6 novemb. 1226.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, et semper augustus, rex Sicilie. Notum sit omnibus tam presentis temporis quam futuri Christi fidelibus quod omnem traditionem quam avus noster Fridericus Romanorum imperator invictissimus (2) et pater noster Heinricus Romanorum imperator illustrissimus (3) et pa-

---

(1) Adest altera Honorii epistola data Reate, 6 julii 1219, qua nuntiat capitulo Sancti Castoris apud Confluentiam se hujus ecclesiae praeposituram eidem Alatrino contulisse. Cf. Wurdtwein, *Nova subsid. diplomat.*, t. III, p. 79 et 80.

(2) Scilicet anno 1164, 1° novemb., indict. 12.

(3) Ann. 1192, 9 kal. april., indict. 2.

truus noster Philippus Romanorum rex piissimus (1) et frater suus Fridericus Suevorum dux felicis memorie (2) et dux Welpho et Heinricus quondam dux Saxonie (3) cenobio Sancti Petri in Augia fecerunt in hominibus utriusque sexus, mancipiis, agris, pascuis, terris cultis et incultis, silvis, aquis seu quibuscunque rebus, nos quoque ratam et inconvulsam esse volumus; et ut breviter concludamus, omnem caritatem, permissionem, omne quoque jus quod jamdicti principes prefato cenobio concesserunt seu tradiderunt, nos quoque eidem cenobio concedimus, stabilimus et firmamus. Concedimus preterea fratribus ibidem Deo servientibus et eorum subditis et ministris ut per universa fora nostra negotiationes suas exerceant libere sive thelonei pensione, et ut liberam habeant potestatem succidendi sylvas et foresta nostra pro claustri necessitate. Ad hec si quisquam ministerialis noster, sive mercator sive rusticus, seu cujuscunque conditionis homo vel cujuscunque sexus seipsum aut aliquid de bonis suis mobilibus vel immobilibus eidem cenobio conferre voluerit, sciat hoc cum nostra esse licentia et voluntate. Hoc quoque universitatem fidelium latere nolumus predictum claustrum libertate privilegiatum, sicut et alia claustra sancte Romane [Ecclesie] et Apostolice Sedi pertinentia, nec nos nec quempiam quicquam juris aut potestatis in eo habere, preterquam quod nos illud intuitu Dei in tuitionem nostram recipimus et ei pro justitia adesse volumus et preesse. Unde si quis violentiam ei intulerit aut illud ulla in parte leserit, sciat nos lesisse et gratie nostre offensam incurrisse, et ne hec a succedentium memoria possint elabi, presentem super his paginam fecimus conscribi et sigilli nostri impressione jussimus communiri.

Datum apud Winigarten, anno millesimo CC. XVIII, III idus decembris (4).

---

(1) Ann. 1197, 3 kal. aug., indict. 15.

(2) Ann. 1186, indict. 6.

(3) Ann. 1152, in curia Merseburgensi.

(4) Notae chronologicae, ut Boehmerum Staelinus monuit, alia manu, sed fere coaeva in originali exaratae videntur. Unde aliquid dubii superest, quum insuper indictio desideretur.

Fridericus, Romanorum rex, Guidonem priorem Camaldulensem et congregationem ejus in sua protectione suscipit, monasteriaque et possessiones ad eamdem pertinentes enumerat et confirmat. Apud Hagenowe, 26 martii 1219.

(Memorat. ap. MITTARELLI et COSTADONI, *Annal. Camald.*, t. IV, p. 257-258, ex tabulario Fontisboni et ex illo S. Matthiae de Muriano. Compendium vero quod ipsi exscripserunt, denuo exhibemus.)

Ante biduum eodem ex loco [sc. Haguenau], Fridericus regiam suam tutelam concesserat Guidoni priori Camaldulensi ejusque congregationi, singillatim enumerans monasteria omnia quae tunc disciplinae eremi Camaldulensis parebant. Nominavit in civitate Arretina monasterium Sancti Petri minoris, etc. Mentionem quoque fecit possessionum quas habebant Camaldulenses in Broilo. Confirmavit pariter congregationi Camaldulensi in Adrianensi episcopatu monasterium de Vangaticia cum ecclesiis suis; in episcopatu Tudertino monasterium Sancti Antonii, et in Perusino ecclesiam Sanctae Trinitatis prope civitatem. Praecepto suo roboravit etiam idem rex exemptiones et indulta superiorum imperatorum, et inter caetera ut nullus possessiones eremi Camaldulensis sine prioris licentia, alias vero possessiones monasteriorum sine consensu praelati et conventus vendere aut alienare praesumeret; ut nullius civitatis vel castri statuta possent obsistere erėmo et locis suis, etiam si ea forent privilegiis imperialibus communita; praescriptio nisi octuagenaria posset objici; pascua habere pro animalibus et ligna in Alpibus caedere valerent Camaldulenses sine aliorum gravi jactura.

Nil tamen obstat quin Fridericus circa partes Sueviae ineunte decembri 1218 adhuc fuerit moratus, dum Fuldensem curiam non ante diem vicesimum hujus mensis forsitan celebraverit.

Reate, 5 septembris 1219.

Honorius papa Pelagio Albanensi episcopo, Apostolicae Sedis legato, notificat quot summas pecuniae mittat in Terram Sanctam, ad quam etiam Fridericus Siciliae rex in Romanorum imperatorem electus speratur, recepta imperii corona, in proximo accessurus.

(Insertum in regist. epist. Honor. III, ann. IV, n° 561, in collect. Laporte du Theil ap. Bibl. reg. Paris.)

Datum Reate, [nonis septembris], pontificatus anno IV.

Reate, 1° octobris 1219.

Honorius papa archiepiscopis, episcopis, et caeteris Alemanniae praelatis mandat ut denuntient excommunicatos omnes non solventes votum ultramarinum.

(Insert. in regist. epist. Honor. III, ann. IV, n° 577, in collect. Laporte du Theil ap. Bibl. reg. Paris.)

Datum Reate, kalendis octobris, pontificatus anno IV.

Apud Frankenvord, 20 april. 1220.

Fridericus, Romanorum rex, burgensibus Wormatiensibus privilegium avi sui Friderici primi, scilicet pacis et juris conditionem in civitate observandam, renovat, statuitque Wernherum et Philippum fratres de Bolanden qui eisdem burgensibus auxilium super obtinendo jure praebeant.

(Cf. supra p. 761. Nunc integrum damus ex apographo quod benigne ad fidem originalis apud Wormatiam asservati, libro impresso a nobis frustra requisito, Boehmerus noster transmisit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clemencia Romanorum rex augustus, et rex Sycilie. Cum imperialis clemencia omnibus sibi devotis auxilium defensionis exhibere debeat, devocionis civium Wormacie non inmemores, privilegium presens, quod de multa benignitate et gracia avi nostri, divi Romanorum augusti imperatoris Friderici, meruerunt accipere, in forma subscripta eandem pacis et juris condicionem civibus ipsis tradimus et observari precipimus : Quod si quis infra terminum hujus pacis aliquem blasphemaverit, blasphemato satisfaciens, juramento se expurget. Quod si jurare contempserit, ei, quem verbis male tractavit, XX solidos, et judicibus civitatis decem componat, ibidem fidejussores exhibens, quod infra quatuordecim dies compositos denarios persolvat; et si pro sua paupertate persolvere non poterit, verberatus et tonsus, de civitate eiciatur nunquam reversurus. Si quis autem aliquem depilaverit vel verberibus afflixerit aut vulneribus plagaverit, reus pacis habeatur, et manu proscripta truncetur. Si quis autem aliquem occiderit et de homicidio convictus fuerit, jugulus ejus proscribatur. Si quis vero alicui bona sua contra justiciam abstulerit, aut aliquem infra atrium sue mansionis violenter invaserit, reus pacis habeatur. Si quis autem pro suo arbitrio contra aliquem injustas inimicicias exercens, iniqua querimonia ipsum circumvenerit, et ab eo satisfactionem suscipere noluerit, sub proscriptione imperatoris habeatur; et si super hoc infra civitatem manere presumpserit, deprehendatur et domino imperatori puniendus reservetur. Termini vero hujus pacis protendantur ad ulteriores fines vinearum et usque ad hortos Mezelini et ad fines communis pascue burgensium et ad ripam Primme, ubi influit in Renum. Si quis autem burgensium extra civitatem alium burgensem persequens in alio tocius imperii loco contra statuta hujus pacis inquietando invaserit, habeatur pacis violator ac si infra civitatem idem fecisset. Item si quis burgensis suum comburgensem super aliqua causa volueret (*sic*) inpetere, coram judicibus hoc faciat et eo

jure contentus sit, quod ei judices per sententiam secundum jura civitatis dictaverint, et non appellent ad majorem audienciam. Ad confirmationem itaque predicte pacis ex mandato imperiali duodecim ministeriales ecclesie Wormaciensis et vigintiocto burgenses statuentur, qui de invasione ledencium et lesorum a testibus testimonium audiant, et secundum veritatem testium discernant. Et si predicti quadraginta judices in aliquo discordaverint, standum erit judicio partis majoris. Si quis autem judicum racione consanguinitatis vel precii sive cujuslibet occasionis, reum aliquem malo ingenio tueri et contra juramentum quod fecit, vel innocentem condempnare attemptaverit, et de hoc convictus fuerit per tres conjudices, suos videlicet consortes, de consorcio eorum ignominiose eiciatur. Insuper si habere (*sic*) poterit, ad cumulum sue dampnacionis et pene septem libras Wormaciensis monete persolvat, tres videlicet episcopo, duas judicibus et reliquas duas advocato et scultheto et officiatis eorum, qui vulgo *Ambehtman* vocantur. Preterea nulli liceat burgensem aut extraneum ad duellum provocare. Si quis extraneus burgensem in rebus aut in persona molestaverit, et molestatus ipsum infra civitatem deprehenderit, coram judice eundem in causam trahat, et injurias suas racionabiliter proponat; et si testimonium trium judicum fuerit convictus, satisfaciat. Insuper firmiter observari volumus, ut si quis comprovincialium vestrorum aliquem de civibus in quovis imperii loco invaserit aut depredatus fuerit, vulneraverit aut occiderit, rumorque ad vos pervenerit, burgenses vestri illum insequantur, et si deprehensus fuerit flagrante maleficio, in civitatem Wormaciam deducatur, et taliter de eo judicium sumatur, ac si hec infra civitatem commisisset. Quod si aufugerit et a burgensibus capi nequiverit, et in aliqua civitate vel castello receptus fuerit, burgenses illuc veniant et ipsum ab eis qui illum detinent reposcant; et si eis presentatus fuerit, pacifice recedatur; sin autem et facultatem habuerint, potestative ipsum auferant. Et si locus adeo munitus fuerit, ut evincere subito non possint, obsidione eum cingant, et nuncios ad Wernherum de Bonlant et fratrem ejus Phylippum mittant, ut eis succurrant; et si per eorum auxilium locus expugnari poterit, gratum habeant; sin autem, dicti Wernherus et Phylippus nun-

cios suos cum vestris ad clemenciam imperialem dirigant, auxilium ejus imploraturos. Super integritate itaque hujus pacis conservanda, primos et precipuos adjutores et consiliarios habere debetis antedictos de Bonlant confratres, vicedominum, sculthetum, prefectum et judices de civitate, qui vos precedant pariter, et si quid contra pacem hanc factum fuerit, sicut imperium decet et justiciam et honorem et commodum civitatis, vobiscum emendent et ulciscantur. Volentes igitur ut pax Wormaciensibus juxta formam prescriptam, insuper omnes traditiones et jura, privilegiata ipsis a divis Romanorum imperatoribus augustis, domino Friderico videlicet avo nostro, et patre nostro Heinrico, salva permaneant et inconvulsa, auctoritate regia confirmamus, omnes posteros nostro Romano regno post nos successuros rogantes diligencius, ut sicut ipsi facta sua cupiunt illibata servari, ita hujus privilegii nostram confirmationem fidelibus regni Wormaciensibus munitam servare curent et illesam.

Signum Friderici Romanorum regis invictissimi et regis Sycilie gloriosi. (*Monogramma.*)

Ego Cuonradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Siffridi Moguntine sedis archiepiscopi et Germanie archicancellarii, recognovi.

Testes : Siffridus Moguntinus archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Cunradus Ratisponensis episcopus, Theodericus Monasteriensis episcopus, Otto Trajectensis episcopus, Heinricus dux Suevie rectorque Burgundie, Ludewicus dux Bawarie, palatinus comes Reni, Anshalmus de Justingin marscalcus, Wernherus dapifer de Bonlandia, Cunradus pincerna de Scyphe, Ulricus de Minzenberg, Phylippus de Bonlandia, et alii quamplures.

Datum apud Frankenvord, anno Domini M. CC. XX, XII kalendas maii, indictione VIII.

1220. Henricus, dux Sueviae, in Romanorum regem electus (1), statuit ut abbatissa de Turego de jure possit coquinarium, pistrinarium, carpentarium et caeteros ministeriales, quando sibi non convenientes existimet, amovere, et super hoc judicibus et consilio Turegi suam voluntatem notam facit.

(Memorat. et extract. ap. Meyer von Knonau, *Archiv für Schw. Gesch.*, t. I, regest. p. 89. Desunt omnino in originali chronologicae notae.)

1220. Henricus, dux Sueviae, in Romanorum regem electus, monasterium et ecclesiam de Turego cum personis ibidem Deo servientibus bonisque mobilibus et immobilibus in sua protectione suscipit, privilegia confirmat, statuitque ut abbatissa quae pro tempore fuerit coquinarium, pistrinarium, carpentarium caeterosque ministeriales, quoties expedire viderit, sine aliqua difficultate amovere possit. Denique sub poena banni praecipit ne quis in hoc eamdem ecclesiam molestare praesumat.

(Memorat. et extr. ap. Meyer von Knonau, opere supra citato, *ibid.*, p. 89.)

[Circa annum 1220 exeuntem.] Variae Thomasii de Capua epistolae super discordia filiorum

---

(1) Ex hoc titulo instrumentum ad ann. 1220, post mensem aprilem reponendum censemus; quod etiam arbitratus est Meyerus.

Petri comitis Celanensis et intercessiones ad Fridericum regem pro misericordia (1).

I.

Rubr. — *Inducitur imperator ad veniam concedendam captivis.*

(Inedit ex litter. Thom. de Capua, cod. 8604, fol. 32-33, lib. III, ap. bibl. reg. Paris.; collat. cum cod. biblioth. ejusdem 8564, fol. 130 verso.)

Procurato sicut Domino placuit negotio Capuano (2), nacta occasione de discordia filiorum quondam P. comitis Celanensis (3), de qua grandis imminebat turbatio regioni cum hinc inde multi pararentur ad guerram, per Marchiam (4) transitum habui et suasi ne terram turbarent, et quantum licuit et decuit instititi (*a*) ad liberandum captivos. Super quo comes Ricardus (5) et Pe. (*sic*) ut dicebant, vestre magnitudinis litteras expectabant. Comes autem T. (6) qui pro captivorum subsidio satis se devotum ac humilem obtulit ad vestra servitia, probato . . . fideli vestro archidiacono Capuano et michi noluit de captivis suis sine consilio dare responsum. Ut autem verum fatear, si quibusdam de suis credit et aliquibus alienis, de clementia vestra penitus desperaret : quod, ut juxta conscientiam loquar, non expediret hominibus regionis nec proposito quod in-

(*a*) In uno codice *instanti;* in altero *justitia*, male et pejus.

(1) Deficientibus caeteris instrumentis, quum insuper Febbonio, Corsignani, Antinori et alii scriptores historiae Marsorum de rebus istis omnino sileant, aliquid verius conjectura consequi vix sperarem. Hoc tamen non dubium videtur, quod scilicet epistolae hic editae paulo ante coronationem Friderici et ejus in regnum Siciliae regressum scriptae fuerint.

(2) Raynaldus archiepiscopus Capuanus filius erat Petri comitis Celanensis. Alludit scriptor hic et infra discordiis quarum memoria periit.

(3) Petrus comes anno 1212 vita functus erat, ut monet Riccardus de S. Germano.

(4) Scilicet per comitatum Molisii, qui tunc *Marchia* (*Guarneri*) vocabatur, ut nos monet Riccardus de S. Germ., ad ann. 1197.

(5) Comes Ricardus de Celano apud Riccardum de S. Germano memoratur inter proceres regni qui coronationi Romanae affuerunt.

(6) Evidenter comes Thomasius de Molisio, Petri comitis Celanensis gener, qui ipse postea comes Celanensis intitulatur. Vid. tom. II, *passim*.

cepistis pro subsidio Terre Sancte nec filio vestro si remanere deberet in regno. Sane deliberavit ad ultimum quod premitteret (*a*) unum de filiis suis, imploraturus gratiam vestram per ipsum (1). Ad hec si placeret in hiis consilium meum, bona fide consulerem ut habito pleno et sufficienti de captivorum liberatione tractatu, cum illorum detentio jam vestro non cedat honori, circa predicta (*b*) vos non multum difficiles exhiberetis ad veniam, propter multa que circunspectio vestra satis advertere poterit per se ipsam. Porro de filiis regni sum et libenter regni commoda procuro, eo teste cui omnis voluntas loquitur et omne cor patet. Inspiret autem Dominus ut excellentia vestra provideat meliora. Ceterum de Capuanis adjicio quod cum inter eos sint quidam juvenes et forte minus prudentes qui subito facti ferventes honoris regni zelatores, sub umbra vestra proprias prosecuntur injurias et ad graves offensas prosiliunt aliorum, expedit si placeret ut in adventu vestro suspenderetis quas suscitant questiones. Misericordius tamen et decentius crederetur ut ob illius reverentiam qui cum iratus fuerit non obliviscitur misereri, illa[s]que vos tangunt circa predictos cives remictatis offensas, memores quod si culpa non esset, locum venia non haberet.

II.

Rubr. — Iterata precum (papae) instantia ad imperatorem pro comite Celanensi.

(Inedit. ex codice 8604, fol. 53 verso, lib. VII.)

Petiisse meminimus ut [in] intercessionis nostre favorem nobili viro . . . comiti Celanensi benignitatis regie januam ad gratiam aperires (*c*); adhuc

(*a*) In codicib. *permitteret,* minus recte.
(*b*) In altero *predictos.*
(*c*) In cod. *aperientes,* minus recte.

(1) Quod propositum comes Thomasius adimplevit; sed minime profecit. Vid. Ricc. de S. Germ., ad ann.

tamen intercessio nostra [in] favorem suum non invenit effectum. Sed forte nondum providit excellentia regia quantum deceat quantumque expediat nonnunquam in talibus plus uti mansuetudine quam rigore. Porro si prudenter adverteres quantum majoribus consuevit afferre dispendii non curare minora, satis intelligeres per te ipsum quod tuum prosequimur meritis precibus interesse. An nescis quantum profuerit spes quam de Sedis Apostolice interventione concepit? Sane novimus, et multi alii non ignorant quod ad tua servitia dictus comes esse poterit fructuosus. Unde gaudere te volumus quod sic promovet tua divina clementia commoda ut a te petatur instanter et facile decet offerri (*a*). Ergo ne diutius proroges tue propinationis habundantie gratia exhibere quod petitur, quam expedire te expedit; et illum reum (?) qui se ingerit non repellas, cum sicut ejus affectio perhibet, sic per gratiosa tibi complacebit obsequia, et pro eo apud te sufficere poterit devotionis sinceritas quam exponet affectus et publicabit effectus.

III.

Rubr. — Hortatur fratres ut non insurgat unus contra alium.

(Edid. Hahn, *Collect. monum. veter. et rec.*, in Th. de Capua dict. epist., p. 340-41; coll. cum cod. 8604, fol. 16 recto-verso.)

Loquor ut diligo, et cum meliora sint vulnera diligentis quam fraudulenta oscula blandientis, sumpta de vestra dilectione fiducia, aliquid dicam licet asperum confidenter, eo quod amor habet plagas suas que dulciores sunt cum amarius inferuntur. Quousque tacebo? Ecce publice dicitur quod per scissuras et scandala grave dispendium imminet domui Celanensi. Certe durus est sermo quod tam inclita domus regni quam multorum consueverant oculi intueri, tempore nostro, quod absit, gravis dissentionis jacturam incurrat. Porro veritatis est verbum, organo dominice vocis emissum, quod omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Numquid speciali privilegio vos et germanus vester suscipietis in dis-

(*a*) Locus in codice mutilus.

pendiis scissure compendia? Quis vos oculus fascinavit? An forte propter divitias quas famosus et strenuus pater vester multis laboribus, multis expensis multoque studio acquisivit, in carnem suam caro consurget et frater manum levabit in fratrem? Sane super hiis liceat admirari de vobis, sed plus de. . . . . germano vestro cum sit majoris etatis, plurimum vero de domina. . . . . . . comitissa, cum non sit dubium quin sit mater et mirum si non multum viscerum suorum turbatione turbetur. Quid plura? Considerate si congruat ut subjiciatis vos non solum vicinis, sed subditis, ad hoc ut crescat alter in alterum et efficiamini consequenter ambo minores. Ceterum quia non expedit pagine cuncta committi, ut minus dicam et plus prudentia vestra intelligat, vos expedit meminisse quod interdum plus proficit congregatio paucorum in unum quam singularis divisio plurimorum.

IV.

Rubr. — Convitiosa littera ad eum qui impedivit litteram sibi transmittendam.

(Edid. Hahn, *Collect. monum. veter. et rec.*, in Th. de Capua, dict. epist., p. 347-48; coll. cum cod. 8604, fol. 18 verso.)

Credebamus quod nos sentiretis in vestris honoribus utiles et commoditatibus efficaces. Unde si respondere voluissetis, ad grates exolveretis debitum gratiarum quondam socio, nunc amico, et magis prudenter vos habuissetis in quibusdam litteris quas vobis comes (*a*) T. de Celano sicut audivimus transmittebat; et quidem in potestate vestra (*b*) non erat quin scriberet sicut vellet. Verumtamen providentia vestra poterat hoc habere ut per missionem litterarum ipsarum domini regis animum minime turbaretis. Porro novit Deus si meliora provenerint et valeant provenire domino imperatori et filio suo tam de servitio vestro quam nostro. Retribuat autem vobis Deus sicut vos intenditis retribuere si potestis.

(*a*) Ap. Hahn *nobis quondam.*
(*b*) Ibidem *nostra.*

Notitia documentorum de quibus non sat bene constat.

Donationem castri Pritii monasterio Sancti Angeli de Pritio (1) a Matthaeo Bonello anno 1145 factam confirmavit Guillelmus I, anno 1161. « Donationemque praedictam post 40 circiter annos gloriosae memoriae Fredericus pariter Siciliae rex et deinde imperator sui nominis II de anno 1199 confirmavit, et dictum castrum cum toto ejus tenimento ac juribus, membris et pertinentiis liberum pariter et exemptum ab omni exactione et servitio eidem monasterio Sancti Angeli donavit. » Memorat. in instrumento anni 1596, ap. Rondinini, *de Monast. Casemarii*, p. 143.

« Et quindi fu la citta [di Gallipoli] corrisposta con predilezione e liberalita, cosicchè nel 1200 le spedi da Palermo un diploma contenente cinque articoli : 1° Che i suoi abitanti non fossero asportati per verun delitto, menoche per quello di lesa maesta; 2° che potesse comporre i litigi; 3° che rimanesse facoltata di eleggersi il proprio giudice locale; 4° che non s'inferissero dei danni nel territorio; 5° che restasse abilitata la cura del lino nel ristagno detto *li Foggi*. » Ravenna, *Memor. istor. di Gallipoli*, p. 178.

Fridericus, Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie ac principatus Capue, etc. Per presens privilegium nostrum notum fieri volumus universis quod nos attendentes puram fidem, devotionem et grata servitia que Simon de Calvello, civis Panormi, fidelis noster, celsitudini nostre devote exhibuit et in antea gratiora poterit exhibere, de solita nostra liberalitate concedimus et donamus ei et heredibus suis in perpetuum terras de Pantano que sunt in tenimento Milatii prope Montemfortem, etc.

---

(1) Ecclesia Sancti Angeli intra castrum Pritii (Prizzi) in dioecesi Agrigentina ad monasterium Casemarii spectabat, ut nos Rondininius monet, p. 71 et 75.

Datum Messane (?), 1200. — Franc. Barone, *de Panorm. majestate*, lib. III, c. XI, ap. *Graev. antiq. Sicil.*, t. XIII, p. 339.

Privilegium Friderici regis Siciliae donationis omnis territorii vacui extra moenia pro ecclesia metropolitana Barensi. Ann. Dom. 1204. Garruba, *Eoniade della Translaz. dell' immagine di S. Maria*, p. 36, ex elenco dei dipl. reg. dal Calefati.

Privilegium Friderici regis Siciliae pro Rosalia abbatissa et conventu monialium monasterii Sanctae Mariae de Latinis. Datum Panormi, anno regni VII (1204?). Memorat. ap. Inveges, *Annal. di Palerm.*, t. III, p. 520, ex Cascini, *vita di S. Rosalia*, lib. IV, f. 174.

« E questo sagro luogo (monasterium Sanctae Mariae, hodie Sancti Gregorii apud Messanam) era in tal venerazione appresso tutti che Federico II imperadore e re di Sicilia l'arricchi di molti poderi nell' anno 1210. » Arrigo, *Privileg. di Mess.*, p. 30, ex *Samp. iconol.*, fol. 410.

Fridericus II feudum Tortorici Guidoni de Pullicino concedit anno 1211. — Cf. Emanuele e Gaetani, *dell. Sicil. nob.*, parte II, lib. II, p. 381.

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, rex Sicilie, etc. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris quod nos pre oculis habentes puram fidem et valde grata servitia que Simon de Calvellis, magne regie curie magister justiciarius et fidelis noster, parentibus nostris domino imperatori et domine imperatrici recolende memorie et nostre celsitudini laudabiliter non cessat exhibere; considerantes etiam expensas et damna plurima que pro nostra fidelitate sustinuit, de grata et consueta magnificentia nostra concedimus [ei] et heredibus suis in perpetuum. . . . .
Confirmamus quoque ei et heredibus suis in perpetuum omnia alia que in civitate nostra Panormitana sibi nostra celsitudo concessit, similiter terras Pantani, etc. . . . . Datum anno 1216. — Franc. Barone,

de Panorm. majestate, lib. III, c. XI, ap. *Graevium*, *Antiq. Sicil.*, t. XIII, p. 339.

Par une bulle du mois de septembre 1216, Frédéric II donne un bout de mer aux templiers d'Arles. *Archives du gr. prieuré de S. Gilles, sac Bonnat*, ex indice privil. in Bibl. Carpentor. Frustra tum apud Arelatem, tum apud Massiliam requisivimus. Forsitan nunc in archivo Tolosano latet.

« Eodem anno 1216, Federicus II imperator et Siciliae rex, considerans vitam et honestatem venerabilis Benedicti abbatis Fontis Laureati et ejus monachorum, ipsos suscepit sub regio patrocinio, confirmans universas possessiones et libertates una cum donatione Simeonis de Mamistra fundatoris, pluraque alia adjecit pro animae suae salute. » Ughelli, *Ital. sacra*, t. IX, p. 458.

Charte de confirmation de Frédéric II en faveur de Hugues, archevêque d'Arles, année 1218; arch. Arelat., privil. imper., n^is 6, 7, 8. Memorat. ap. Guesnay, *Annal. ecclés. de Marseille*, p. 350 et in *Saxii*, *pontif. Arelat.*, ap. Mencken, *Scriptor.*, t. I, p. 276. Non invenimus, licet hanc chartam bulla aurea munitam fuisse Saxius dicat.

Privilegium Frederici Romanorum regis, pro Joanne episcopo Feretrano (sc. de Montefeltro) circa 1218. Diploma in archivio ejus ecclesiae pene corrosum asservatur. Ughelli, *Ital. sacra*, t. II, p. 845.

Aymar de Poitiers, comte de Valentinois et de Diois, ayant demandé à Frédéric II la confirmation d'un droit de péage sur le Rhône, l'obtint l'an 1219. *Art de vérifier les dates*, t. II, p. 461.

Privilegium Friderici II pro episcopo Volaterrano (?). Datum anno 1220, 20 septembris in Goda. Memorat. ap. de Raumer, *Gesch. der Hohenst.*, t. II, p. 569, 1^a edit., ex cod. diplom. di Volterra, urk. 207, in arch. diplom. Florentiae.

[Circa finem septembris 1220]. Federico partendosi ando a Pavia (?), et ivi a Folco vescovo d'essa citta concesse poter fare il mercato nel giorno di marte in ciascuna settimana. Corio, *Dell' hist. di Milano*, p. 162; cf. Ughelli, *Ital. sacra*, t. I, p. 1099.

[Octobri 1220]. Inde Fridericus Faventiam profectus vetera privilegia Casalensibus (1) affirmavit. Sigonius, *De regno Italiae*, lib. XVII, p. 915.

DOCUMENTA SUSPECTA SEU SPURIA.

Fridericus, rex Siciliae, ad instantiam Bernardi monasterii Sancti Stephani de Bosco abbatis, omnia privilegia a magno comite Rogerio, a regibus Rogerio et Guillelmo nec non et a patre suo Henrico eidem monasterio concessa recenset et confirmat, simulque enumerando confirmat donationes et collationes eidem a privatis viris ibidem nominatis factas.

(Edidit Tromby, *Stor. del ordine Cartusiano*, t. V, append. I, p. LX, qui ejus sinceritatem dissertatione frustra tuetur. Coll. cum originali, ut dicunt, in arch. reg. Neapolit., inter membranas, vol. VI, ab anno 1203 ad 1212. — Macciucca, *Esame delle carte vantate*, etc., raccolt. n° 22, et infra p. 413, hoc documentum inter spuria rejicit, praesertim ex notis chronologicis, cum Fridericus, testibus chron. Cavense et Riccardo de S. Germ., mense martii e Sicilia profectus, die 17 ejusdem Gaietam jam applicuerit, neque Panormi mense aprili morari potuerit. Mentio insuper Tankredi cui nunquam titulum regis Fridericus adscribere voluit, necnon et nomen Gualterii de Palear tunc a curia exclusi, in charta vero cancellarii officio fungentis, de privilegii falsitate non minora argumenta praebent.)

---

(1) Verisimiliter agitur de monasterio Sanctae Mariae de Casale in territorio Forilivii, Camaldulensis ordinis. Controversiam de isto monasterio inter priorem Camaldulensium et Albertum Foroliviensem episcopum exortam ad ann. 1220 memorat Mittarelli, *Annal. Camald.*, t. IV, p. 268.

Fredericus, divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Etsi provida serenitatis nostre circumspectio ad universa que sub nostri culminis regimine gubernantur debita cura et sollicitudine non desinit vigilare, ecclesiarum tamen paci et quieti speciali quodam favore tenetur intendere et earum indempnitati pia sollicitudine providere. Attendentes igitur religionis habitum et sedulum obsequium quod in monasterio beati prothomartyris Stephani de Bosco quotidiana devocionis instantia Domino exhibetur, considerantes nichilominus fervorem devocionis et fidei quam tu, frater Bernarde, venerabilis abbas ipsius monasterii, fidelis noster, erga nostram habere dignosceris majestatem, ad tue supplicationis instantiam, superne retributionis obtentu, de solita pietatis nostre clementia ipsum monasterium cum omnibus bonis suis sub nostra protectione suscipimus, concedentes et confirmantes tibi et eidem monasterio universa privilegia concessionis et libertatis ac omnia tenimenta, predia, grancias et loca quecumque de munificentia predecessorum nostrorum recolende memorie ubique per regnum nostrum tenere dignoscitur et habere vel in antea, prestante Domino, juste et rationabiliter poterit adipisci; nec non et omnes bonos usus et bonas consuetudines quas retroactis temporibus usque nunc habuit et habere debet, juxta continentiam privilegiorum suorum, videlicet magni Rogerii comitis, regis Rogerii, regis Guillelmi, que ab ipsis nostris progenitoribus sunt indulta; presertim sicut ea nominatim et expresse in privilegio domini patris nostri divi augusti recolende memorie continentur, domini quoque Guillelmi et domini Rogerii felicium regum Sicilie etiam securius declaratur : privilegium scilicet comitis Rogerii magni bulla plumbea signatum, quo fratri Brunoni primo heremi magistro ejusque successoribus solitudinis locum donavit cum infra sitis libertatibus et immunitatibus suis et casale Spatule et propriis taxationibus designavit; aliud etiam privilegium bulla plumbea signatum quo ad dedicationem sacri templi Sancte Marie de Heremo consecrati, in honorem ejusdem beate Marie et beati Johannis Baptiste dedit monasterium Arsafie in pertinentiis Stili cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus ubicumque sistentibus; ecclesiam quoque Apostolorum cum casalibus Vungi

et Burungi cum terris, silvis, aquis, juribus, justiciis et pertinentiis suis per proprios fines signatis, que ad eandem Arsafiam pertinebat; casale Sancti Andree in eisdem pertinentiis Stili cum terris contiguis eidem monasterio Arsafie propriis finibus designatis; ecclesiam Sancti Fantini in pertinentiis Mamole de honore Gyracii cum omnibus juribus, rationibus et pertinenciis suis; casale Arunchi in pertinenciis Squillacii cum omnibus juribus et rationibus suis. Tertium quoque ejusdem magni Rogerii comitis bulla plumbea signatum quo eidem monasterio dedit centum et decem villanos in eisdem pertinentiis Stili ubi dictorum villanorum nomina et cognomina continentur, et recommendatos habere concessit. Quartum bulla plumbea signatum quo idem comes dedit eidem monasterio in pertinentiis Squillacii terras que dicuntur de Cardiensis (*a*) de Severat cum molendino et de Gallat que ad dictum monasterium Arsafie antiquitus pertinebant. Quintum etiam bulla plumbea signatum quo idem comes pro sacro miraculo quo a proditionis (*b*) periculo ante Capue civitatem meritis beati Brunonis meruit liberari, contulit eidem beato viro eidemque monasterio in pertinenciis Squillacii monasterium Sancti Jacobi de Muntauro cum casalibus Mentabro, Oliviano, Gasparina et Arunco, quod ad Arsafiam memoratam pertinet cum casali antiquo quod dicitur Sancta Maria, quod fuerat ad ripam montis per meridiem qui dicitur Belvidir ubi fuerat castrum, cum omnibus libertatibus et immunitatibus maris et terre que per divisas descripsit cum molendino et fullone que sunt subtus Squillacium ad fontem Alexi et centum duodecim lineis servorum et recommendatis quos idem monasterium in dictis pertinenciis habere concessit. Sextum ejusdem comitis bulla plumbea signatum ubi continentur nomina et cognomina dictarum centum duodecim linearum servorum cum omnibus bonis eorum ubicumque essent, quos dederat cum donacione monasterii Sancti Jacobi de Muntauro. Septimum regis Rogerii felicis regis Sicilie signatum bulla plumbea, hec omnia privilegia confirmans tempore resignationis privile-

(*a*) Legi quoque potest in membrana *de Carduusis* seu *Cardicusis*.

(*b*) Legi quoque potest *perdictionis*.

giorum in palatio Messane (1). Octavum gloriosi regis Guillelmi bulla similiter plumbea signatum quo idem rex ad peticionem Benedicti magistri monasterii predicti omnia similiter supradicta privilegia confirmavit, et limitari fecit terras quas idem monasterium habet in pertinentiis Policii ex donatione presbiteri Petri sacre religionis ibidem habitum assumentis. Concedimus quoque et eidem monasterio confirmamus ecclesias Omnium Sanctorum et Sancti Martini in territorio Badulati cum casalibus, villanis recommendatis et vassallis et immunitatibus suis et cum lineis servorum, que idem monasterium tenet et possidet ex donatione comitis Goffridi de Loritello; ecclesiam Sancti Nicolai de Cammaroto cum casali quod dicitur de Saracena et ecclesiam Sancti Sossii (*a*) in pertinentiis Satriani cum parte casalis Sancti Sossii, cum terris, nemoribus, molendinis acquarumque decursibus, que monasterium ipsum habet ex donatione Malgerii de Altavilla domini Satriani; ecclesiam Sancti Johannis de Cuculo cum terris et rationibus suis que idem monasterium habet ex donatione Roberti de Tarona et aliorum quamplurium fidelium nostrorum; oratorium Sancti Theodori in pertinenciis Symeri cum terris, divisis et immunitatibus suis, que idem monasterium habet ex donatione Guillelmi Carbonelli domini ejusdem terre; ecclesiam Sancti Nicolai de Chipulla in tenimento Cutroni cum omnibus terris juxta proprios confines, quos emit Rogerius comestabilis de Marturano a Costa Calioti et eidem monasterio dignoscitur contulisse; locum qui dicitur Capistrum cum casali suo, villanis et vassallis in pertinentiis Arenarum, que monasterium ipsum habet ex commutacione quam fecit cum Riccardo de Arenis pro ecclesia Sancti Constantini in eisdem pertinenciis; locum etiam qui dicitur Mutari cum casali, vassallis, villanis et recommendatis, molendinis et diversis immunitatibus et libertatibus suis, que monasterium ipsum habet ex restitutione et donatione Roberti de Say comitis Loretelli; ecclesiam Sancti Blasii cum hominibus et tenimentis suis in

(*a*) Legi quoque potest *Sancti Sosti.*

---

(1) Hanc consuetudinem tempore Normannorum jam usitatam fuisse notandum est.

territorio Sancte Catherine, que habet idem monasterium ex donacione Nidde domine ejusdem terre; ecclesiam Sancti Leoncii cum casali suo cum immunitatibus et pertinenciis suis; ecclesiam Sancti Fantini in pertinentiis Stili; ecclesiam Sancti Nicolai de Trivio in pertinentiis Regii cum omnibus juribus et pertinentiis suis quas Tankredus (*a*) illustris rex Sicilie predecessor noster eidem monasterio concessit pro excambio casalis Comitis; in Apulia ecclesiam Sancti Nicolai de Casella in territorio Bagni (*b*) cum juribus et libertatibus suis, quam idem monasterium habet ex donacione Gaufridi comitis Alesyne; possessiones Vallis longe cum pertinenciis suis in territorio Arenarum quas monasterium ipsum habet ex donacione Johannis de Arenis. Concedimus quoque tibi prefato abbati et ipsi monasterio in perpetuum confirmamus tenimentum quod dicitur Catanachia in tenimentis Stili et aliud tenimentum quod dicitur Multra et tenimentum Sancti Georgii quod in excambium cujusdam possessionis ejusdem monasterii per venerabilem Squillaciensem episcopum idem monasterium noscitur possidere. Concedimus etiam et presenti pagina nostra sanctimus, sicut id per jamdicti patris nostri et aliorum supradictorum felicium progenitorum nostrorum privilegia est indultum, ut nulla ecclesiastica secularisve persona, nullus comitum vel baronum, nullus justiciariorum vel officialium nostrorum homines dicti monasterii commorantes in supradictis eorum casalibus sive locis vel alibi ubicumque aut eorum pariclas ad angariam trahat, vel eas sortium facere aut exhibere compellat, neque committat aliqua infestacione vel exactione gravare, sed hiis consuetudinibus, libertatibus et immunitatibus idem monasterium cum dictis suis hominibus gaudeat et utatur que sibi a nostris progenitoribus sunt indulta et a temporibus regis Rogerii, regis Guillelmi felicis recordationis usque ad hec felicia tempora nostra uti sine gravamine (*c*). Si quis autem contra hoc nostre concessionis et confirmationis edictum temere venire presumpserit, preter penarum solutionem contra progenitorum edictum, sicut in eisdem privi-

(*a*) In membrana *Thranckedus.*

(*b*) Legi quoque potest *Banei.*

(*c*) Deest verbum *consuevit* vel hujusmodi.

legiis plenius continetur, nostre indignationem majestatis incurret. Ad hujus autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum, presens inde privilegium per manus Aldoyni notarii et fidelis nostri scribi et nostre majestatis sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data in urbe felici Panormi per manus Gualterii de Pallena venerabilis Cathaniensis episcopi et regni Sicilie cancellarii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, mense aprilis, quintedecime indictionis, regni vero domini nostri Friderici, Dei gratia illustrissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, anno quartodecimo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum rex, monasterium de Weingarten ab antecessore suo Welfone in honorem sacri sanguinis fundatum sub sua protectione suscipit, eique confirmat libertates et privilegia quorum plura sibi specialiter fuerunt praesentata. Ulmae, 17 maii 1218.

(Adest in archivo Stuttgartensi pergamena prorsus adulterina, sicut privilegiorum Winegartensium pars major, monachis chartas istius modi conflare assuetis, dum se ab advocatorum jurisdictione immunes praetenderent. Praeterquam chronologicae notae omnino supposititiae videantur, si quis redactionis et scripturae formam et sigillum crassius inspexerit, fraudem uno oculorum ictu deteget.)

Datum Ulme, anno dominice incarnationis M. CC. XVIII, XVI kalendas junii, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiam Sancti Leonardi de Passeyer in montanis domui Sanctae Mariae Theutonicorum in perpetuum possidendam concedit. Apud Celina (??), 29 decembris 1218.

(Edit. in *Wiener Jahrbuch.*, 47 anzbl., p. 51, et ap. Hormayr, *Die Golden. chron.*, urkunden I, 3, non indicato fonte. Licet vir ille fortiter de sinceritate documenti contendat, nisi spurium, suspectum saltem sub ista forma habemus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Sicilie, omnibus hanc paginam inspicientibus nostri regni gratiam suam et omne bonum. Noverint universi presentes pariter et futuri quod nos ecclesiam Sancti Leonhardi Passyry (1) in montanis domui Teutonicorum Sancte Marie ob salutem anime nostre et remedium parentum nostrorum concessimus in perpetuum possidendam; statuentes ut quicumque ausu temerario prefatam domum in possessione predicte capelle gravare presumpserit, eidem centum marcas auri solvere teneatur. Hoc autem ut ratum in eternum permaneat et ne aliquis contravenire presumpserit, patrocinio sigilli nostri et charactere confirmamus.

Hujus rei testes sunt : Albertus Tridentinus episcopus, Bartholdus de Brihsin, Rupertus de Maliz comes, Albertus comes de Tyrol, comes Ulricus de Epan, Hugo de Tuvirs, Swigerus de Reichenberc, Waltherus de Vaz, Hildeboldus de Schwangau, Gebehardus de Starchenberch, dominus Albertus de Wangin et frater suus Beraldus, Otto de Montealbano, dominus Swigerus de Monte Albani, Bartholdus Tarant, Albertus de Magis et frater suus Marquardus, Berthungus de Magis (2).

Datum apud Celina (3), IV kalendas januarii, indictione VII, anno ab incarnatione Domini M. CC. XIX.

Erfordiae, 25 martii 1220.

Fridericus, Romanorum rex, ad exemplum patris et patrui sui ecclesiam in Luseniz (Lausnitz) in protectionem suam recipit, eique pacem et bona omnia confirmat.

---

(1) Scilicet *S. Leonard de Passeir*, in Alpibus.

(2) Sunt omnes Tyrolenses seu Bavari testes, nostra sententia suppositii.

(3) In antiquiore exemplari Hormayr legit sive proponit *apud Ulmam;* nomen magis notum fatemur, non tamen rectius itinerario conveniens.

(Edit. ap. Schultes, *Director. diplomat.*, t. II, IV Theil, p. 545, ex apographo quod dedit sicut ipsi communicatum fuerat.)

Fridericus II, Dei gracia Romanorum rex, semper augustus, rex Sicilie, etc. Notum esse cupimus quod sequimur vestigia patris nostri imperatoris Henrici bone memorie et avunculi (*sic*) regis Philippi qui ecclesiam in Luseniz quovis modo et benevolentia dilexerunt. Illam etiam in protectionem recepimus et ab omni exactione liberam esse volumus. Confirmamus igitur eidem ecclesie regali auctoritate pacem perpetuam, concedimus et confirmamus omnia bona que dicte ecclesie a fidelibus nostris collata sunt aut in futurum ad eam pervenire possint. Prohibemus ut nulli hominum liceat bona ecclesie perturbare aut molestare presumat, etc. (*sic*).

Testes hujus rei sunt : Sifridus archiepiscopus Moguntinensis, Albertus archiepiscopus Magdeburgensis, Engelhardus episcopus Nuemburgensis, Otto episcopus Herbipolensis, Theodericus marchio in Misnia, Ludowicus landgravius Thuringie, Henricus comes de Anhalt et frater ejus Albertus, Gunterus de Schwarzburc, nobiles Hartmannus et Hermannus de Lobedeburc, Theodoricus burgravius de Kirchberc, Heinricus advocatus de Wida et frater ejus Henricus de Coldiz.

Datum Erpfordie, die conceptionis Domini M. CC. XX, indictione VII (VIII) (1).

Fridericus, Romanorum rex, ecclesiae sanctimonialium in Hausdorf indulget ut si quis ministerialium suorum commutando, vendendo vel dando eidem ecclesiae prodesse voluerit, super hoc plenam habeat licentiam. [1219 vel 1220.]

---

(1) Forsitan vice *die conceptionis* legendum *anno incarnationis;* forsitan quoque numerus arabico modo ap. Schultes expressus in 1218 mutandus, quo anno mense decembri Fuldensem curiam Fridericus celebravit. Sinceri demum, ut arbitramur, testes curiae Goslariensi, julio 1219, sat bene convenirent. Caeterum de hoc falso seu deturpato instrumento fusius agere supervacaneum duximus.

(Edit. ap. *Thuring. sacra, Monum. monast. Heusdorf.,* p. 337.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex, semper augustus, et rex Cicilie. His que ad commoditates et promotiones ecclesiarum cedunt debitum adhibere intendentes favorem, regie serenitatis benevolentiam ad earum sublevationem impertire minime denegamus. Quapropter universitas fidelium noverit quod nos ex regia pietate ecclesie sanctimonialium in Husdorff (1) duximus indulgendum ut si qui ministeriales nostri de mansis, agris, vineis, lignis aut quibuscumque possessionibus suis commutando, vendendo vel dando prodesse voluerint ecclesie antedicte, auctoritatis nostre super hiis plenam habeant licentiam et invariabilem nostri favoris assensum. Hanc igitur concessionem nostram ut cunctis obtineat temporibus firmitatem, presentis privilegii patrocinio communimus.

Hujus rei testes sunt : Otto Herbipolensis episcopus, Otto major prepositus, Hermannus et Hermannus (*sic*) de Lobedeburg, Hartmannus et frater ejus de Saleburg (Hartzburg?) et Heinricus de Berckawe (2).

. . . .

---

(1) *Hausdorf* sive *Heusdorf*, feminarum conventus, nominatus quoque *Petra Sanctae Mariae* in diplomate Philippi Romanorum regis, dato ap. Erfordiam, 2 octobris 1207 (*Ibid.*, p. 333), prope Apoldam in districtu Ienensi situs erat.

(2) Diverso quidem calamo privilegii illius tenor in *copiario* exprimitur; quorum alter annum MCCLXII adjunxit, alter testibus nominatis temporis rationem nullam habuit, ut docent ipsi *Thuringiae sacrae* editores. Nos vero in incerto derelicti, cui sit tempori adscribendum decernere non valemus, quum insuper testes ex quodam Ottonis privilegio desumptos arbitremur.

INDEX DOCUMENTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE EXHIBENTUR SIVE MEMORANTUR.

1200		integras Sanctae Mariae de Roboregrosso, molendinum quod dicitur de Turrecta in tenimento Paternionis et domum quae est juxta ecclesiam Sancti Cataldi in tenimento eodem. 62
nov.	In urbe felici Panormi.	— Stephano Pactensi episcopo qui pro servitiis suis Gualterio cancellario suo XVII millia tarenorum liberaliter exhibuit, medietatem terrae Nasi quam Abbas de Guerras et Pisanellus Pisanus proditores tenuerunt, concedit et donat cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis. 63
dec.	In urbe felici Panormi.	— Januensibus et hominibus de districtu Januae a Porto Venere usque Monachum concedit juris, dationis et pedagii immunitatem, consulatum et curiam in toto regno Siciliae, domos in Messana, Syracusia, Trapano et Neapoli, libertatem extrahendi frumentum et victualia, securitatem in rebus et personis, exceptis tantum praedonibus et cursalibus, quamdam judicii formam in curia regali et pro omnibus Januensibus incarceratis absolutionem. 64 et 65
dec.	In urbe felici Panormi.	— Abbati Sancti Stephani de Nemore et successoribus ejus concedit et perpetuo confirmat universa tenimenta, possessiones et omnia alia quae in Policio et tenimentis ipsius monasterium istud justo titulo tenet et possidet. 67
dec.	In felici Panormo.	— Canonicis Panormitanis pro gratis eorum servitiis titulo venditionis et in proprios ipsorum usus concedit terram quae dicitur Sabucum, pro qua suae curiae XXV millia tarenorum solverunt; si quid ipsa terra pluris aliquo tempore valere dignoscatur, id eisdem dimittens. 68
1201		
junio.	In urbe Panormi.	— Voluntatem patris sui exsequens, Berardo archiepiscopo Messanensi et ecclesiae ejus in dedicationis dotem Calatabianum cum justis tenimentis et pertinentiis donat et confirmat. 76
junio.	Panormi.	— Johanni episcopo Cephaludensi et ecclesiae ejus concedit totum illud quod de portu Cephaludi curia sua usque ad tempora matris suae tenuit, item et castellum Pollinae, tenimentum Odesver et tenimentum Harsiae cum omni jure et libertate eorum. 77
. . . . .	. . . .	— Universis mundi principibus conqueritur quod pupillus et innocens in servitute teneatur, dum haereditarium regnum suum invasores alienigenae opprimant, rogatque ut in suum auxilium insurgant reges, sibimetipsis similia formidantes. 78

1202		
februar.	In urbe felici Panormi.	— Universis hominibus Calatageronis consuetudines et bonos usus eis a praedecessoribus suis indultos confirmat, conceditque ut de ducentis quinquaginta marinariis quos annuatim dare consueverant, nonnisi centum quinquaginta tribuere de caetero teneantur. 85
decemb.	In urbe felici Panormi.	— Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem donat casale Meserellae in tenimentis Cephalae et domui Sanctae Trinitatis Panormi ejusdem ordinis confirmat quaecumque parentes sui ei concesserunt, superaddens licentiam introducendi, vendendi et extrahendi sine datione aliqua per totum regnum quaecumque fratres pro servitiis ipsius hospitalis voluerint. 95 et 96
1204		
octobri.	In felici urbe Panormi.	— Confirmat privilegium ab Henrico imperatore patre suo fratribus hospitalis Sancti Thomae de Barolo de ordine Theutonicorum indultum de terris laboratoriis in tenimento Cannarum et de ecclesia Sancti Nicolai de Riula, necnon duo alia privilegia a se ipso eidem hospitali concessa; dat insuper terram quamdam demanii sui cum confirmatione bonorum omnium, exemptionibus et jure fori. 110
1205		
aprili.	In urbe felici Panormi.	— Concessiones hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum a se prius factas renovat, addito quod domui Sanctae Trinitatis de Panormo villanos casalis Politii et quasdam terras ibidem designatas donat in perpetuum. 113
aprili.	In urbe felici Panormi.	— Ad preces Eusebii abbatis Sancti Nicolai de Gurguro et conventus ejusdem, paupertati eorum compatiens, concedit in perpetuum ut in flumine quod dicitur Habes molendinum ad opus ipsius monasterii construatur et libere teneatur. 114
octob.	In urbe felici Panormi.	— Mansoni Capuano de Amalphia [fratri Petri cardinalis Sancti Marcelli] balneum ad manus suas devolutum in civitate Amalphiae et terram vacuam donat et confert. 116
1206		
januar.	In urbe felici Panormi.	— Fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum apud Jerusalem concedit et in perpetuum donat totum quod habet in demanio apud casale Tussanum inter Salernum et Ebulum. 911
martio.	In urbe felici Panormi.	— In honorem beatae Virginis monasterio de Monte Virginis concedit ut usque ad sex curbas ad curbam Capuae de tenimento Magdalonis in foresto demanii sui tantum habere possit, ad faciendam ibi ecclesiam cum aedificiis et caeteris commoditatibus. 116

1210		
sept.	Platiae.	— Ecclesiae Sancti Andreae de Platia quae est obedientia ecclesiae Dominici Sepulcri perpetuo relaxat triginta et octo salmas victualium, quas ipsa ecclesia annuatim curiae suae solvere tenebatur. 176
octobri.	Aidone.	— Ad preces Guillelmi Orlientiensis, magistri domus militiae Templi in Sicilia, remittit in perpetuum unciam unam auri et sex salmas frumenti et ordei, quas domus ejusdem militiae quae est in Aydone curiae suae annuatim solvere tenebatur. 177
octobri.	Calatagironi.	— Ad supplicationem Roberti prioris Sanctae Mariae de Aydone, huic ecclesiae varia casalia confirmat, eique relaxat octo salmas frumenti et totidem hordei quas doanae suae solvere consueverat. 178
27 nov.	Catanae.	— Ad preces Ursonis Agrigentini episcopi, jubet ut episcopo ejusque dioecesis clericis omnes immunitates ac privilegia quae a tempore regis Guillelmi secundi habere consueverunt integre serventur. 180
decemb.	In urbe felici Panormi.	— Ecclesiae Panormitanae concedit duas novas praebendas sexcentorum tarenorum in redditibus tunnariarum suarum Panormi annis singulis percipiendorum, statuens ut isti duo canonici cum viginti canonicis ecclesiae communia in honoribus et proventibus sortiantur. 180
1211		
januar.	In urbe felici Panormi.	— Parisio Panormitano electo et ecclesiae ejus concedit omnes judaeos civitatis Panormi et totam tinctam suam cum fundico et omni jure; statuens ut redditus tam judaeorum quam tinctae archiepiscopus cum canonicis tantum dividat cum quibus caeteros redditus doanae suae ad ipsam ecclesiam pertinentes dividere consuevit. 182
15 jan.	Panormi.	— Caro archiepiscopo Montis Regalis familiari suo licentiam concedit capiendi in personis et bonis sarracenos, qui ecclesiae ejus obligationes quibus tenentur contumaciter denegant, et eos compellendi tam apud Panormum quam ubicumque ipsos receptos invenerit. 184
martio.	[Apud Messanam.]	— Berardum Messanensem archiepiscopum et ecclesiam ejus sub sua protectione recipit, confirmatque omnes redditus ejus et jura, specialiter jardinum suum Messanae, decimam portus et gabellarum Messanae, terras quae sunt in plano Milatii et casalia varia ibidem nominata. 185
aprili.	In civitate Messanae.	— Parisio Panormitano electo et ecclesiae ejus concedit et confirmat decimas omnium tunnariorum suorum Panormi,

1212		
5 oct.	Hagenowe.	— In favorem Sifridi archiepiscopi Moguntini et Apostolicae Sedis legati qui sub gravi periculo et labore ac multis sumptibus sibi servivit, ei ejusque successoribus omnia bona dimittit, quae vel progenitores sui vel alii imperatores aut reges ab ecclesia tenuerunt sive alias occupabant. 223
5 oct.	Hagenowe.	— Pro gratis servitiis dilecti amici sui Lupoldi Wormaciensis episcopi, universis bonis quae vel progenitores sui vel imperatores aut reges ab ecclesia Wormatiensi et abbatia Laurissensi (de Lorsch) tenuerunt, libere et absolute renuntiat. 225
19 nov.	Apud Tullum.	— Cum Philippo Francorum rege talem init confoederationem, scilicet quod cum Othone dicto imperatore, Johanne rege Angliae eorumque auxiliatoribus manifestis nullam faciet pacem sine assensu ejusdem regis Francorum. 227
		Fridericus Romanorum et Siciliae rex :
21 nov.	Wormaciae?	— Capitulo ecclesiae Sanctae Mariae in castro Troynae scribit se clerico Nicolao de Avenia vacantem in eorum ecclesia canonicatum contulisse. 228
3 dec.	Wormatiae.	— Mandat capitulo regiae cappellae Panormi se Johanni de Sulmona notario et fideli suo locum concessisse quem olim magister Gratianus in ipsa capella habebat. 228
11 dec.	Apud Moguntiam.	— Donationem hospitalis de Ellingen ecclesiae de Perthersgaden ab avo et patre suo factam ratam habet et confirmat. 231
decemb.	Spirae.	— Berardo archiepiscopo Barensi pro gratis ejus servitiis concedit et confirmat et ecclesiae ejus Bitrictum, Meduneum, canale in terra Bari quod est sub monte Joannatio, Latertiam, terram juxta murum civitatis Barensis et campum ad faciendas apothecas. 232
[dec.].	Spirae.	— Guillelmo de Marino feudum dictum Gualtieri in tenimento Milatii concedit. 234
. . . . .	. . . .	— Simoni de Calvello civi Panormitano terras de Pantano quae sunt in tenimento Milatii prope Montemfortem denuo concedit et confirmat. 234, not. 1.
1213		
2 jan.	Apud Hagenaugiam.	— Ad postulationem Henrici abbatis monasterii Montis Angelorum in episcopatu Constantiensi, possessiones et immunitates ejusdem abbatiae confirmat, denuntiata in invasores seu pertinaces excommunicationis formula. 234

1214		
		manus suas resignavit, perpetuo proprietatis titulo donat possidendam. 301
10 junii.	Apud Egram.	— Monasterium Waltsassen situm in praedio suo in specialem suam protectionem suscipit, illique privilegia antecessorum suorum, in primis privilegium patris sui Henrici imperatoris super libertate ab advocatia et a judiciaria potestate, etc., renovando confirmat. 302
26 junii.	Apud Ulmam.	— Memorat confirmationem praedii de Runstal, primo in Sicilia, secundo in Alemannia monasterio de Salem a se factam, et declarat se nulli hominum nec specialiter duci Zaringiae praedictum praedium unquam concessisse seu concessurum esse, nisi tantum fratribus de Salem. 304
. . . . .	[Ulmae in publica curia.]	— Confirmat venditionem ab Henrico de Randecge Eberhardo abbati Salemitano factam de quibusdam possessionibus in Phaphinhoven, Lugin, Bilolvingen pro CCCXXX marcis, de consensu Hugonis comitis Montisfortis ejusdem Henrici domini. 305-306
27 junii.	Ulmae.	— Chunrado episcopo Brixinensi ejusque successoribus in episcopatu eorum argentifodinas confirmat jam a patruo suo rege Philippo illis concessas; vult tamen et ipse rex in proventibus ad medium participare. 307
27 junii.	Ulmae.	— Domui Sanctae Mariae Theutonicorum apud Donaverdam capellam juxta pontem Danubii exstructam donat et concedit. 308
28 junii.	Ulmae.	— Ad imitationem patrui sui Friderici ducis Suevorum, monasterium de Petridomo situm in littore Rheni apud Constantiam cum universis ejus bonis in specialem protectionem suam recipit. 309
19 julii.	Apud Wormatiam.	— Civibus de Cameraco omnia jura, libertates, consuetudines bonas et privilegia ab avo et patre suo eis indulta confirmat et concedit. 310
2 sept.	Apud Worsele.	— Henrico duci Lotharingiae et filio ejus de consensu principum imperii confert in feudum Trajectum et res omnes ad eamdem urbem attinentes, ut cum aliis feudis ipsorum hoc amodo ab imperio teneant. 311
2 sept.	Apud Worsele.	— Henrico duci Lotharingiae promittit quod oppidum Trajectense quod ei in feudum dedit a comite de Los redimet et usque ad octavam Paschae restituet, atque super hac promissione fidejussores ibi nominatos constituit. 312

1214		
5 sept.	In castris ap. Juliacum.	— Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem concedit ut quicumque aliquid de bonis imperii possidet nomine feudi, libere quantum voluerit ex eisdem memorato hospitali conferre valeat. 313
18 sept.	In castris sub castro Landscron.	— Gerichuino de Sinzig promittit quod quum primum castrum Landscron recuperaverit, palatium castri et castrum ipsum ei custodiendum committet, confirmans insuper eidem quaedam bona in Westhumb et officium in Sinzig. 315
23 oct.	Apud Spiram.	— Ecclesiae fratrum Sancti Sepulcri apud Spiram Dietbrucgen dictae, ecclesiam Kircheim cum decimis villarum illuc pertinentium et nominibus expressarum donat, illamque monasterio Denkendorf subjicit. 320
21 nov.	Apud Basileam.	— Juri suo quod habere videbatur in advocatia Wilmarzell, in advocatia Seleden, in curti Riegel, in curti Herboltzheim et in advocatiis earumdem ecclesiarum renuntiat, et Henrico episcopo Argentinensi ejusque ecclesiae resignat omnem justitiam et jurisdictionem praedictarum possessionum. 321-322
22 nov.	In curia Basiliensi.	— Denuntiat coram se in curia Basiliensi judicatum fuisse quod juste destruere debeat castrum Lichtenberg, a comite de Veldenz in allodio Sancti Remigii Remensis injuste constructum. 323
22 nov.	Apud Basileam.	— Notam facit compositionem inter se et nuntios civitatis Astensis initam, qua eidem civitati castrum Noni (Annone) cum ejus pertinentiis obligat pro mille marcis argenti a se persolvendis. 324
23 nov.	Basileae.	— Humberto archiepiscopo Viennensi et hujus ecclesiae canonicorum conventui Viennam committit cum Pupeto, canalibus et palatiis necnon et castrum Sancti Theuderii cum pertinentiis ejus et omnia a quibuscumque eidem ecclesiae translata; praedictoque archiepiscopo praeter archicancellariatum in regno Burgundiae, amplissimam jurisdictionem et regalia jura concedit. 324-325
23 nov.	Apud Basileam.	— Humberto Viennensi archiepiscopo sacri palatii in regno Burgundiae archicancellario ejusque successoribus et conventui canonicorum Sancti Mauricii pedagium apud Viennam concedit, ut a transeuntibus duodecim denarios pro singulis chargiis eis liceat accipere. 328
23 nov.	Apud Basileam.	— Ad preces Desiderii Diensis episcopi, Brunoni episcopo Vivariensi ejusdem Desiderii fratri et ecclesiae Vivariensi jura,

1215		
3 maii.	Apud Andernacum.	— Ad recompensanda damna quae pro servitiis suis ecclesia Magdeburgensis perpessa est, Alberto ejusdem ecclesiae archiepiscopo castrum Schopau et in campis hujus castri villaeque Osterhausen centum viginti mansos perpetuo jure donat, quod et quos comes Burchardus de Mansfeld in manus suas resignavit. 378
3 maii.	. . . .	— Comiti Burchardo de Mansfeld duodecim mansos in villa Clozenburg (Closchwitz) confirmat, in concambium duodecim mansorum quos apud Frankenrode in proprietatem imperii idem comes donavit. 380
19 maii.	Frankenvort.	— Philippo de Bolanden, Hugoni de Starkinburg, sculteto in Neirstein, universisque ministerialibus in Ingilnheim, Gerinsheim et Neirstein constitutis, ad querelam capituli in Frankenfort mandat ut nonam partem proventuum de bonis imperialibus in praedictis tribus villis ei integraliter assignent et ablata restituant. 382
29 maii.	Ap. Lutram.	— Conventui in Otterberg Cisterciensis ordinis confirmat donationem quorumdam bonorum in Santbach ab Ulrico quondam majore praeposito Wormatiensi eidem ecclesiae factam: quae bona Wernerus Kolbo frater ejusdem Ulrici monasterio resignavit et reddidit. 383
2 junii.	Ap. Lutram.	— Fideli suo Reinhardo de Lutra pro devoto ejus servitio jus patronatus ecclesiae Ramstein et filiarum Wilrebach et Spechbach in rectum feudum concedit. 384
20 junii.	Ap. Ulmam.	— Monasterii in Weingarten possessiones et jura omnia confirmat, decernens quid in jure censualium sive morticinorum eidem ecclesiae cedere debeat, si homo ecclesiae sine haerede aut haerede relicto defunctus fuerit; jus simul ejusdem monasterii de novalibus in sylva Altorfensi excultis diffinit. 386
20 junii.	Ap. Ulmam.	— Coenobium de Lorch a progenitoribus suis fundatum cum personis et universis bonis ejus sub speciali sua recipit protectione, et advocatiam ejusdem coenobii nunquam alienandam in manus suas retinet. 388
21 junii.	Ulmae.	— Claustrum Roth cum personis et omnibus pertinentiis ejus sub speciali sua tuitione recipit, quidquid ministeriales sui eidem ecclesiae contulerint concedit, eique confirmat bona et allodium in manus suas resignata. 389
8 julii.	Apud Hagenoviam.	— Bona monasterii Hirsaugiensis in sua protectione suscipit et advocatiam ipsorum bonorum a manu sua nunquam alienandam promittit. 391

1215		
24 sept.	Hagenowiae.	— In protectione sua recipit monasterium et fratres Locedii in Montisferrati partibus cum omnibus eorum possessionibus, juraque concedit piscandi, pascendi, vendendi, alienandi necnon immunitatem sacramenti calumniae, pedagiorum et fodri imperialis. 422-423
26 sept.	Hagenowiae.	— Ad petitionem burgensium Cameraci fidelium suorum, leges, jura universa atque libertates, privilegia et consuetudines quibus sub avo et patre suo usi sunt, eis confirmat. 425
sept.	. . . .	— In recompensationem duorum sarcophagorum porphyreticorum quos ab ecclesia Cephaledensi ad Panormitanam transferri jussit pro sua et patris sui sepultura, Johanni episcopo Cephaledensi et ecclesiae ejus dat feudum dictum de Cultura seu Cuctura. 426-427
11 oct.	Ap. Spiram.	— Omne jus suum quod in Sora, Rocca Sorella, Arpino, Arce, Fontana, aliisque possessionibus Riccardo comiti Sorano papae Innocentii tertii germano concesserat, Romanae Ecclesiae concedit et donat, ita quod iste comes et haeredes ejus haec omnia ab Ecclesia Romana duntaxat de caetero teneant. 427
20 oct.	Hagenowiae.	— Domui Sanctae Mariae Theutonicorum concedit et donat domum suam in Brundusio, Margariti domum dictam, cum balneo et omnibus attinentiis, exceptis tamen et ad servitium regium reservatis theloneo et moneta quae in eadem domo exercebantur. 428
10 dec.	Apud Nuremberg.	— Commutationem factam inter Ratisponensem episcopum et Elwacensem abbatem de castris Baldern et Mern confirmat; ita ut in antea castrum Baldern solummodo, scilicet sine omnibus attinentiis, sit Elwacensis ecclesiae et castrum Mern similiter sine omnibus attinentiis sit ecclesiae Ratisponensis. 431
22 dec.	Ap. Egram.	— Cum episcopo et ecclesia Ratisponensi hoc concambium init ut episcopus imperio donet civitatem Nordlingen et villam Orngau cum praepositura hujus loci, e converso autem a rege duo monasteria sanctimonialium Ratisponae inferius et superius recipiat, cum proprietate, advocatia et attinentiis eorum. 432-433
. . . . .	. . . .	— Ad querelam monachorum Halsprunnensium jubet ut nullus in curiis eorum placita statuere praesumat, et vastatoribus rerum monasterii mandat ut coram butigelario de Nurnberg compareant responsuri. 434

1215		
. . . . .	. . . .	— Locum Wechterwincle ex petitione Cunradi praepositi et omnium monialium contra infestationes malorum in protectionem suam suscipit. 435
1216		
. . jan.	Gelnhausen.	— Confirmat donationem curtis Riedern apud Francfort factam conventui de Aulisburg a Paulina vidua Wolframi quondam sculteti in Francfort necnon et a filio et nepte ejusdem Paulinae, pro quadam annua pensione ibidem expressa. 436
23 jan.	Apud Hagenowiam.	— Domus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum concedit in feudum ut magister ordinis qui pro tempore fuerit in familia curiae imperialis sit adscriptus et ipsi cum uno socio et sex equitaturis in omnibus provideatur. Concedit insuper ut continue duos fratres cum tribus equitaturis pro utroque curia imperii habeat et ipsis provideat. 438
30 jan.	Hagenowiae.	— Domui fratrum Theutonicorum capellam castri in Nuremberg donat, quae post obitum Chunradi tunc ibidem capellani ad usus eorumdem in omnibus pertineat. 440
februar.	Hagenowiae.	— Confirmat hospitali Hierosolymitano in civitate Aurasica quidquid Tiburgis, Wilhelmus et Raimbaudus de Aurasica eidem hospitali concesserunt necnon compositionem factam inter hanc domum et Guillelmum de Baucio de medietate civitatis Aurasicae. 441
12 mart.	Ap. Sanctum Naborem.	— Ad preces fidelis sui Reinhardi de Lutra, concedit ut per totum patrimonium suum in Lutra in quo dictus Reinhardus ratione feudi teloneum accipere consuevit, coenobium de Wadegozin (Wadgassen) libere transire et res suas sine omni teloneo traducere debeat. 442-443
14 mart.	Ap. Sanctum Naborem.	— Abbatiam Villariensem (Villers-Betnach) in dioecesi Metensi ab omni teloneo tam in terra quam in aquis per totum imperium eximit. 444
16 mart.	Ap. Sanctum Naborem.	— Ecclesiam de Wadegoz (Wadgassen) confirmat in possessione cujusdam molendini in curia Burgalben prope Lutram, vetatque ne ullus officiatorum suorum praedictam ecclesiam super hoc molendino molestare praesumat. 444
20 mart.	Haguenau.	— Principibus et magnatibus inferioris provinciae mandat ut cives Aquenses in ea libertate quam a tempore Caroli Magni habere consueverunt, manuteneant, nec aliquod gravamen super exemptione thelonei eis inferri permittant. 446
martio.	Haguenau.	— Monasterium Sancti Salvatoris de Messana ad hortatum papae Innocentii tertii sub regia sua protectione suscipit ei–

1216		siclae, doanae et aliorum reddituum civitatis Brundusii singulis annis percipiendas donat et concedit, in excambium cujusdam tenimenti quod ab hospitali ipso in Alemannia recepit. 488
decemb.	Apud Nuremberg.	— Berardo archiepiscopo Panormitano et ecclesiae ejus concedit et confirmat in perpetuum Perisium, Padhormum et Giracellum cum tota terra quam tenuit Rogerius Achmet, tam in tenimento Castri Joannis quam alibi, cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis. 490
1217 21 jan.	Apud Nuremberg in solemni curia.	— Ulrico Pataviensi episcopo feudum vexilli a Ludowico duce Bawariae resignatum confert; quod deinceps dux Bawariae non ab imperio, sed ab ipso episcopo ejusque successoribus ratione feudi recipiat et possideat. 493
25 jan.	Apud Nuremberg in solemni curia.	— Ulrico Pataviensi episcopo et ecclesiae ejus comitatum praediorum hujus ecclesiae per Ylsgowe (Ilsgau) loca sitorum, a duce Bawariae resignatum confert. 495
17 feb.	Ulmae in curia solemni.	— Ad supplicationem Hermanni magistri domus Sanctae Mariae Theutonicorum, ei et domui ejus renovat et confirmat donationes a patre suo et a seipso in regno Siciliae factas, specialiter circa partes Baroli et Brundusii. 917-918
februar.	Ap. Ulmam.	— Hominibus Sancti Miniatis fidelibus suis concedit et donat in perpetuum burgum Sancti Genesii cum omnibus pertinentiis et rationibus ejus, statuitque ut iter stratae per terram Sancti Miniatis ire debeat. 497
februar.	Ulmae.	— Abbati Sancti Galli ministerialibus ejusdem ecclesiae et civibus de Wangen promittit quod advocatiam in Wangen ad manus suas perpetuo habebit, nec ullo unquam tempore ad manus alienas nisi regias illam transferri permittet. 499
[febr.]	Ulmae.	— Quum fratres monasterii de Salem in praedio eorum Voltingen juxta lacum molendinum construere proponant, locum ipsum licentiat, concedit et sub speciali protectione sua confirmando recepit. 500
. . . . .	. . . .	— Omnibus scultetis Sueviae mandat ut in domibus conventus de Salem nihil exigere praesumant, cum ad opus suum per civitates et suburbia sua collectae fiunt. 501
16 ? feb.	Spirae.	— Concessionem confirmat quam pater suus Henricus sextus abbatiae Uterinae vallis (Eussernthal) juxta Anweiler de pertinentiis ejusdem abbatiae fecit. 502
10 mart.	Boppardiae.	— Coenobio Sanctae Mariae in Otterberg confirmat donationem a Bertholfo milite de Gerswilre eidem coenobio factam,

1218			
		eisque concedit et confirmat libertates quibus Bertholdus dux Zaringiae quum burgum de Berno construxit, sicut et Conradus dux Zaringiae quum Friburgum in Burgau construxit, eos donavit.	541
[circa april.]	. . . .	— Ecclesiam Sancti Sepulcri in Spira in suam regalem suscipit protectionem, statuitque ut si quid contra eamdem vel pro ea natum fuerit quaestionis, ad majorem praepositum Spirensem corrigendum referatur.	543
1° junii.	Apud Esmanciam.	— Notificat concordiam in praesentia sua factam inter Blancam comitissam Trecensem et filium ejus ex una parte et Theobaldum ducem Lotharingiae ex altera, cum forma emendae ab eodem duce faciendae, si quid mali per eum aut per homines ejus eidem comitissae eveniat.	545
20 junii.	Apud Wirceburg?	— Terram in oppido Tremoniae adjacentem ad constructionem officinarum monasterii Sanctae Catharinae donat, claustrum ipsum cum omnibus bonis ejus in sua speciali protectione suscipit et advocatiam sibi et successoribus suis reservat.	550
12 julii.	Apud Wirceburg.	— Confirmationem renovat donationis a patruo suo rege Philippo domui Sanctae Mariae Theutonicorum factae, de medietate patronatus ecclesiae de Morle ac de medietate patronatus ecclesiae de Holzburc (Holzberg).	551
22 julii.	Apud Wimpinam.	— Promulgat sententiam principum et magnatum imperii, latam super jurisdictione fori annualis vel septimanalis, in aliquo loco per chirothecam a se concessi.	552
1° aug.	Wimpinae.	— Ratam habet donationem de abbatia Sanctae Mariae Pataviae (Nidernburg) a praedecessoribus suis et ab Heinrico VI patre suo ecclesiae cathedrali Pataviensi factam, recepto in concambium praedio Maerdingen.	553
10 sept.	Ap. Ulmam.	— Monasterium Faucense sub speciali sua et imperii protectione recipiens, confirmat et restituit illi provinciam Aschowe et quinque curtes nominatas, salvo sibi omni servitio quod progenitoribus suis erat exhibendum.	555
11 sept.	Ap. Ulmam.	— Monasterio Sanctae Crucis in Werda concedit et confirmat molendinum unum cum fundo suo, quod abbas et fratres de expensis suis de novo construxerunt in flumine Zusma vocato.	556
13 sept.	Ulmae.	— Sententiam archiepiscopi Trevirorum a curia sua confirmatam approbat qua deciditur se nec posse nec debere in civitate Basiliensi consilium instituere sine episcopi ejusdem	

1218		spectato provinciali judicio, praedictae ecclesiae judicium et justitiam de ablatis faciat. 572
[octob.]	Apud Nuremberg.	— Duo concambia monasterio de Waltsassen confirmat : primum quo Cuono et Henricus de Libenstein partem villae Conradsruoth pro curia in Crapitz tradunt; alterum quo Fridericus de Waltuorn praedium in Sconvelt et in Triebendorf pro sex praediis aliis tradit. 573
23 nov.	Malberg.	— Abbati et conventui de Tennebach praedium in Vilingen quod Wernerus de Rocginbach cum curte et molendinis eisdem donavit, auctoritate sua confirmat. 574
decemb.	Ap. Fuldam in solemni curia.	— Ad supplicationem Hermanni magistri praeceptoris domorum hospitalis Sanctae Mariae in Teutonia, eidem domui concedit et confirmat omnes concessiones et donationes a se ipso aut a quibuscumque aliis collatas, confirmans insuper eidem nominatim curiam Detern, sicut comes Adolfus eam dinoscitur concessisse. 576
decemb.	Ap. Fuldam in solemni curia.	— Ad supplicationem Hermanni magistri praeceptoris domorum hospitalis Sanctae Mariae in Theutonia, eidem domui concedit et confirmat omnes concessiones et donationes a se ipso aut a quibuscumque aliis collatas; confirmans insuper eidem nominatim patronatum ecclesiae Sanctae Mariae inter Judaeos in Maguntia, quem Wernherus de Bonlanden dapifer et Philippus frater ejus in suis manibus resignarunt. 578
26 dec.	Apud Francfort.	— Collationem a praeposito Aquensi et Trajectensi capitulo Sancti Servatii factam de parochia Sancti Johannis in Trajecto confirmat. 579
27 dec.	Apud Frankenfurt.	— Notam facit et confirmat sententiam in curia sua latam, videlicet quod Henricus dux Brabantiae de universis bonis quae de ejus ducatu moventur, de jure tutor omnium haeredum habeatur. 580
1219		
3 jan.	Apud Trevirem.	— Privilegium monasterio Waltsassen concessum renovans, sicut officiatum suum a consuetis judiciis in villis ejusdem monasterii suspendit, ita in omnibus advocatiis ejus hoc faciendum praecipit; simul etiam domum in Egra a Philippo rege ei concessam liberam esse declarat et beneficia a fidelibus suis oblata memoratae ecclesiae corroborat. 581
11 jan.	Hagenowae.	— Civibus Argentinensibus omnem quem contra eos conceperat rancorem remittit, conceditque ut quamdiu fideles sibi fuerint, non extra formam juris molestentur nec ullam super-

1219		
		impositionem dare cogantur, sed in omni jure quo temporibus praedecessorum suorum fruebantur consistant. 582
11 jan.	Hagenoviae.	— Praeposito, decano et capitulo ecclesiae Sanctorum Martyrum Felicis et Regulae apud Thuregum notum facit quod cum compererit servitium Dei in ecclesia Thuregensi deperire, propter quod quidam canonici extera beneficia possideant, se ad preces burgensium statuisse ut nemo ibi praebendam habeat nisi ad eamdem ecclesiam pertineat aut civitate sit oriundus. 583
12 jan.	Apud Hagenowe.	— Honorio papae scribit se propter difficilem exercitus christiani in Terra Sancta statum, omnibus crucesignatis terminum indixisse et in Fuldensi curia solemnem aliam curiam de hac re apud Magdeburg in media quadragesima convocasse. Hortatur papam ad excommunicationem intentandam eis qui ad festum Sancti Johannis Baptistae iter non arripuerint. 584
februar.	Apud Haguenau.	— Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem casale Miserellae in tenimentis Cephalae perpetuo concedit et specialiter domui Theutonicorum Sanctae Trinitatis de Panormo omnes villanos Politii, terram Artilgidiae, aliaque casalia ibidem expressa, cum confirmatione jurium et immunitatum in regno Siciliae. 586
februar.	Apud Haguenau.	— Domui et ecclesiae Sanctae Trinitatis apud Panormum renovat privilegium quondam a se ipso eidem concessum, de barca una ad usum piscandi in mari et in portu Panormi libere et sine aliquo jure vel datione. 588
februar.	Apud Haguenau.	— Domui Sanctae Trinitatis apud Panormum hospitale Sancti Joannis infirmorum committit, et praedicti hospitalis bonos usus et consuetudines confirmat. 590
10 feb.	Ap. Spiram.	— Pro gratis civium Astensium servitiis per totum districtum civitatis plenariam jurisdictionem eis concedit et confirmat, simulque universas consuetudines quibus uti consueverunt et omnia jura imperio attinentia. 592
19 feb.	Ap. Spiram.	— Roffino filio quondam comitis Roffini et Henrico filio quondam comitis Guidonis comitibus palatinis omnia jura et privilegia quae a praedecessoribus suis habuerunt confirmat, eos per ensem investit, concessionesque in eorum praejudicium cuicumque personae et maxime Gallino de Aliate Mediolanensi ab Ottone quondam imperatore indultas, omnino cassat et revocat. 595

1219		
21 feb.	Ap. Spiram.	— Nullam declarat alienationem communi Cariensi factam ab ecclesia Taurinensi de castello Montosoli sine consensu imperii a quo illud in feudum tenebat episcopus. 597
21 feb.	Ap. Spiram.	— Jacobo episcopo Taurinensi vicario et familiari suo facultatem concedit pecuniaria banna imponendi pro juribus et libertatibus ecclesiae suae tuendis. 598
21 feb.	Ap. Spiram.	— Guillelmo marchioni Montisferrati consanguineo et fideli suo per investituram concedit castrum Paciliani, castrum Torcelli, duo castra in ripa Padi quae vocantur Cuniolia cum burgo Paciliani et territoriis dictorum castrorum, juribus eorumque pertinentiis. 598-599
21 feb.	Ap. Spiram.	— Renovat commutationem ab avo suo Friderico factam cum conventu de Eberbach, scilicet insulam in Gimmensheim (Ginsheim) pro praedio quod idem conventus habuit in Durencheim. 600
23 feb.	Ap. Spiram.	— Bernardo Rolandi Rubei et Anzello judici Parmensi mandat ut ex parte sua sub poena banni duarum millium marcarum argenti, Ferrariensibus praecipiant ne per ipsorum districtum Mutinenses ire vel redire impediant. 602
23 feb.	Ap. Spiram.	— Episcopo Vercellensi controversiam inter episcopum et communitatem Iporediensem inquirendam et secundum jus decidendam committit. 603
25 feb.	Ap. Spiram.	— Ecclesiae Iporediensi omnem civitatis Iporediensis districtum donat, tradit et confirmat cum duabus curtibus ibidem nominatis, Obertoque episcopo et successoribus ejus causas diffiniendi et sententias executioni mandandi licentiam concedit. 603-604
25 feb.	Ap. Spiram.	— Episcopo Iporediensi ad preces quas sibi personaliter porrexit, permittit ut privilegium ipsi concessum litteris aureis transcribi et idem bulla aurea etiam muniri faciat. 605
25 feb.	Ap. Spiram.	— Burgensibus Iporediensibus notum facit se episcopo eorum ad praesentiam suam accedenti investituram dedisse comitatus et jurisdictionis civitatis Iporediensis cum omnibus ad comitatum eumdem pertinentibus circumcirca per tria millia, hortaturque ut eidem episcopo super his obediant. 605-606
februar.	Ap. Spiram.	— Ad petitionem ambaxatorum communis Imolae, privilegium eidem civitati a Friderico imperatore avo suo indultum confirmat, vetatque ne comitatus et episcopatus Imolae in toto vel in parte Bononiensibus aut Faventinis detur vel concedatur. 606

1219		
februar.	Ap. Spiram.	— Civitati Parmae regalia et consuetudines concedit ut ea habeat et exerceat sicut hactenus, cum plena jurisdictione tam in criminalibus causis quam pecuniariis; appellationes per nuntium suum in episcopatu Parmensi terminandas decernit et civitatis muniendae facultatem dat, cum aliis privilegiis ibidem expressis. 608
februar.	Ap. Spiram.	— Civitati Cremonae omnes concessiones eidem a Friderico avo suo et ab Henrico patre suo factas confirmat, eique specialiter renovat privilegium de concessione Cremae, insulae Folcheriae et terrarum citra Addam, de quibus ambaxatores communis Cremonae investit. 611
12 mart.	. . . .	— Brixiensibus, Veronensibus et Pergamensibus scribit quod quidquid cum ipsis a Cremonensibus in servitium et honorem suum tractatum et statutum fuisset, hoc ipse ratum et firmum habuisset. 611
18 mart.	Apud Hagenowe.	— Notum facit quod ex privilegio a se communi Parmensi indulto nullum vult detrimentum Opizoni episcopo et ecclesiae Parmensi contra suum propositum oriri. 611
21 mart.	Apud Hagenowe.	— Abbati et conventui de Tennebach decem solidos quos quondam Bertholdus dux Zaringiae de molendino ipsorum in Vilingen exigebat remittit, et pratum juxta grangiam ipsorum in Rocginbach confert. 612
21 mart.	Apud Hagenowe.	— Ecclesiam et praepositum de Lombriasco cum personis, rebus et possessionibus in sua speciali protectione recipit. 614
23 mart.	Apud Hagenowe.	— Comiti Gotifredo de Blandrato propter praeclara ejus servitia et haeredibus ejus, in rectum feudum concedit quinque denarios de pedagio apud Taurinum, quos pater suus Henricus sextus pro trecentis marcis comiti Rainerio de Blandrato obligaverat. 614
. . . . .	. . . .	— Comiti Guidoni de Blandrato fideli suo concedit et confirmat civitatem et comitatum Iporediae cum omnibus juribus et rationibus, necnon et villam Erasci cum jure suo; quae omnia quondam pater suus Henricus imperator comiti Rainerio de Blandrato, patri ejusdem Guidonis, jure compensationis concessit. 615
23 mart.	Apud Hagenowe.	— Alberto Magdeburgensi archiepiscopo et ecclesiae ejus in perpetuum donat omnes terras et provincias paganorum ultra Livoniam et circa ipsius terminos constitutas, quae ad fidem christianam conversae fuerint cum plena jurisdictione, etc. 617

1219		
16 junii.	Apud Nurimberg.	— Honorio papae grates agit quod litteras miserit pro curia generali in festo beati Johannis celebranda perutiles. Postulat ut negotia sua ab ipso papa finem obtineant optatum, hortaturque ne aurem detractoribus suis accommodet. 636-637
junio.	Apud Nurimberg.	— Ad preces Tancredi archiepiscopi Hydruntini, ei et ecclesiae ejus confirmat omnia privilegia a duce Rogerio, a Bohemundo patre et filio, a regibus Rogerio et Guillelmo secundo, a matre sua Constantia et caeteris indulta. 638
13 julii.	Apud Goslariam.	— Pro gratis et fidelibus servitiis burgensium Goslariensium, eis confirmat et renovat privilegia a praedecessoribus suis indulta, jura in his rescriptis sparsim notata colligit et inde corpus legum ordinat super negotiis civitatis administrandis. 643
15 julii.	Goslariae.	— Sententiam confirmat a Martino milite de Huthe coram Gherardo Bremensi archiepiscopo pro canonicis Sancti Anscharii in Brema latam contra Rolandum civem Bremensem super medietate cujusdam mansi. 649
julio.	Apud Goslariam.	— Abbati et fratribus de Walkenried jus concedit emendi et vendendi in civitate Northusen sine thelonei solutione, et ipsorum pecuniam apud burgenses quos elegerint in denarios convertendi, eosdemque immunes declarat ab omni tributo in usus imperii vel civitatis necessitatem applicando, excepto si fossata fodere et muros restaurare oportuerit. 650
julio.	Apud Goslariam.	— Notam facit commutationem bonorum inter comitem Helgerum de Honstein et conventum de Walkenried factam, scilicet de uno manso in Otstede quem conventus recepit pro uno in Sundhausen quem dedit. 650
julio.	Apud Goslariam.	— Monasterium Sanctae Trinitatis de Panormo, sicut hospitali Theutonicorum concessum fuit, in possessionibus ejus confirmat, et inter alia privilegia eidem hospitali concedit jus victualia monasterio necessaria per portas Panormi sine ulla datione introducendi. 651
22 julii.	Apud Northusen.	— Archiepiscopo, justitiario, judicibus et secreto Panormi mandat ut fratres domus Theutonicorum apud Panormum nec molestent nec permittant ab aliquibus molestari. 653
25 julii.	Apud Erfurth.	— Ad petitionem Theoderici marchionis Misnensis, monasterium et hospitale quae ipse marchio apud Leipzig fundavit roborat, omnesque possessiones quas habent vel legitime acquisierint confirmat. 654

1220		
10 febr.	Apud Hagenowe.	— Honorio papae promissionem renovat quod postquam fuerit imperii coronam adeptus, filium suum Henricum emancipabit, regnumque Siciliae ab Ecclesia Romana tenendum ei relinquet et usque ad legitimam ejus aetatem per personam idoneam gubernari procurabit; addito quod si filium suum absque haerede et germano mori contingat, eidem succedat in regno pro tempore vitae suae. 740
19 febr.	Apud Hagenowe.	— Honorio papae scribit se innovasse privilegium de regno Siciliae filio suo resignando, licet speret quod in vita sua de benignitate pontificis hoc regnum tenendum habebit; notum facit quid egerit de negotio Terrae Sanctae et quomodo in tali proposito poterit retardari, etc. 741
24 febr.	Apud Spiegelberg.	— Inhibet ne Wernerus de Bolanden sive quilibet alius Herdensem ecclesiam in aliquibus bonis suis inquietare praesumat. 744
29 feb.	Apud Hagenowe.	— Papam rogat ut Firmanos cogat ad quaedam ablata mercatoribus Bononiensibus restituenda; seque excusat quod Firmanis tanquam civitati imperii mandata direxerit et banna imposuerit, dum ea fecerit nesciendo quod ista civitas esset de Marchia Anconitana et sic de jure Romanae Ecclesiae. 745
10 mart.	Apud Hagenowe.	— Claustro sanctimonialium beati Christophori apud Papiam possessiones tam praesentes quam futuras confirmat, praecipitque ut nulla persona eidem claustro super his damnum inferre praesumat. 745
7 april.	Apud Hagenowe.	— Honorio papae respondet super ejus intercessione pro comite Raynerio quem incarcerari fecit seque paratum dicit ad eum sine graviori poena liberum dimittendum, dummodo prius terra quam in Sicilia usurpavit sibi restituatur. 750
16 april.	Apud Francfort.	— Joanni Virdunensi episcopo et universis ejusdem civitatis civibus mandat ne quis a familia Virdunensis ecclesiae et canonicorum aliquam exactionem vel talliam extorquere praesumat. 751
17 april.	Apud Frankenfort.	— Archiepiscopo Coloniensi ecclesiam Sancti Servatii in Trajecto intus et exterius regendam et modis omnibus defendendam committit. 752
17 april.	Apud Frankenfort in curia solemni.	— Universis per Lombardiam, Romaniolam, Tusciam atque per totam Italiam constitutis nunciat se ad eos Conradum Metensem et Spirensem episcopum, legatum praemittere, cum plena vicibus suis agendi per eorum partes potestate. 753

1220		
19 april.	Apud Frankevord.	— Pro fide et devotione Ottonis Ultrajectensis episcopi, ei concedit licentiam in alio loco ubi voluerit infra territorium ejus theloneum de Gheyn sine impedimento locandi et constituendi. 754
19 april.	Apud Frankenford.	— Ad petitionem Ottonis Ultrajectensis episcopi, privilegium ab avo suo Friderico primo imperatore civibus Ultrajectensibus concessum confirmat, quo theloneo eximuntur apud Werdam, sicut quondam apud Thiel exemptione fruebantur, excepto marino theloneo quod Zeetol dicitur. 755-756
19 april.	Apud Frankenfort.	— Decano et capitulo de insula Sancti Suiberti apud Kaiserswerd confirmat redditum ecclesiae de Brühl, quem eorum praepositus Philippus ad meliorationem eorum praebendarum liberaliter eis donavit. 758
19 april.	Apud Frankenvurt.	— Fenestrarum reparationi, librorum innovationi, officinarum conservationi ecclesiae Aquensis providens, statuit ut haec ecclesia primo quartam partem oblationum trunci ante paradisum locati et postea medietatem ad id percipiat. 758
19 april.	Apud Frankenfort.	— Statuit ut decimae vinearum in Sinzig Aquensi ecclesiae attinentes in locis ubi portiones ad dolia deferuntur integraliter persolvantur. 759
20 april.	Apud Frankenvort.	— Praeposito et capitulo Sancti Adalberti de Aquis concedit propter damna quae sustinuerunt, ut sex praebendas vacantes retinere possint et bona remota pro vicinioribus et utilioribus commutare. 760
20 april.	Apud Frankenvort.	— Burgensibus Wormaciensibus privilegium avi sui Friderici primi, datum Wormatiae 20 octobr. 1156, renovat, scilicet pacis et juris conditionem in civitate observandam, statuitque Wernherum et Philippum fratres de Bolanden qui eisdem burgensibus auxilium praebeant. 761 et 924
22 april.	Apud Frankenvort.	— Monasterium beatae Mariae situm in monte juxta Bopardiam in specialem protectionem suam recipit, eique omnia bona in praesens et in futurum confirmat, jubens ut ab onere et servitio quolibet quietum et liberum permaneat. 761
25 april.	Apud Franckenfort.	— Subcantori et capitulo capellae suae Panormi iterato et firmiter mandat ut Gualfredo nepoti Messanensis archiepiscopi, cui cantoriam ipsius capellae concessit, in omnibus justiciis ejus et rationibus intendant. 764
26 april.	Apud Frankenfort.	— In favorem principum ecclesiasticorum sibi hactenus et nunc in electione filii sui Henrici in regem assistentium, generali privilegio quaedam gravamina eorum tollit circa

1220		
		nibus a fratribus suis Andrea, Henrico et Friderico domui Theutonicorum factis quaestionem indebitam movissent, saniori moti consilio, quaedam propria bona sua praedictae donationi addiderunt. 779
[aprili vel maio.]	Frankenfurt.	— Thelonearïis suis apud Werde (Kaiserswerd) mandat ut capitulum ecclesiae de Xanten ab omni theloneo immune relinquant. 782
18 maii.	Apud Hagenowe.	— Praeposito et canonicis cathedralis ecclesiae Augustensis concedit et dimittit advocatias de Aitingen sub ea pensione qua eas a patruo suo Philippo rege et postmodum habuerunt. 784
21 maii.	Apud Hagenowe.	— Ad supplicationem Guidonis de Blandrate, Viglevanum et homines loci ipsius in suum dominium recipit; vetans ne Papienses seu Vercellenses seu Novarienses sive quaecumque alia persona homines Viglevani ad ipsorum dominium cogere praesumant. 785
[maio circiter.]	. . . .	— Notam facit sententiam a scolteto de Hagenovia latam pro Alberone abbate Neoburgense ejusdemque abbatia super duobus mansis in Wimenau a Wernhero de Ettendorf olim pecunia comparatis et eidem monasterio a Philippo rege concessis. 786
25 maii.	Spirae.	— Sifrido archiepiscopo Moguntino concedit argenti fodinam in monte Difendal prope Logenstein (Lahnstein) repertam, cum haec sit in fundo archiepiscopatus. 788
maio.	Spirae.	— Ad interventum Ludewici ducis Bavariae et comitis palatini Rheni, fratribus Sancti Petri de Hegene jus patronatus ecclesiae in Lutzelstat confirmat et nomine concambii ab eisdem praedium in Eisweiler recipit. 789
2 junii.	Wormatiae.	— Villam suam Pfullendorf in civitatem imperialem erigens, omnia quae observanda sint statuit de libertatibus, de jure civitatis, de aedificandis areis nudis, de molendinis, de munitione urbis et de exemptione civium usque ad sex annos continuos. 790
28 junii.	Ap. Ulmam.	— Fulconem episcopum Papiensem delegat ad componendam discordiam quae hanc civitatem commovebat, eamdemque regendam ei committit, donec imperii cancellarius in Italiam advenerit. 795
30 junii.	Ap. Ulmam.	— Ad supplicationem capituli Salernitani, plancas macellariorum cum domibus quas comes Richardus de Agello ecclesiae Salernitanae obtulit, perpetuo eidem concedit et confirmat. 795-796

1220		
3 julii.	Ap. Ulmam.	— Nicolao Salernitano archiepiscopo et ejus ecclesiae specialiter concedit et confirmat decimas plancarum, platearum, tinctae et chalendrae in Ebulo et molendinum Albescendae necnon omnia jura et rationes quas in Ebulo et pertinentiis ejus possident. 796-797
3 julii.	Ap. Ulmam.	— Nicolaum archiepiscopum Salernitanum statuit justiciarium totius terrae et hominum Salernitanae ecclesiae, cum facultate aliquem virum idoneum loco sui statuendi. 798
julio.	Apud Weissenburg.	— Caro Montisregalis archiepiscopo restituit, concedit et confirmat possessiones et omnia jura ad ejus ecclesiam pertinentia, tam per Saracenos quam per christianos tempore turbationis illicite occupata, eidemque omnia privilegia confirmat. 800
13 julii.	Apud Nuremberg.	— Honorio papae scribit qualiter apud Frankenford, discordia inter Maguntinum archiepiscopum et lantgravium Thuringiae ingruente, principes imperii ex insperato filium suum in regem Romanorum elegerint; suadet ne de unione imperii et regni turbetur, additque quomodo in expeditione sua fuerit retardatus. 802
27 julii.	Apud Augustam.	— Ecclesiam Northusensem reformans in ea praepositum, decanum et canonicos seculares instituit, cujusque jura decernit, exemptiones concedit et in praebendarum auxilium addit bona quaedam ibidem nominata. 806
28 julii.	Apud Augustam.	— Fulconi episcopo Papiensi denuo mandat ut pacem in civitate Papiensi manutenere procuret. 809
30 julii.	Apud Augustam.	— Monasterio Staingadensi advocatiam bonorum ejus in Sibenaich a duce Welfone seu a Manegoldo [de Sibenaich] illi collatorum ab impetitione Henrici de Sibenaich liberam esse declarat, qui etiam coram rege huic juri et actioni renuntiat. 809
31 julii.	Augustae.	— Statuit ut pueri a ministerialibus imperii ex una parte et a ministerialibus de Schönburg ex altera et invicem procreandi inter imperium et ecclesiam Magdeburgensem aequaliter dividantur. 811
julio.	Apud Augustam.	— Passagium sive theloneum in ponte civitatis suae Werdae (Donauwerth) pro libertate omnium inde transeuntium abrogat. 812
3 aug.	Apud Augustam.	— Notum facit universis quod in ponte civitatis suae Werdae theloneum removit, et quum decreverit ut pons ligneus ex

1204		
		runt; praecipitque ut satisfactionem congruam pro sceleribus exhibeant vel timeant prorsus excludi. 102
1° april.	Laterani.	— Universis in Sicilia et Calabria constitutis scribit se, cum innocentis regis infantiae et regni miseriae deesse non velit, ad eos destinare G. Sancti Adriani diaconum cardinalem, cui vices suas commisit et ipsi in omnibus intendere debeant. 105
4 oct.	Romae apud S. Petrum.	— Friderico regi Siciliae scribit se, receptis nuntiis quos ad se destinavit, ad ipsum remittere G. Sancti Adriani diaconum cardinalem, Apostolicae Sedis legatum, cujus consiliis de pace in regno stabilienda acquiescat. 106
4 oct.	Romae apud S. Petrum.	— Willelmum Capparonum a quo nuntios cum litteris regiis recepit, hortatur ad absolutionem promerendam Apostolicae Sedis voluntati acquiescendo, monetque ut ad consummationem pacis cum G. Sancti Adriani diacono cardinale operam impendat efficacem. 107
4 oct.	Romae apud S. Petrum.	— G. Sancti Adriani diacono cardinali scribit se nuntiis quos ex parte regia Willelmus Capparonus nuper sibi transmisit, finale responsum dare noluisse, sed tractatum pacis ipsius discretioni remisisse, ut procedat sicut honori Ecclesiae, saluti regis et regni quieti convenerit. 108
27 oct.	Romae apud S. Petrum.	— Duci Brabantiae scribens vetat ne conventione cum Philippo duce Sueviae tractata, filiam ipsius Friderico regi Siciliae copulare praesumat, cum jam inter illum et sororem regis Aragonum sponsalia fuerint celebrata, et insuper ipsius filia eumdem regem linea consanguinitatis attingat. 112
1206		
12 sept.	Ferentini.	— Friderico regi Siciliae scribit congaudens de bono ejus incremento, hortaturque ut perseveret in virtute. 119, not. 2 et 120.
sept.	Ferentini.	— Omnes Gaietos et Sarracenos per Siciliam constitutos commendat quod a fidelitatis constantia erga Fridericum Siciliae regem non recesserint, hortaturque ut in ea perseverent, quum rex ipse in proximo eorum devotioni congrua praemiorum vicissitudine respondere possit. 118
6 dec.	Romae apud S. Petrum.	— Petrum comitem Celanensem, magistrum justitiarium Apuliae et Terrae Laboris, vehementer hortatur ut non tardet ad fidelitatem Ecclesiae redire, Marcualdi, Gualterii cancellarii et Diopuldi exempla memorans. 122-123
1207		
29 jan.	Romae apud S. Petrum.	— Friderico regi Siciliae gratulatur quod tandem ab indigna liberetur custodia illorum qui curam ipsi a matre deputatam

1207		removerant; quo studio fuerit usus pro tutela et defensione ejus memorat, monetque ut consiliis eorum qui nunc sunt acquiescens moralibus imbui disciplinis satagat. 124
14 nov.	Tuscanellae.	— Universos barones per regnum Siciliae constitutos acriter objurgat quod regi Friderico necessitates multiplices patienti in nullo dignati fuerint subvenire et nullum ad ipsum respectum habuerint, jubetque ut promptum curent ei subsidium in omnibus necessariis exhibere. 128
1208		
26 febr.	Laterani.	— Regi Aragonum scribens miratur quod matrimonium inter Fridericum Siciliae regem et sororem ipsius contrahendum tamdiu distulerit; nuntiatque se ad ipsum Mazariensem episcopum mittere cui sororem cum honorifico comitatu tradat transducendam. 131
[junio exeunte,	apud S. Germanum.]	— Cum Petro Celanensi et Riccardo Fundano comitibus de succursu regis Friderici et de defensione regni ordinationem promulgat. 134
[julio exeunte,	apud S. Germanum.]	— Ottoni Romanorum regi scribit se, Philippo ejus adversario sublato de medio, ad promotionem ejus efficaciter intendere et diligenter praecavere ne contra eum alius suscitetur, quamvis Fridericus jam ei adversarium se opponat. 137
[6 aug. circiter.]	Sorae.	— Universis regni fidelibus in Apulia constitutis mandat ut ordinationem quam nuper fecit super regis adjutorio ac pace regni, recipiant hilariter et efficaciter observent. 138
. . . . .	. . . .	— Gregorio Sancti Theodori diacono cardinali et O. acolyto mandat ut universos in Apulia constitutos jurare faciant ad exemplar eorum qui ordinationem apud Sanctum Germanum in sua praesentia juraverunt. 139
8 aug.	Sorae.	— Regi Aragonum scribit se assensum impertiri matrimonio inter Constantiam sororem ejus et Fridericum Siciliae regem contrahendo, hortaturque ut ad consummationem hujus negotii studiose procedat. 139
1209		
9 jan.	Laterani.	— Friderico regi Siciliae vehementer exprobrat quod, Panormitana ecclesia pastore viduata, canonicos super electione ad Sedem Apostolicam appellantes in exilium relegare praesumpserit; memoransque tractatum inter se et Constantiam imperatricem de electionibus habitum, mandat ut quae attentaverit restauret. 140
10 mart.	Laterani.	— Ottoni regi Romanorum respondet se Friderico regi Siciliae super iis quae ad regnum ejus pertinere noscuntur suum

1220		
5 aug.	Ap. Urbem Veterem.	— Conrado episcopo Metensi et cancellario injungit ut vigore regii mandati terram comitissae Mathildis Raynaldo Munaldi nuntio suo nomine Sedis Apostolicae resignet. 815
9 aug.	Ap. Urbem Veterem.	— Raynaldo subdiacono suo mandat ut Metensem episcopum adeat; ad accipiendum absolutionis beneficium eum inducat, et praesertim ad reddendam Apostolicae Sedi terram comitissae Mathildis hortetur. 816
20 aug.	Ap. Urbem Veterem.	— Universis principibus per Theutoniam constitutis sub poenis ecclesiasticis mandat ut jura Friderici imperatoris ad subsidium Terrae Sanctae transfretare volentis illaesa serventur. 822
28 aug.	Ap. Urbem Veterem.	— Fridericum Romanorum regem commendat quod ad suas preces ipse uxorem suam ducat pro recipiendo imperiali diademate. 823
4 sept.	Ap. Urbem Veterem.	— Conrado episcopo Metensi conqueritur quod Raynaldum nuntium suum vanis promissionibus detinendo, terram comitissae Mathildis non hactenus Ecclesiae Romanae resignaverit. 826
[20 sept. circiter.]	Ap. Urbem Veterem.	— Fridericum Romanorum regem hortatur ut secundum promissa terram comitissae Mathildis faciat Romanae Ecclesiae assignari, et aliquid majestate regia dignum statuat contra haereticos in Lombardia. 843
10 nov.	Laterani.	— Nicolao episcopo Tusculano, Apostolicae Sedis legato, et Alatrino capellano suo dat in mandatis ut quaedam capitula die coronationis a rege Romanorum publicanda in leges publicas redigi faciant, regiumque animum perspiciant tam super vitanda regni et imperii unione quam super subsidio Terrae Sanctae. 880
		Constantia, Romanorum et Siciliae regina, una cum filio suo Henrico:
1212		
maio.	Messanae.	— Abbati et monasterio Casamaris privilegium de terris et de pascuis impertitur. 685
1213		
januar.	Panormi.	— Heliae Panormitano canonico concedit ut aquam quae oritur in cavea Aynscindi accipiat ejus utilitatibus profuturam, salvis tarenis quatuor regiae dohanae annuatim ab ipso persolvendis. 241
martio.	In civitate Messanae.	— Gualterio Catanensi episcopo et Siciliae cancellario, propter oppressiones ab ejus ecclesia perpessas, castrum Calatabia-

---

DOCUMENTA VARIA AD RES ITALICAS ET SICULAS SPECTANTIA.

1208		mutuo accipit, pro quibus unam petiam terrae in tenimento castelli sui Trium Sanctorum ponit in pignore 910
octobri.	. . . . .	*Riccardus, comes de Sora*, fidelitatem et ligium homagium Innocentio papae et Romanae Ecclesiae praestat, jurans se facturum guerram et pacem ad mandatum papae, salva fidelitate et mandato regis Siciliae. 428, not. 1.
1210		
junio.	Syracusae	*Alamannus pro communitate Januae comes Syracusae et regis Friderici familiaris*, hospitali Sancti Johannis concedit et donat in tenimento suo casale quod dicitur Bigene et quamdam terram in vicinitate sitam. 172
1212		
3 dec.	Wormatiae	*Parisius, Panormitanus electus*, capitulo regiae capellae Panormi mandat ut Johanni de Sulmona notario regis locum quem olim magister Gratianus habuit assignent. 223
1215		
28 april.	Ap. Barum.	*Liupoldus, Wormatiensis episcopus, regni Siciliae legatus*, ex parte Friderici Romanorum et Siciliae regis, omnia privilegia ecclesiae Tranensis confirmat, necnon et privilegia consuetudinesque civium Tranensium, quae ibidem seriatim enumerantur. 375
1216		
8 oct.	. . .	*Frogerius, Mutinae potestas*, apud hospitale Sancti Peregrini regem Henricum Friderici regis filium e manibus archiepiscopi Panormitani custodiendum accipit, eumque conducit usque ad pontem de Guiligua ubi ambassiatoribus Parmae et Regii eumdem tradit. 483
1219		
16 mai.	Faventiae.	*Gerardinus de Grisso, procurator communis Bononiae*, sententiam Jacobi episcopi Taurinensis de comitatu Imolae restituendo et de banno et poena ab eodem communi Bononiae imposita, nullam esse protestatur. 625
decemb.	Apud Augustam	*Andreas Lupinus, regis Friderici valletus*, Richero episcopo Melfiensi ejusdem regis familiari donat tenimentum Lampidiati fluvii, sibi a regia majestate concessum. 716
1220		
martio exeunt.	. . .	*Parentius, urbis Romae senator*, nomine totius populi Romani, Friderico Romanorum regi scribit quantum ex insinuatione abbatis Fuldensis legati ejus gaudium susceperit, quod ipse in proximo sit Romam venturus ad recipiendum imperiale diadema, etc. 747
10 april.	Apud Frankfort.	*Riccardus, camerarius regis*, scribit ad capitulum regiae capellae Panormitanae pro notario Jacobo de Calatagirone, 775
11 sept.	in episcopatu Mantuae, prope sedem regalem	*Ambaxatores Imolenses* confirmant quicquid Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis cancellarius, inter Imolenses et Faventinos ordinaverit, praecipue super fossato quod hi in illorum territorio fecerant. 844, not. 1.

1220		
1° oct.	Ap. Spillambertum.	*Guarnerius, marescallus Riccardi camerarii imperialis*, ex commissione Friderici regis, confitetur se recepisse a Jordano episcopo Paduano quinquaginta marcas argenti, pro eo quod idem rex absolverit episcopum ab itinere Romano. 859
circa annum exeunt.	. . . .	*Thomasius de Capua* varias Friderico regi epistolas dirigit tam super discordia filiorum Petri comitis Celanensis quam pro misericordia erga Thomasium comitem et rebelles exhibenda. 928-929

DOCUMENTA VARIA AD RES ALEMANNICAS SPECTANTIA.

1211		
[circa octobr.	Apud Nuremberg.]	*Principes imperii* solemniter congregati, perspectis necessitatibus imperii cui ruina ex dissidiis et civilibus bellis imminet, Fridericum Siciliae regem ac Sueviae ducem, sapientia senem, licet juvenem diebus, in regem Romanorum eligendum decernunt. 195
1213		
aprili.	Suessione.	*Philippus, Francorum rex*, Henrico duci Lotharingiae promittit, quod ei Mariam filiam suam dabit in uxorem sub certo dotalitio. Addit etiam quod Fridericum Romanorum regem rogabit post reditum suum de Anglia, ut eidem duci et filio ejus reddat jus ipsorum integre. 266
1214		
18 sept.	Apud Chinonem.	— Cum Johanne Angliae rege inducias init : hoc pacto ut poterit juvare Fridericum et rex Angliae Othonem, si alter illorum in treuga esse noluerit. 317
[circa octobr.]	. . . . .	*Ludovicus, comes palatinus Rheni et dux Bavariae*, monasterio Schonaugiensi pro reparandis damnis ab hominibus suis eidem illatis, piscationem suam in Opphowin liberaliter confert, de consensu Agnetis sponsae filii sui. 317
6 oct.	Wormatiae.	— Notum facit universis quod cum Fridericus Romanorum et Siciliae rex de voluntate et consensu suo remiserit et concesserit per speciale privilegium Innocentio papae possessiones et jura ab imperio detenta, ipse privilegium istud approbat et confirmat. 319
1220		
3 junii.	Wormatiae.	— Donationem juris patronatus de ecclesia in Lutzelstat a comite de Lyningen ecclesiae Megenensi factam ratam habet, sub conditione restauri competentis ab eodem comite in manus suas faciendi. 772
1215		
10 junii.	Apud Wirzburg.	*Sifridus, Moguntinus archiepiscopus et Apostolicae Sedis legatus*, in praesentia Friderici Romanorum regis confirmat coenobio

INDEX

NOMINUM ET PERSONARUM QUAE IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

(Personae ad sua nomina, non ad cognomina disponuntur. Quando nomina seu initiales litterae defuerint, quaerendum ad litt. N.)

INDEX

LOCORUM SIVE GEOGRAPHICUS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 9, lin. 10, *post* p. 804, *addendum :* Impressum vero ap. Daniele, *I regali sepolcri del duomo di Palermo*, p. 19, not. *t*.

P. 25, lin. 28, a ejus, *legendum* ab ejus.

P. 45, not. (1), *post* constat, *addendum:* In altero privilegio, novemb. 1221, *Minzarum* vocatur.

P. 89, not. 1, lin. 3, *post* Foss. novae, *addendum :* ap. Murator., *Script.*, t. VII, p. 884.

P. 100, lin. 16, opera, *legendum* opere.

P. 111, lin. 2, paruta (?), *legendum* paricla.
lin. 14, Briccone, *legendum* Brittoni.
not. *a*, de Bagula, *legendum* de Rigula.

P. 143, lin. 10, ipsi, *legendum* illi.

P. 175, not. 1, lin. 3, incipere, *legendum* inchoare.

P. 177, *ad calcem notae addendum :* In altero vero exemplari quod nuper accepimus legitur *Guillelmi de Orvieto.*

P. 207, lin. 7, receptus, etc., *legendum* receptus et ministratus mansit per mensem. Postea ivit Romam.

P. 216, lin. ult., *post* t. XVII, *addendum* et Alber. triumfontium, *Chron.* ad ann.

P. 277, lin. 11, ab ipsorum, *legendum* a suis.

P. 286, not. 1, *post* frustra requisivit, *addendum :* Copiam vero insertam in bulla Honorii papae III, 29 junii 1221, apud Feldkirch asservata nuperrime edidit Bergmann, *Denkschriften der phil. histor. classe der K. akad. der Wissenschaften zu Wien*, t. IV, p. 102, ut amicus noster vir egregius Staelinus nos monuit. Ibi autem pro *Augustanus* legitur *Augestensis*, quod in *Targestensis* seu *Tergestensis* corrigendum censemus. Conradus enim Targestensis electus huic curiae Augustensi aderat. Vid. infra, p. 292.

P. 306, lin. 3, *addendum* inedit.

P. 390, lin. 24, *post* auctoritatis *delenda virgula.*

P. 402, lin. 4, *post* communicato, *addendum :* et ap. Wassebourg, *Antiq. de la Gaule belgique*, lib. V, p. 359, qui fragmentum exhibet ut sequitur : « Fredericus, Dei gratia Romanorum rex et Sicilie, etc. Notum facimus quod inter dilectum Robertum episcopum Virdunensem et ejus burgenses, etc. . . . talem per sententiam principum coram nobis diffinitum est, neque juramenta neque munitiones neque exactiones aliquas sine regio mandato et episcopi volun-

tate, penes quos totius civitatis ordinatio consistit, licitum est civibus acceptare. . . . . Datum Aquisgrani, etc. »

P. 409, lin. 24, paruta, *legendum* paricla.

P. 410, lin. 1 et 15, de Bagula, *legendum* de Rigula. — *Ibidem*, lin. 15, paruta *legendum* paricla.

P. 411, lin. 5, silvam Ceduam, *legendum* silvam caeduam.

P. 427, lin. 5, *post* et not. 7-10, *addendum :* Revocatur vero in dubium a DANIELE, *I regal. sepolcri*, p. 33; qui quidem hoc privilegium, licet ap. Fazellum quoque memoretur, nulla auctoritate vigere testatur.

P. 478, lin. 3, *post* p. 212, *addendum :* Bullae aureae effigies ap. DANIELE, *I regal. sepolcri di Palermo*, exhibetur.

P. 551, lin. 13, factam, *legendum* factae.

P. 576, not. (2), *post* distans, *addendum :* nisi sit locus ejusdem nominis, situs in Ortenau, scilicet in ista Sueviae parte quae juxta Renum Offenburgum inter et Friburgum jacet. Quod etiam melius conveniret itinerario regis in Suevia ineunte decembri adhuc commorantis. Cf. inter *Additamenta* privilegium datum Weingarten, 11 dec. 1218.

P. 606, lin. 10, patre suo, *legendum* avo suo.

P. 707, lin. 26, Bawarie, *legendum* Bawariae.

P. 731, lin. 8, *post* coloris, *addendum :* Impressum vero, sed minus integre, ap. *Zeitschrift des historischen vereins für das Wurttembergische Franken*, ann. 1849, n° 3, p. 92-94 ex Mergenth. diplomatario, ubi testes et notae chronologicae ad chartam episcopalem inseruntur.

P. 732, lin. 8, decima medietate, *legendum* decima, medietatem.

P. 733, lin. 16, *post* communiri, *addendum :* — Hujus rei testes sunt : Otto major et novi monasterii prepositus, Thegenhardus, major scolasticus, Albertus de Walchusen, Boppo de Osternach, majoris ecclesiae canonici, Baldewinus et Sifridus canonici novi monasterii, magister Hermannus? notarius; laici nobiles, comes de Wertheim, Heinricus de Rotenvels, Conradus de Trimperc, Conradus de Nuwenburc, Conradus de Oternach; ministeriales, Theodericus et Albertus fratres de Hohenberc, Richolfus de Lutebach, Volkerus dapifer, Theodericus frater suus, Ludewicus de Nordheim, Swicherus de Hehene, Otto, Heroldus fratres de Bastheim, Conradus, Warmundus fratres de Erlach, Henricus scultetus, Berengerus frater suus de Selheim, Marquardus Weiss camerarius, Walpertus Torso, Albertus Hesleibe schulthetus, Heinricus pincerna, Reinhardus de Botrit, Uffo Weiss, Conradus Sweigere, Boppo de Linach, Hertwicus magister coquine regie, Albertus magister coquine, Bigenot scultetus de Nurenbergk, et alii quamplures. — Acta sunt

hec anno incarnationis dominice M° CC° XIX°, XVII kalendas januarii, episcopatus nostri anno XIII.

P. 769, lin. 5, ejusmodi, *legendum* ex ejusmodi.

P. 779, lin. 9, *post* coloris, *addendum:* Memorat. et extract. quoad privilegium Ottonis episcopi, ap. *Zeitschr. des hist. vereins für das Wurttemb. Frank.*, 1849, n° 3, p. 94-95, ex Mergenth. diplomatario.

P. 796, lin. 25, tincte et chalendre, *legendum* tinctae et chalendrae.

P. 802, lin. 4, elegerunt, *legendum* elegerint.

P. 833, lin. 5, epicopus, *legendum* episcopus.

P. 852, lin. 9, domo, *legendum* dono.



INDEX MATERIARUM

VOLUMINIS PRIMI

TAM IN PRIMA QUAM IN SECUNDA PARTE.




GETTY CENTER LIBRARY
3 3125 00930 0092

